

STROZII POETAE
PATER ET FILIVS.



PARISIIS
Ex officina Simonis Colinæi.
1 5 3 0

ALDVS MAN. ROM. DIVAE LVCRETIAE BORGIAE DVCI FERRARIAE S. P. D.

C Um essem Ferrariæ superiore anno dīna Lucretia, adierunt me Guidus, & Laurentius Strozæ nobiliss. iuuenes, rogaruntq;, vt quæ Titus pater, & Hercules frater poëmata incastigata morte præuenti reliquissent, accurate recognoscerem, deinde typis nostris imprimenda curarē. Quorum alterum, etsi eram occupatissimus, nec ita affectus, vt suauioribus musis delectarer culpa horum temporum, quibus si vnquam aliàs, nunc maxime vicinæ ruptis inter se legibus vrbes arma ferunt, Sæuit toto Mars impius orbe, tamen recepi me facturum: atq; eò libentius, quòd & Hercules vnice me diligebat (audiuit .n. me puer) & nunc tota domus Stroza diligit. Alterum vero non posse præstare respondi, cum alijs plurimis, tum quia nondum videretur commodum, antiquis me includere curis. cum vero illi nihilominus instarent, vt & id darem veteri amicitiæ, quæ mihi cum eo ipso Hercule summa intercessit, curaturum me dixi, vt hac in re quoq; ipsis morem gererem. Id quod est à me factum diligenter, postpositis interim antiquis authoribus, qui corrigebātur, exituri & ipsi ex ædibus nostris emendatissimi in manus studiosorum. Recognoui igitur omnia paucis diebus.

Non enim diu, vt oportebat, in eam curam me incumbere permiserunt summæ occupationes meæ: nec inter imprimendū quidem id muneris adire diligentius Venetijs potui, sum enim semper occupatissimus. Quoniam autē in vtriusq; poëmatis illustrissimi principes familiæ Estensium tolluntur in cælum laudibus, Hercules etiam tui mentionem quamsæpissime nō sine tua summa laude facit: quin Gigantomachia, quam extremis temporibus suis inchoauit tantum, tibi dedicata est, sub tuo nomine exire hos libros voluimus in manus hominum. Adde etiā quòd pro summis, quibus prædita es virtutibus, dignissima es: quam laudent, honorent, venerentur omnes: atq; ipse in primis, cū propter alia, tū quia Academiam, cui cōstituēdæ iam multos annos studeo, tuis opibus, tuo solius sumptu facturam te, sinant tēpora, vltro mihi receperis. Ais enim nihil te magis cupere, quàm & placere semper Deo immortali, & iuuare mortaleis, tam qui nūc sunt, quàm nascituros omnibus seculis, relinquereq; aliquid cum è vita excesseris, quo non sine summa laude vixisse testeris. O præclaram vocem, dignámq; Lucretia Borgia. Verissima certe illa est sententia,

Δεινὸς χαρακτὴρ, κἀπίσημος ἐν βροτοῖς
Ἐσθλῶν γενέσθαι, κἀπὶ μεῖζον ἔρχεται
Τῆς εὐγενείας τοὔνομα τοῖσιν ἀξίοις.

Quid dicam de tua in Deum, diuósq; omneis pietate? quid item de liberalitate in pauperes, de boni-

tate in tuos, de iustitia in omneis? Mirum est enim quantam pauperibus qui mendicare erubescunt, clàm per pios ministros pecuniam eroges. quot subuenias miseris, quanta præterea grauitate & prudẽtia negotijs, rebúsq; publicis (cogitur.n. apud te senatus) & intersis, & præsis: &, quod est iustitiæ proprium, suum cuiq; tribuendum cures. Tum probos ornãdos, sceleratos puniendos, & velis, & imperes. Quibus in rebus miratur senatus ipse, mirãtur Ciues tui acerrimum iudicium, acumen summum ingenij tui. Denique quidquid loqueris, quidquid agis nulla ex parte reprehẽdi potest. Sed tuis de laudibus pauca hæc pro tempore attigimus, præsertim cum in his ipsis libris vbiq; ferè ipsi Titus & Hercules summis te, quibus dignissima es, extollant laudibus. Nunc redeo ad ipsos Poetas Patrem, & Filium. Quorum alter, etsi senex admodum obijt mortem, non tamen sua poemata publicis, priuatisq; negotijs assidue impeditus, emendare vnquã potuit. quapropter Borseam, cuius decẽ libros scripsit, nec absoluit: continet autem cum alia plurima digna lectu, tum præcipue Borsij ducis laudes, & præclara gesta, vnde Borsea poemati inditum nomen, Herculi filio, vt vnà cum cæteris suis poematis quamdiligentissime recognosceret, moriẽs iussit. Alter, quòd iuuenis non multo post mortem parentis occidit, ne sua quidem, nedum patris poemata emendauit. Quare si ei liceret, aliquid, quo se tueretur in fronte libri præponere, cre-

dendum est, huiuscemodi carmen iubere preponi.

Cum canerem diuos, horrentiáq; arma Cyclopum,
Cúmq; recenserem carmina culta Patris,
(Iusserat id moriens) iam non indigna canentis
Dissecuere truces stamina nostra Deæ.
Et vos crudeles nunquam crudelius ausæ,
Eheu crudeles térq;, quatérq; manus.
Ergo hæc non ipsi edidimus. Pia cura meorum
Nostra, Patrísq; simul qualiacunq; dedit.
Quidquid in his igitur vitij rude carmen habebit,
Emendaturus, si licuisset, eram.

Sed iam libros hosce lege, atq; Aldi tui memineris.
IESVS Deus OPT. MAX. res tuas fortunet.

INDEX EORVM, QVAE HISCE IN LIBRIS HABENTVR.

HERCVLIS STROZAE TITI FILII CARMINVM LIB.

TITI VESPASIANI STROZAE EROTICON LIBER PRIMVS.

EROT. LIB. II.

 EROT. LIB. III.

EROT. LIB. IIII.

EROT. LIB. VI.

AEOLOSTICON LIB. I.

AEOLOST. LIB. II.

AEOLOST. LIB. III.

SERMONVM LIB.

HERCVLIS STROZAE TITI FILII CARMINVM LIBER.

IN SALVTATIONEM GLORIOSAE VIRGINIS DEI MATRIS.

O *de prima* Monocolos. Sunt *enim verſus* Iambici Archiſochij Dimetri, *acatalecti omnes*. Conſtant *enim quatuor iambis, recepto tamen in locis imparibus etiam ſpondæo, hoc modo.*

ăuē ⏑– ſălū ⏑– tīs īa –– nŭă ⏑⏑
ăpēr ⏑– tăſēm⏑– pērſūp –– plĭcĭ⏑–
⏑– ⏑– –– ⏑⏑
⏑– ⏑– –– ⏑–

a

Ve *ſalutis ianua*
A*perta ſemper ſupplici,*
Spes, & *ſalus mortalium,*
Q*uos crimen* Eu*æ perdidit.*
T *u ſacra* Ie*ſſæ virgula,*
O*dore complens æthéra,*
Q*uam fabricator omnium,*
C*reauit ante ſecula.*
T *u ſponſa regis maximi*
O*mni referta gratia,*
C*ui fortis affert angelus*
V*erbum creantis ſpiritus.*
M *yſterium mirabile,*

Paterna vox diuinitus,
Intacta replens viscera,
Mortale corpus induit.
O virgo prima virginum,
Qua noster author nascitur,
Per nuntiata gaudia
Absterge nostra crimina.

IN NATIVITATEM SALVATORIS.

Ode II. dicolos tetrastrophos. Primi quique tres versus sunt hendecasyllabi Sapphici pẽtametri acatalecti, qui cõstãt quinque pedibus, Trochæo, spõdeo. dactylo. duobus trochæis, vel spondeo vltimo sic.

Mātĕr –∪ hāudūl –– lōtĕmĕ –∪∪ rātă –∪ tāctū ––
ōrtă –∪ cōllā –– psūmrĕnŏ –∪∪ vārĕ –∪ sēclŭm –∪
ād tŭ –∪ ūmrī –– dēnt Mărĕ –∪∪ tērra ĕt –∪
īpsă –∪

Quartus autẽ quisque est adonius dimeter catalectus ex dactylo, spondeo, vel trochæo sic,
Sidĕră –∪∪ pārtŭm –∪.

–∪ –– –∪∪ –∪ ––
–∪ –– –∪∪ –∪ –∪
–∪ –– –∪∪ –∪ –∪
–∪∪ –∪

Mater haud vllo temerata tactu
Orta collapsum renouare seclum,
Ad tuum rident mare, terra, & ipsa
Sidera partum.

O mnium factor, dominúsque rerum,
Membra qui verbo moribunda sumpsit,
In tuo vagit gremio, tuóque
Vbere gaudet.

T e citi visunt ouium magistri.
Te dei agnoscunt duo bruta matrem,
Angeli psallunt super obsoleti
Tecta mapalis.

I lla lux felix redeuntis æui,
Qua dei natum paris alma virgo,
Illa sit nobis in honore, sitque
Maxima semper.

P ax sub occasu fuit, & sub ortu,
Cum tua pacis dator exit aluo,
Pax sit humano generi perennis
Te duce virgo.

IN EPIPHANIAM.

O de III. Monocolos, vt Aue salutis ianua.

∪– ∪– –– ∪∪

∪– ∪– –– ∪∪

d Ei parentem virginem
Quibus sat ornem laudibus?
Hæc ventre mater integro
In carne verbum concipit.

H anc angeli pastoribus,
Hanc stella monstrat regibus,
Dum lactat in præsepio
Quem labis expers protulit.

Huic, filióq; supplices
  Eoo ab vsq; littore
  Iubar secuti præuium,
  Dant dona Reges mystica.
Qui in regna voti compotes,
  Nouo reuersi tramite,
  Testati vbiq; gentium,
  Vidisse partum Virginis.
Sic nos corusco lumine,
  Nitamur illam visere,
  Diuerso vt oret limite
  Nos ad superna regredi.

IN PRAESENTATIONEM.

Ode IIII. Dicolos tetrastrophos, qualis, Mater haud vllo temerata tactu.

—∪ —— —∪∪ —∪ ——
—∪ —— —∪∪ —∪ —∪
—∪ —— —∪∪ —∪ —∪
—∪∪ ——

O Ra ab æterno Genitore nobis
  Barbiton, qua te referam, tuúmque
Filium Virgo, sine labe clausum
  Integra in aluo.
Totus è cælo veniens, & illic
  Totus assistens, & vbiq; totus,
  Legit humanos subiturus artus,
  Te sibi matrem.
Hunc tui claustris vteri latentem

Editus non dum veneratur infans,
Huius aduentum canit omnis ætas,
Sexus & omnis.
Ille pro toto datur orbe vas, hunc
Noſcit ignotum Simeon, ad aram
Cum prius ſiſtis. tibi magna tangunt
Gaudia mentem.
O decus noſtræ, ſuperæq; gentis,
Cuius intactum Deus vber hauſit,
Da precor nobis hilares piorum
Viſere cœtus.

IN RESVRRECTIONEM.

O de V. *Monocolos, qualis,* Aue *ſalutis ianua.*

∪— ∪— —— ∪—
—— ∪— —— ∪∪.

e *Vm precemur ſupplices,*
Qui tempus expers temporis,
Qui fecit vnus ſidera,
Qui fecit vnus omnia.
Qui matre natus virgine,
Tot dura ſponte pertulit,
Suúmq; fudit ſanguinem,
Noſtræ ſalutis præmium.
Hic morte mortem perdidit,
Et morte vitam præbuit,
A ſubiugatis inferis
Die reſurgens tertia.
O quale matris gaudium,

Cum visus illi filius,
Veráſq; voces reddidit
Desideratus treis dies.
Per illa Virgo gaudia,
Tuum precare filium,
Vt nos sepultos sordibus,
Pius redemptor suscitet.

IN ASCENSIONEM.

O de VI. Monocolos. Metrum est Anapesticũ Partheniacum dimetrũ catalecticũ: cõstat enim trib. Anapæstis & syllaba, admisso frequẽter spondæo, hoc mõ. Prõ nõ--bĭs cõn--dĭtŏr ōr◡◡-bĭs◡. & Nĕbŭla ā◡◡-spēxē -- rĕuŏlān◡◡- tĕm.◡. & Tĭbĭ glō◡◡-rĭă chrī◡◡-stĕ pĕrēn◡◡-nĭs◡.

Quale illud Terentiani.
Hæc iuncta frequentius edent.
Anapæstica dulcia metra.

-- -- ◡◡- ◡
-- -- ◡◡- -
-- ◡◡-◡◡- ◡.

PRo nobis conditor orbis
Mortaleis induit artus
Consors hominisq;, Deiq;,
Et letum pertulit vltro.
Post victa morte triumphans,
Et vi propria per inane
Cum carne reuersus olympo,
Patri hæsit in omnibus æquus.

Hunc, discipulíq;, paréns;,
Nebula aspexere volantem,
Hócq; asseruere probati
Testes in vestibus albis.
Tum vox audita per auras,
Portas attollite Regi,
Hic, & pater vna potestas,
Tibi gloria Christe perennis.
Gaude ó gaude integra mater.
Et quem nobis peperisti
Exora glorificatum,
Cum patre, & flamine sancto.

IN PENTECOSTEN.

Ode VII. Monocolos. Sūt enim iambici hipponactij trimetri acatalecti, qui cōstant è sex iambis, recepto tamē in locis imparibus etiā spōdæo, hoc modo.
Mē prī -- mă chrī ∪ - stūs vē -- rĭtās ∪ - īllū --mĭnĕt ∪ ∪.
-- ∪- -- ∪- -- ∪∪

mE prima Christus veritas illuminet,
Qui iussit æquor fluctuosum diuidi,
Et esse Mosi, Millibúsq; peruium,
Mox regredi, hostes insequenteis obruens.
Hic Mosi in igne visus, & visus Petro,
Hic igneis afflata linguis pectora
Sancto repleuit spiritu, quo protinus
Effecta fandi gnara linguis omnibus.
Hinc multilingues disserunt Apostoli

A finibus primis Soli per vltimos,
Christi potentis arbitri miracula,
Et tot repente nationes abluunt.
Quid hos putasti pertinax Gens ebrios,
Quos videras recentis igne spiritus
Tot ægra passim sospitare corpora?
Fatere tandem mentis insanæ nefas.
Frustra fateberis die nouissimo,
Frustra innocabis nomen almæ Virginis,
Quæ Christiana proteget tunc agmina,
Vt nunc benigna nos tuetur supplices,
Orans patrémq;, & filium cum spiritu,
Qui sempiterna voluit vnus secula

IN GLORIOSAM VIRGINEM.

Ode VIII. Epænetica Dicolos tetrastrophos, qualis, Mater haud vllo temerata tactu.

—∪ —— —∪∪ —∪ —∪
—∪ —— —∪∪ —∪ ——
—∪ —— —∪∪ —∪ —∪
—∪∪ —∪

V Irgo, quæ sortem hominis, Deiq;
Arbitrium rerum, genitúmq; ab vno
Concipis fœcunda, parisq; sola
Integra mater.
Te sibi elegit Deus ante Secla
Te vocant gentes dominam Angelorum
Verbum vbi est factum Caro, tantáq; aluo

Clausa potestas.

Tu scelus primi patris expiasti,
Exules qui nos patria, reósque
Fecerat semper. tibi cessit uni
Ianua leti.

Iure te dicunt igitur potentem
Gratiæ, & lapsi generis salutem,
Et maris stellam, micat unde fulgor
Luce perenni.

Salue io mundi Specimen, salúsque
Omnium, qui te prece rite adorant,
Salue io victrix scelerum, tuámque
Respice gentem.

Dáque septeni penetrare fines
Gaudij, & trinum patris, atque nati,
Spiritúsque, indiuiduúmque, & unum
Cernere numen.

AD SANDALVM.

Ode IX. Tricolos tetrastrophos. Primi enim quique duo versus sunt choriambici Asclepiadei tetrametri acatalecti. qui constãt è spondæo, duob. choriãbis, & pyrrhichio vel Iambo, hoc modo.

O fons — Sāndălĭī – ᴗᴗ – gŭrgĭtĭs ăr – ᴗᴗ – bĭtĕr ᴗᴗ
Tītō — vātĕdĭēs – ᴗᴗ – ībĭs ĭn ūl – ᴗᴗ – tĭmōs
ᴗ –. Tertius vero quisque est Pherecratius heroicus trimeter acatalectus, constans è spondæo dactylo & spondæo, vel trochæo, sic,

Nēc tē — cāstās lī – ᴗᴗ ūndă – ᴗ

Quartus autem quisq; est choriambicus gliconius trimeter acatalectus constans è spondæo, choriambo, pyrrhichio, vel iambo, sic.

Vātūm–– vīncĕt hŏnō–ᴗᴗ–rĭbŭs ᴗᴗ.

–– –ᴗᴗ– –ᴗᴗ– ᴗᴗ
–– –ᴗᴗ– –ᴗᴗ– ᴗ–
–– –ᴗᴗ –ᴗ
–– –ᴗᴗ– ᴗᴗ

O Fons Sandalij gurgitis arbiter,
Tito vate dies ibis in vltimos,
Nec te castalis vnda
Vatum vincet honoribus.
Is te, seu numeros ludit agrestium,
Siue est Anthia, seu Phylloroe magis
Carmen, seu fide grandi
Estensem memorat Ducem.
Æternum facit, atq; Eridiano patri
Præfert, & cithara callidus, & lyra,
Cuiuis ponere laudes
Quas liuor malus approbet.
Cedat blandusiæ cantor amabilis,
Quanuis pindaricæ suaue melos chelys
In nostrum citet orbem
Magna non sine adorea.
Non chij, neq; libamina massici,
Aut pressa è patrijs pocula vitibus
Depastámve capellam,
Quartisania gramina
Offert, sed veteri carmina populo

Figit, sub rhodope qualia thracius
Syluis verba sequentibus,
Vates dixit in Hebrum.

HERCVLIS STROZAE TITI FILII PROSEVCHON LIBER.

AD GLORIOSAM VIRGINEM

V Irgo salutiferi genitrix intacta tonãtis,
Vnicáq; vndosi Stella benigna maris,
Quam rerum pater, vt lapso succurreret orbi,
Nondum dispositis iusserat esse polis,
I esseǽq; sacro nacti de sanguine gentis,
Et matrem statuit virginitate frui.
T u potis es primæ scelus expurgare parentis,
Humanúmq; Deo conciliare genus.
L acte tuo, qui te, qui cuncta elementa crearat,
Pauisti vilis culmine tecta casæ.
H unc cæli Regina tuis pro gentibus ora
Quósq; tuus iuuit filius, ipsa iuua.

AD TRINVM ET VNVM DEVM.

N Ate Patris sũmi, quẽ trinũ credit, & vnũ
Cuncta salutifera turba redempta cruce,
V ipereum qui morte tua scelus abluis, & nos
Ætheria dignos conditione facis:
D a precor auxilium, ditis tela impia contra

Vindice te nullos fas timuisse dolos.
Tu patris ad dextram, magno dominaris olympo,
Tu soboles, tu mens, consiliúmque Dei es.
Tu sine patre nihil, sine te nihil efficit ille.
Tum sine vtroque sacer nil meditatur Amor.
Quod statuis, statuit genitórque, & Spiritus. vnam
Vim tribus, atque vnum numen inesse patet.
Est cæli, rerúmque parens antiquior omni
Principio, & nullo tempore progenitus.
Hic geminos erat ante polos, terrámque, fretúmque,
Ætheriósque choros, secla per innumera.
Omnibus infusus, secretus ab omnibus, idem
Totus in immenso semper vbique fuit.
Quicquid erat, nunc est, & erit quodcunque per æuum.
Huius deprendi forma, modúsque nequit.
Hoc vero haud genito es genitus genitore, nec illo
Diceris æterna conditione minor.
Sic iubar æquæuum radiatis emicat astris,
Accensóque simul nascitur igne calor.
Quin Deus humana dignatus claudier aluo,
Et sine prolifico semine factus Homo es.
Factus Homo, mistúsque Deo, Consórsque duorum,
Vt mala deleres crimina sontis Adæ.
Ast olim oceani qui se super alta ferebat
Sanctus ab ambobus Spiritus ille venit.
Trésque licet numero, Deus vnus, & vna potestas,
Ceu tria de solo Sole venire liquet.
Ergo adsis, faueásque meis Deus vnice votis
Si tua syncera numina mente colo.

S i cæli,& terræ,si crederis arbiter vndæ,
Non noceat cælum,terra,fretúmve mihi.
N il stygias metuam post vltima fata Sorores,
Si pecudum fibras numen habere nego.
S i nec saxa colo,nec quem de more profano
Inclusum septo barbara Memphis alit.
S i genitum verbo fateor,si virgine natum,
Siderάq; aduentus,signa dedisse tui:
S i leti te leua cano ludibria passum,
Dum pius humano consuleres generi:
E t si flammifero domiti Phlegethontis ab amne
Credimus ad patrios te remeasse polos:
D a precor in cineres,vbi flamma resoluerit orbem,
Optatum in supera sede tenere locum.

ARGVMENTVM EST EX EVANGELIO, MISSVS EST ANGELVS.

S Pargite io flores,ter io,ter dicite carmen,
Ter sonet aurata casta Thalia fide.
S pargite io primi redolentia munera veris,
Lætáq; cum sancta fundite verba prece.
E n sacer ætheria volucer descendit ab arce,
Qui gerit æterni nuntia verba patris.
A mbrosiam decorant vernantia lilia dextram,
Cingit honoratum candida penna latus.
I pse gerit nostram portantia verba salutem,
Virgineæq; subit tecta verenda domus.
D icit io,iam dicit aue,blandóq; precatu,

Temperat ille tuos virgo beata metus.
Temperat ille metus, arcanáq; dicta resoluit,
  Dicta sibyllinis nobiliora notis.
Iam lætare sacris soboles dauitica verbis,
  Te penes est magni gratia pacta dei.
Est pater, est in te diuina potentia nati,
  Inq; tua sanctus Spiritus arce sedet.
Ecce piam nullo paries de semine prolem,
  Quæ luet antiqui crimina prima patris.
Aurea qua incipiet, qua ferrea desinet ætas,
  Qua tibi prædico fata maligna Charon.
Iámq; ferum trepidare canem, iam sibila cerno
  Colla palæstinam deposuisse luem.
Priscorum gaudete Cohors veneranda parentum,
  Optatus toties nascitur ecce Puer.
Nascitur ille Puer mundi sator, arbiter æui,
  Cui boue cum socio iunctus asellus erit.
Nascitur ille Puer tegetis sub culmine paruo,
  Regaleis referent cui pia dona manus.
Nascitur ille Puer, patrium qui solis ob ortu,
  Solis ad occasum proferet imperium.
Qui paruo contentus erit, nec stirpe superbus
  Acquiret tantum sæua per arma decus.
Cui noua felici referenti secula mundo,
  Prima salutifera culpa luenda cruce.
Tunc lachrymis tu sancta parẽs, tũc parce querẽlis,
  Multum adeo nostrum posse piare nefas.
Qualia securam tentabunt gaudia mentem,
  Cum fueris nato proxima facta tuo?

Virgo quidem longum lætaberis, at bene dices,
Horrendam natum consuluisse crucem.
Tu gemini Regina poli, tu maxima cæli
Ianua, tu mundi mystica lampas eris.
Tu miseris in rebus opem præstabis egenti,
Si casto meritas fuderit ore preces.
Iam vocat irato summersus nauita ponto,
Suspenditq; tuis naufraga vela tholis.
Iam metuens auriga vocat, quando incita cursu
Esseda præcipiti corripiuntur equo.
Iam quoq;, si votis mos est damnare petenteis
Hos vita facias prosperiore frui.

IN ADVERSIS SVPPLICANDVM SUPERIS.

HVc ades ò Rerũ sator, huc ades innuba virgo
Summũ enixa deũ. vestro sine numine quicq̃
Nec mihi fas voluisse, neq; est tentare potestas.
Vtq; velim, possimq;, vetat pudor, ipsáq; mentis
Relligio, ætherias cuiquam recludere sedeis,
Ni prius exorem veniam, pacémq; precando.
Nũc queritur mortale genus, quòd ab æthere nimbi
Præcipitent, segetésque ruãt, nunc vomere tellus
Pectita quòd sterilem exustis det messibus annũ.
Nunc conflata odijs quòd surgant bella, notiq;
Vota ferant, tristésq; incessant corpora morbi.
Asperat & questus, & iniquo corde malorum
Authorem putat esse deum, rerúmq; parenti
Sæua profanata dicit conuitia lingua.

Atqui ferre preces potius, castóq; litare
Corde decet. neq; enim omnipotens mortalia temnit.
Hæc via sidereos facili fert limite ad axeis,
Arcta quidem refugo, sed larga, & plana volenti.
Huc tamen adueniunt pauci, quos Entheus ardor
Euehit, atq; Deo tenor indefessus amicat.
Non iter angustum, sed nostra insania nobis
Officit, & Stygias sonteis detrudit ad vndas.
Vsqueadeóne hic mente potens, qui tramite recto
Digreditur, vastæ vt penetret dispendia syluæ?
Ni præstare putet, dubias auertere prædas,
Vt dulcem abrumpant mauortia classica somnum,
Plurimáque intentent mortem, bellúmne peroso
Alea sit potior pontique, & mercis eoæ?
Semper vti metuat, sæuæq; obnoxius iræ
Ventorum, pelagique, truci se credere Nereo
Audeat? ac ritu volucrum longinqua pererret
Littora, & ignotæ subeat conuitia gentis?
Túne, catenatus vetito vt de limine pellat
Ianitor, ingrati sequeris vestigia Regis?
Per fas, pérque nefas, quo te premat vndique liuor,
Purpureos inhias fasceis, nec dispicis vnde
Inuidiam citra patria potiaris ouanti?
Collige, quicquid inest diuinæ mentis, & istam
Discute, quæ circum caligat lumina nubem.
Iámque animi compos, quod iúsq; piúmq; reposcunt,
Tandem pacem ores palmas distractus in ambas.
Exorator eris. sistunt vaga fulmina, sistunt,
Ture dato, & cælum votis pater omne serenat.

A DEO SEMPER INCIPIENDVM, ET IN EVNDEM DESINENDVM.

a T quicunque Deum supplex affatur, ab illo
Incipiat: versóq; in eundem fine, quiescat.
Multa quidem huic studio subeũt meditãda, iacentẽ
Tollere quæ possint hinc ad cælestia mentem.
Contemplator vti ex nihilo Deus omnia quondam
Protulerit, quæ vis, sapientia quanta, quis ardor
Artificis, quantum emineant, quantúmq; nitescant
Omnia, ne vero tantum admirere creata
Vsq; creatorem, vt non mente, animóq; sequaris.
Ergo sub obtutum veniunt quæcunq;, legantur
Lumine, nequid iners proprio & sine munere degat.
Nanq; oculis multa occurrunt, quæ pabula cunctis
Sensibus indulgent. Terræ decor, ætheris ardor,
Vndarum liquor, & vasti per inane meatus,
Tum cæli decus, atq; ingentis lumina mundi
Sidera, dein oculorum & mentis acumine cæli
Ambitus insinuet sese, vertigine cuius
Vallantur quæ corpus habent. tum cardinis ille
Impetus, assiduo qui summa volumine torquet,
Mox extremi orbes, totúmq; sub axe corusco
Perpendatur opus, motúsq;, ortúsq;, obitúsq;
Astrorum, variæq; vices, anniq; recursus,
Terrenis quantum faueant cælestia, quali
Audiat obsequio cælestibus infima moles.
Vt lunæ quæcunq; globo subiecta ferantur
Ordine nascendi, senióq; absumpta fatiscant,

Præscriptóq; nihil naturæ ab limite cedat.
Hinc quoq; vti liqueat quali furor incitet œstro
Pectora, quæ perhibent homini famularier astra,
Nec mundum ratione regi, sed ab impete verti
Fortunæ, varióq; angi mortalia casu.
Nunc tamẽ haud locus hæc obstruſáq; semina rerum
Scrutari actæa toties discussa sub vmbra.
Ipsa sed à doctis iam vestigata sagaci
Ingenio, & iam scita, animo quærantur acuto.
Indoctis quantum indulget sua cuiq; Minerua,
Queis opere in tanto non desudare licebit.
Quippe rudeis crebro diuina potentia mirum
Edocet, vt porrò edoceant arcana professos,
Qui gnari tamen, atq; insignes munere tanto
Longius anteirent, summi cum gratia patris
Excolat ingenium, non destruat, aut male vertat.
Ast hominum genus ancipitem speculantibus offert
Materiam: hinc animus diuinæ conscius auræ,
Inde omni ratione carens, consórsque ferarum
Sensus adest, qui sæpe alto nos fraudat olympo.
Id quoq; succurrit voluendum sæpius, vt cum
Nos rerum in medio ceu mundi vincla locarit
Maximus ille opifex, quanta ratione cauendum est
Ne genius stet noster iners, quantóq; labore
Nos opus eniti, è superis quando vltima nobis
Est statio; tum quo pugnanda sit ordine pugna,
Cum supra, infráque inter se contraria bellent,
Quóve modo est cuiuis curãdũ, vt se intus ad vnguẽ
Noscat, & ignaræ frangat conamina mentis.

Quādoquidē quod de extremis tenet, imminet ingēs
Discrimen, ne dum alterius se credit amori,
Vergat in alterius partem, & ratione relicta
Sensibus obstrictus miser obrutescat: vt vnde
Venerit, ignoret, & quò properare necesse est.
At quæ homine inferiora animo meditāda ministrāt,
Vt quæ se innumeris virtutibus inclyta tollunt
Vsqueadeo seruent vireis, quas intulit author,
Cum mens casta alios, alios vis acrior: illos
Aut animus sapiens, aut pulchra modestia tollat.
Quæ cuncta vt proprium mortalibus inderet ignem
Et Deus, & genitor magna pius extudit arte.
His animaduersis, mens sese accinget ad illa
Quæ minime fiunt, sed sunt, velut ipsa Platonis
Verba canunt, iámq; à sensu nihil expetet, ipsas
Naturas rerum expendens, speciésq;, deinde
Angelicos peruecta gradus, ascendet olympum:
Nec mortale tuens, sed iam diuinitus atra
Nube procul pulsa radianti lumine cernet,
Effectúsq; pij læta inspectabit amoris.
Tum circunspiciens supera, infera cūcta videbit
Collaudare Deum, atq; illi bona cuncta referre,
Præcipue si quæq; oculis obnoxia nostris
Ingenio fideiq; acie lustrauerit acri.
Nam veluti Sphæræ cæli & rerum generantum,
Sic chorus ille sacer, manésq; à morte redempti
Sunt quasi materiæ immunis, non visilis orbis.
Quæ si cuncta simul animo comprensa tonanti
Æquipares, nil prorsus erunt, per se integer ille

Pars idem, totusq́ idem, pars semper vbiq;,
Semper totus vbiq;, carens ortuq́;, obituq́;.
Horum nil teres est, proprio nil robore constat,
In nihilum iam cuncta ruant, si maximus ille
Arbiter arcani fluxum neget ire vigoris.
Hinc spectare licet, vireisq́;, animúmq;, piámq;
Artificis mentem, quanq̃ inferiore sub orbe
Vis viget, in supero sapientia fulget, & ardet
Lux in supremo bonitásq; in quolibet horum
Cũcta tamen meditari, & in omnibus omnia fas est.

NON SALVARI QVENQVAM SINE LVMINE FIDEI.

e Rgo Dei triplices vnà meditabere vireis
Cum veluti rerũ authorẽ sub pectore volues.
Huc sensu, & ratione, animóq; ascendere puro
Luminibúsq; fide nobis permissa potestas.
Cum vero hæc tantum spectent examina mentem,
Scire decet, superæ non illum admittier aulæ,
Qui rerum agnorit fidei sine lumine causas:
Sed miserum sisti mentis rationibus ægræ,
Atq; adeo propriæ naturæ limite claudi,
Vt se ab humo nunquam cæli super atria tollat.
Nec tecum Domini in tectis Iesee fatiscat,
Sæpe quòd his solitum contingere, qui irradiati
Luce alia, atq; animæ purgatis vndiq; votis
Astra adeunt, mentisq́; pio se glutine iungunt
Rerum, hominúmq; patri, cúmq; illo spiritus vnus
Euadunt. Nam cuncta licet primordia rerum

Ille sagax animi multa sibi vendicet arte,
Si tamen erret inops, & veri luminis expers,
Nequicquam summi radios inhiabit olympi,
Nec trāscēdet ad hæc, quæ mox meditāda supersunt
Vix potis exiguam dictorum addiscere partem.
Quare age Christi aīa, haud timeas tibi defore, q̄ sūt
Pythagoræ, & cuiuis magni de gente Platonis.
Nanq; animus pigra, atq; hebeti compage ligatus,
Si seruanda Dei longe fiducia cedat,
Obruitur tenebris, quas cæca inscitia circum
Fundit, & impurus multa quas nocte Cupido
Vsqueadeo addensat, nigróq; volumine torquet.
Vnde nec illi animo fas est hærere tonanti,
Copula quæ minima, & facilis, quanto minus ergo
Hæserit affectu? quæ maxima difficilísq;?
Quippe etiam multi mortali in corpore, Amoris
Lumine sese adeo summo iunxere Parenti,
Vt rerum imbiberent obliuia magna suarum,
Mutaret vigor, atq; obscœnos carceris atri
Desueti mores supera se luce fouerent.
His igitur primum meditatis, digna rependit
Dona deus: nobisq; sui commercia præstat,
Quantum acie ingenij fert cæca, infirmáq; moles,
Dum præsto sit certa fides, quæ lampada quasset.
Verum vbi sat tenuit diuina potentia mentem,
Nos adeo exiles illi æquiperemus, vt inde
Sit liquidum, nos esse nihil. nam si omnis olympi
Spiritus innumera libyæ quem haud æquet arena
Primáq; si cæli vertigo, orbésq; sequentes,

Atq; elementa, & ab illis quicquid vbiq; tenetur
Sunt flocci collata Deo. Quid homuncio erit? qui
Vix Atomus, si vastæ ausis componere terræ,
Quæ minima est elementorum. & si maxima cæli
Ad spatia spectes: nihil est, quod lite remota
Dispicimus, quoties pars cæli, oritúrve, caditve.
Ergo quid hac, animum rebus magis omnibus vnum
Insignem arctari, & fœde permittimus angi
Cõpede tã parua? Nãq; vt mittã quot mare partes,
Flumina quot teneant, quantum rapiant sibi campi
Torridáq; horrentésq; plagæ, quota portio nostri
Nunc habitata soli? quanuis habitabile fertur.
Quæ loca? quæ tempe? quas desolauimus vrbeis
Bellando? nec adhuc cessat furor, arma nouamus,
Externásq; acies in funera nostra ciemus.
Ecce recens hominum quot millia digladiantur
Vt sibi vel minimam magno cum sanguine partem
Accipiant, rectéq; sibi pars censeat actum.
Si vicina parum latitans demorderit arua
Legibus inuitis, & spreto nomine honesti
Cum licet ad Gades fines proferret ab Indis
Non sat haberet adhuc, quãdo improba crescit habẽdi
Ingluuies: tantóq; magis mortalia corda
Sollicitat, quanto plus haurit auara voluntas.
Vnde ille infelix vni dominarier orbi
Esse parum duxit, angustáq; mœnia mundi
Artifici obiecit, maioráq; regna poposcit.
Mens igitur non gnaua hominũ, cũ rebus inhæret
Vilibus, atq; extra sortem, nec fortis habenda

Corporeæ quoties nimis est obnoxia moli
Quæ putri credenda solo, pascendáq; fœdis
Vermibus, aut igne in cinerem vertenda rogali,
Quã premit hinc fœtor, rapit hinc mortalis egestas,
Quæ vel contempta potuit re matris in aluo
Deleri, aut paruo discrimine nata necari.
Multa quoq; eneruant firmissima corpora, diræ
Hinc inde assiliunt pestes, inopináq; iactant
Vulnera, & in medio feriunt lachrymabile risu.
Adde quot infestant mortalem incommoda vitam.
Quantus vbiq; labor, cui gens hominũ orta ferẽdo.
Sed quanquam à vitijs se mens humana coercet,
Dum tamen inseruit membris, multo angitur æstu:
Imperfecta animi vis est, & plena laboris,
Affectus praua à teneris in crimina pronus
Corporis, & mentis longo certata labore
Prælia, quæ nigra dirimat vix Atropos hora.
Pluráq; succurrunt, quæ multo examine cogunt
Proclamare hominem, bulla est & futilis vmbra,
Quam vitam falso mortales nomine dicunt.
Hinc mentẽ subeant, quæ munera, quantáq; nobis
Omnipotens dedit, atq; hic primum sensilis orbis
Quem pius humani generis formauit in vsum.
Nec pensanda minus structura inuisilis, vnde
Spes vna & requies mortalibus ante laborum:
Inde magisterium nostræ compagis, vt olim
Cesserit in Diuam tellus animata figuram.
Tum vastos pelagi tactus, soláq; ipsa regenda
Sumpserit, & nitidas mundi fœdarit habenas.

Hinc metire animum, qui parte potentior omni,
Quóve modo stygia sint cuncti à nocte redempti,
Quos grauis heu miseros Adæ culpauerat error
Nec tenui pretio, Domini sed morte redempti
Morte inq; infanda, cuius memor vsq; tremisco.
Nimirum silice, & duro prognata metallo
Stirps hominum, si dira potest ludibria siccis
Commeminisse genis, nullóq; referre vlulatu.
Heu sator astrorum, terræ dominatur, & vndæ,
Omnia qui solo potis est peruertere nutu
Vulnera sustinuit manibus quas ipse crearat,
Scilicet vt moriens hominis commissa piaret.
O' nimium nostros Genitor miserate labores,
Qui certam in morē natúmq;, simúlq; æternum
Vnigenam summo Christum demittis olympo
Quas tibi pro meritis reddant mortalia grates?
Non si quisq; hominum centena voce loquatur,
Fando æquet tua dona Pater. tibi maxima vis est,
Imbecilla homini: Sed quo tu maior, & ille
Est minor, omne tuum magis admirabile munus.
Ingratus tamen officij, ingratúsq; salutis
Sæpius offendit tristi tua numina noxa,
Maxima culpa quidē est, quando pro munere reddit
Contemptum, & sacri spernit pia dona lauacri.
Nitimur in vetitum, præcepta auertimus, vnde
Omne æuum recolet rediuiuus mentis amaror.
Atq; animi saltem magno cum vate canemus
Parce pater nostræ delicta oblite Iuuentæ.
Quæ regio in terris nostræ non conscia culpæ?

Quis viget in nobis multo ſine crimine ſenſus?
Quo genitorem adeo humana de ſtirpe merentem
Nos adeo ardentem, in pœnas non prouocat orbis?
Qui tamen vſqueadeo patiens, mitiſq; bonúſq;,
Longanimiſq; manet, magis vt miſereſcere nobis,
Quàm meritam ſtatuat pro crimine ſumere pœnam.
Cum non terra ſatis, ſatis vna dehiſceret orci
Spelunca, horrifico pœnarum exercita luctu.
Quare age diſcinctos ne flebilis occupet hora
Dauidicum ex imo repetamus pectore carmen.
Infirmi miſerere Pater, miſerere precantis.
Et tibi quæ pietas tot olenteis ablue ſordeis.
Tale diu ſtudium ſi menti, animóq; ſedebit,
Vt'q; decet, tete exacues, crebróq; laceſſes,
Quæ dominum ablegant, tria deteſtabere, mundum
Scilicet, atq; auidos ſenſus, Stygiúmq; furorem
Téq; ſuper ſcelerum qui maxima cauſa tuorum es.
Quo fit vt illa prius ſecreto in corde voluta
Non modo te iubeant curas, rerúmq; tuiq;
Ponere, ſed cogant odio execrarier acri.
Forte prius poteras tenuis contemnere vires
Ipſe tuas, Sed nondum odio conſtanter habere
In dominū: neq; enī te ingratū'q; malúmq; putaras.
Hic merito culpantur opes, tituliq; parentum
Atq; ea cuncta tuo quæ te abiunxere Tonanti,
Túq; adeo in primis, proprio qui ductus amore
A patre migraſti, inuadens deſerta viarum,
Nec vero hoc credas certæ rationis egere,
Simus vt ipſi odio nobis genioris amore.

Nanque & amare bonum, atque illi insudare iubemur,
Nostri autem cum causa boni sit maximus, ille
Author, & acceptum fas postulat omne referri.
At quicquid sceleris nos occupat, hoc mala nostræ
Mentis in exitium, genuitque, aluitque libido
Crimina: quæ vero sunt crimina, nemo amat vsquam.
Quo fit vt ipsum odium nostri vice surgat amoris,
Quem poscens veniã in Dominũ mens dirigat Ethræ
Vnus qui nobis, sine more, est semper amandus,
Omniáque ipsius causa: nam congrua res est
Vt nos atque alios odióque, & amore sequamur.
Si accessum ad regem perpenderis, atque recessum,
Tum bona, tum mala, cũ si perscrutaberis æque,
Quæ tua sint, nihil esse in te, nisi crimina, dices.
Quare humilis tandem fies, positóque furore
Euomet ingenitum captiua superbia virus.
Mox reddes, tribuésque Deo, quod nunc micat in te,
Quippe Dei est: neque cui ex nobis quicquam eẽ putemus,
Sed vigor ex illo infertur mortalibus, vnde
Si quid iure suum quisque sibi vendicat, illud
In se crimen habet, quod patrat iniqua voluntas,
Hoc vero vt sæuum, gnaui insectabimur hostem.
Protinus vnde prius digressi adeamus olympũ,
Nanque malum est odisse, pio nisi fiat amore.
Quare omni studio iam mens vertatur in ipsum
Nostra Deum, séque oblectans vestigia firmet,
Vsqueadeo prouecta, gradum hunc vt noscere nemo
Possit inexpertus, vel fari expertus abunde.
Hic rea votorum, & molis secura caducæ,

At ſordes oblita ſuas, diuináqꝫ dona,
Réſqꝫ omnis in ſolo hæret defixa Tonante,
Æternóqꝫ inſerta ſinu, voce inquit ouanti
Cum nupta in thalamum me Rex perduxit, odoris
Nunc age me fulcite roſis, ſtipatéqꝫ malis:
Vrit amor, læua eſt capiti ſuppoſta, fouet me
Dextera, quæ totum mortalibus extudit orbem.
Hæc igitur mentem noctéſqꝫ diéſqꝫ recurſent
Digeſta in numerum, obtutúqꝫ videnda ſub vno
Vt ſcelera abſcedant, curíſqꝫ exuta malignis
Pectora, victuros cæli meditentur honores:
Nóſqꝫ polo Deus adijciat tot triſtia paſſos
Poſt longa exilia, & vitæ tot fluctibus actis.

HERCVLIS STROZAE TITI FILII VENATIO AD DIVAM LVCRETIAM BORGIAM FERRARIAE DVCEM.

Actenus aut Elegos humili quas Sãdalus vnda
h
Serpit, & illabens fuluas humectat arenas,
Aut vbi deiectum curru Phaëtonta paterno
Excepit gremio Eridanus, maioribus orſis
Acta virum cecini. Nunc luſtra per alta vagari
Eſt animus, cornúqꝫ feras excire ſonanti,
Venantúmqꝫ acies belli ſimulacra referre,

Mox auidum tentare Iubam, atq; horrentia Martis
Agmina. Tu citharæ, & flexi simul arbiter arcus
Phœbe mone, ac forti mecum auia cinge Molosso.
Tuq; adsis mihi virginibus comes addita Musis
Borgiadum decus, in tenui quoq; gloria, Si non
Aspernata meos edera dignabere crineis.
Dũ mouet Hercynios, famulãtémq; excitat Arcton
Carolus, & latias bellum meditatur ad vrbeis,
Ne terat interea sub inerti tempora luxu,
Venatum iubet Aurora surgente parari.
Quo permota sono fremit arma, canésq; iuuentus,
Et lætam magnis implet clamoribus vrbem.
Vix medios cursus nox intempesta secabat,
Ærea cum longo sonuerunt cornua cantu.
Exurgunt stratis iuuenes, celerésq; reuisunt
Cornipedes, adsunt nitidi in præsepibus altis,
Tollentes capita, & plausum rectoris amantes,
Tum famuli accelerant, pulchrisq; tapetibus armos
Insternunt, adhibéntq; ferocibus aurea frena.
Nec non turba canum blandita vocantibus astat
Hinc illinc dominis, illi omneis nomine poscunt,
Aureáq; intendunt hirsuto vincula collo
Attrectántq; manu placidos, præsagáq; laudum
Verba serunt, pars æratis venabula nodis
Expediunt, arcúsq; parant, impléntq; pharetras
Missilibus, pars rara suis cum retia pilis
Agglomerant cupidi syluarum, aptántq; ferendo.
Interea veniens extremo Phœbus ab orbe
Reddiderat mundóq; diem, rebúsq; colorem.

Atq; illi ad regem ſeſe, ſuáq; arma ferebant.
Forte aderāt, patria ex alta, atq; inſubribus aruis,
Eridaniq; ſolo, magni qui nomine Mauri
Fœdera percuſſum exierant, Galeatius, atq;
Nicoleos, ambo inſignes, ambóq; potentes
Militiæq;, domiq;, Ducis gener ille, decúſq;
Sanſeuerinorum, hic comptus peneide crinem,
Corrigium extollit, placidáq; in pace gubernat,
Venerat & ſuper hos Italum delecta iuuentus
Viſendi ſtudio Regem, genteiſq; comatas.
Dux erat Hippolyt9, pulchro ſat9 Hercule, pulcher
Hippolytus, quem fata vocant, cui Iuppiter olim
Pontificale decus, Romanámq; annuit arcem.
Non hic purpurei manifeſtus honore galeri,
Sed ſagulo in viridi cunctis incognitus ibat,
Et thracum de more habilem ſuccinxerat enſem
Venator, tulerátq; leuem cum cuſpide fagum
Acer equo præ ſéq; latens decus ore ferebat.
Vt, licet humanos ſuperum pater induat artus,
Diuinę ſtat frontis honor, fulgétq; repoſtum
Numen, & ambroſium late diffundit odorem.
Hiq; viam ſimul accelerant ſtipante caterua
Magnanimum heroum, cunctos Galeatius anteit
Puniceam chlamydem limbo circundatus aureo,
Quem geticus portat ſonipes ſinuantia crura
Sublata ceruice ferens, Argentea rufæ
Per terga excurrunt maculæ, niueóſq; per armos,
Summáq; conuertit bicolor veſtigia cauda.
Proximus huic conſpectus equo Phœbeius ibat

Nicoleos, cui passa humeris coma concolor auro,
Pendet ebur tergo, quod vasto exemerat hosti
Venator libycus, doctóq; foratile Gilno
Ornandum dederat, multo inde coemerat auro
Borsius, insubrúmq; duci donarat habendum.
Munera at hic alia vnanimi dum stipat amico,
Cessit idem dono, quo non errantibus vllum
Nobilius signum canibus. tremit alta sonore
Sylua, & saxosis rapidi in conuallibus amnes.
Ventum erat ad valuas, quæ Regis in atria ducũt
Vndiq; conueniunt sub tempora veris adulti
Pastorum tepido in tecto mulctraria circum
Densa, velut coëunt volitantum examina dulci
Oblectata cibo. iam summa luce paratus
Progreditur magna procerum comitante corona
Carolus, & placido circunspicit agmina vultu.
Irradians gemmis it summo pectore torques
Aureus, atq; humeris clarum partitur honorem.
Magnus honor capiti geminus procul enitet ordo
Baccarum, hinc adamas fuluo suspenditur auro
Candidus inde micat gemmæ Garamantidos ignis.
Tum celeri consedit equo, quem fudit ad austrum
Callaica occiduo conceptum flamine mater:
Nigricat, & pressa latus omne nigredine fulget,
Frons tenui distincta albo, quáq; vngula cornu
Terminat, atq; pedis solidat vestigia leui,
Candida se tereti subnectit fascia circlo,
Aurea per mediam colludunt vellera frontem,
Setigeróq; labant demissa monilia collo.

Hæc quoties cursu genitalem prouocat auram,
Conuolitant, blandósque serunt per pectora lusus,
Ille secat campos fugiens, it segnior alis
Eurúsque, Zephyrúsque, & missum fulmen olympo.
Hūc grege de patrio diuersa per æquora vexit
Alipedum Tessyra Bonus Nutritor equorum
Musarum Decus, & gemini noua gloria iuris:
Hócque fluentinæ tulit aurea præmia palmæ,
Dum veterem Romæ molē, & regna Itala visit,
Post & equum, & meritos Regi donarat honores.
Talis apud Rhodopen exuta casside Mauors
Bellona cessante leueis per deuia ceruos
Sollicitare parat. commisti limina circum
Edoni, Bessique fremunt, Mysique, Getæque,
Ipse fatigat equum, sparsámque ex ordine querna
Stringit fronde comam fingens, auróque coronat.
Huic comes à læua Hispano de sanguine Cesar
Ille, nouum terris decus, & noua cura deorum
Borgia, qui Gallæ thalamo deuinctus honoro
Coniugis, Italia gelidas aduerterat oras,
Dextro innisum humero, læuum procūbit in armum
Tortile per seriem nodis fulgentibus aurum,
Pectore de medio pendens insigne paternum
Cornibus auratis lucet bos gemmeus, instar
Stellæ autumnalis, vitreo quæ lota resurgit
Oceano, ante alias cælo admiranda sereno.
Ipse acer stimulis leuiter primam incitat iram
Quadrupedis, facilique in gyrum versat habena,
Mox agit in furias mandentem frena, neque vllos

Dignantem Domini motus, iam ſe altus in auras
Tollit equus, circúmq; affuſum diſilit agmen.
Sic in amiclæa cum ſe exerceret arena
Tindarides, nunc huc, nunc leua obuerterat illuc
Cyllaron inſultantem aruis, flammáſq; vomentem
Naribus, ad ſaltus iterabant vota lacænæ.
It portis armata phalanx iaculiſq;, plagiſq;,
Ille ſuum hortatur comitem, fandóq; coarctat
Interualla viæ, lætum hi pæana canentes
Magnanimos memorant heroas, & inclyta Franci
Geſta antenorei. præcedit odora canum vis,
Inde armillati ſubeunt longo ordine Beſſi,
Villoſiq; Getæ, atq; exilia crura Lacones
Succincti, & magna ſpectandi mole Britani.
Aſchetos ante alios forma præſtantior ibat,
Cum Lycus immenſum metitus lumine corpus,
Vadentem ſimul his compellat vocibus Argum,
Cuſtodémq; canum, vaſtatorémq; ferarum.
Arge, quis hunc primum noſtras perduxit in oras?
Non equidem tantam memini me cernere molem.
Dixerat, ille ſubit, dapibus cum forte remotis,
Luſus, & heſternas cepiſſent otia menſas,
Incola maſſyliæ feras ſcrutatus, & indos
Munificum ad regem merces aduexit eoas.
Tum ſimul Albanus, cano de vertice genti
Nomen, Iaſonia qui ſeſe ſtirpe ferebat,
Inſignem millo, & fuluo thorace rigentem,
Tollentem argutas aureis, & torua tuentem.
Donat habere canem congreſſum ſæpe ſub altis

Rupibus aut vrſo, aut horrenda mole leoni:
Aſcheton hunc ideo dixere, quod ærea iam non
Vincula, non ipſi poſſent retinere magiſtri.
Terrificos membrorum artus, hirſutáq; colla,
Immenſúmq; caput, denteis'q; vtrinq; minaces
Miratur, gratóq; refert ita Carolus ore.
Charius haud poteras, aut opportunius vllum
Munus ferre mihi. nam cum lux craſtina cælo
Fulſerit, vmbroſis meditamur ſaltibus arma.
Tu ſimul accedas noſtris venatibus hoſpes.
Ille ſub hæc, veniam quo me Rex cunq; vocabis.
Atq; vtinam primo aſpiret fortuna labori,
Nam ſi aliqua è ſyluis ſeſe fera nobilis altis
Offeret, & campo bellum committet aperto,
(Degeneris neq; enim lætatur ſanguine prædæ)
Vim canis egregiam, atq; acreis mirabere pugnas.
Vidimus aſſuetos inter deſerta ferarum
Nequicquam immaneis iraſci in cornua tauros.
Sternere ludus apros, nec totam excandet in iram,
Si rigidis pugnent informes vnguibus vrſi.
Gaudet atrox magni fremitum ſi forte leonis
Audiat, & celeri rapitur per deuia curſu,
Ac formidando metuendus obambulat hoſti,
Villoſæ donec ceruici adniſus inhæret,
Sanguineáq; feram morientem extendit arena.
Acrius exultans vaſtos in prælia Barros
Prouocat, & tantam (dictu mirabile) molem
Sternit, at ingentem procumbens illa ruinam
Per dumoſa trahit, barritu teſqua ſonoro

Dissultant, gliscitq; grauis venantibus horror.
Talia iactantem phrygio Rex donat amictu,
Quem Philoë intexto circùm depinxit Acantho,
Santonicas inter Philoë doctissima matres.
Addit equos, patriáq; insigneis arte cateias,
Scutáq;, & auratis sinnosis cornibus arcum,
Tum grauidam telis Inuli de pelle pharetram,
Quam bonus Eurimedon maculis distinxit, & auro,
Quáque humeris arctatur onus, nitet aurea longe
Fibula lucentis stellata ardore pyropi.
Et nunc ille nouo graditur spectandus honore.
Aspice quantus eat, quàm sese ostentet in armis.
Nēpe hodie hos animos, atq; has spectabimus arteis.
Hæc illi inter se alternant, dum feruida cęptum
Haurit iter pubes, nemoriq; aduentat opaco.
Est sylua, Hercyniam nostri dixere, ferarum
Hinc illinc stabula alta horrent vastiq; recessus,
Nulla sagittiferæ dilectior ora Dianæ.
Fama est indigenis sub prima crepuscula Diuæ
Vocem exaudiri, rarúmq; per auia cornu,
Monstráq; vicinos ferri confossa per agros,
Mortales quæ non ausint incessere dextræ.
Hinc adeo vt maneant longum indeprēsa per æuū
Deuia, & extremis fugiat venator ab vmbris.
Itur in hanc tacite, sua quisq; ad munera læti.
Pars circum tendunt casseis, pars callis opaci
Armati obsidunt fauces, pars æquora campi
Obseruant in equis, vigiliq; indagine saltus
Circundant, acreisq; tenent ad vincla Molossos.

Hi postquam subiere nemus, per lustra sagacem
Immisere manum, bona naribus Heuresiichne
Huc illuc volat, & vestigia captat odore;
Seclàq; latratu sequitur deprensa ferarum.
Proximus huic qui matre alia, patre cretus eodem
Osphranus informis rictu, verum inter odoros
Fama canes, ciet è latebris, vulpésq; dolosas,
Carnivoròsq; lupos, pavidiq; cubilia Damæ
Destituunt cursu, glomeratòq; agmine cervi
Persultant campum trepidi formidine pennæ,
Pars ruit in laqueos, levibus pars incita bessis
Præcipitat, Zephyri aura sequens vestigia verrit.
Hic primus fœtam iaculo transverberat ursam
Carolus, informis cecidit de vulnere partus,
Volvitur ipsa solo moriens, telúmq; momordit.
Ast socij clamorem ingentem ad sidera tollunt
Lætati augurio, regémq;, ménq; salutant.
Maxima dein prædæ cædes exorta ferinæ.
Theragus, Ocypete, Thoissa, Melæna, Cylindus,
Chætodésq; hirtus setis, domitórq; ferarum
Theridamas, velóxq; Lagois, & ocyor illa
Protodromus, longóq; legens compendia passu
Macrobates, Leucónq; rapaci & cũ Harpage Therõ
Exuti vinclis simul emicuere, simúlq;
Dant magnam sylvis stragem, passimq; lupi ceu
Discurrunt, ubi vere novo pascentia late
Prospiciunt armenta vagari libera campis.
Excipit incautam, dum prospicit anxia natis,
Obtruncátq; lupam graia de stirpe Marullus

Musarum comes egregius, cantórq; Deorum.
Nec mora, mœrenteis materna morte gemellos
Insequitur cursu, & vinclis circunligat ambos.
Stabat Aprũ cõtra venientem obnisus Amyntas,
Defixúsq; solo nodis, ferróq; rigentem
Nequicquam intrepidus palmis obstrinxerat hastã.
Sed neq; fulmineam subsistit robur ad iram,
Nec iuuenis titubata solo vestigia sidunt.
Labitur infelix, subit ira feruidus hostis
Labentem: immani sed non contingere corpus
Dente valet, primámq; rapit de pectore vestem.
Ecce lacessitum telo, pugnásq; cientem
Respicit Hippolytus, nec casus terret Amyntæ.
Vt celerem stimulabat equum, sic comminus hasta
Irruit in monstrum, fagi pars altera fronti
Figitur, it tenueis pars altera scissa per auras.
Hoc magis ignescunt iræ, fatisq; propinquis
Vexatus: mouet arma furor, sic fossus, & hastam
Fronte gerens Heroa petit, di nostra tuentes
Præsidia, incœptos in equum vertere furores.
Occupat huic pectus, tum dẽtibus occupat aluum,
Visceribúsq; truci latam dedit ore fenestram.
Stat tamen ad vulnus sonipes, sed strenuus Heros
Effuso meritas sumens pro sanguine pœnas
Ensem adigit, quà sunt hirti confinia colli
Frangitur, & tandem moriens procumbit humi Sus.
Iámq; canes alium excierant de sentibus Aprum,
Quem circùm glomerati omnes crebra vndiq; tela
Fundere, & audaces fremitu instigare Britanos.

Sed Venetum decus, infanti cui pectus Apollo
Impleuit, triplicémq; dedit Tritonia linguam.
Bembus in aduersum iaculatur missile dextra,
Quod male tardatum calloso tegmine pectus
Transadijt, letiq; vias in corde reclusit,
Auulsúmq; caput triuiæ, tibi Phœbe dicauit
Spicula, & æterno sacrauit carmine dona.
At Thebaldeus syluæ scius, & scius artis
Pieriæ, Phœbo, & Phœbæ gratissimus æque,
Multiparámq; suem iaculo, iaculóq; fugacem
Sternit humi ceruam, quas tu Borgete citaras
Nare sagax, forma insignis, tua munera Borges,
Borges quo tellus Hispana superbit alumno,
Borges cui triplicem fata inuidere coronam.
Mox & Pontanus, quo non præstantior alter
Ferre volutabris tacito vestigia gressu,
Et præpilatas succis armare sagittas,
Saltibus in medijs tollentem cornua ceruum
Aspexit latitans, amentáq; lorea torsit.
Hasta volat, geminúmq; simul cit vincta furorem,
Sic flammas, vulnúsq; ferunt contorta rubenti
Tela Iouis dextra, fossus consumitur igne
Ceus, & ardentes apparent vulnere fibræ.
Ille actus stimulis, in aperta pericula fertur.
Non celeres tardant Cressæ, nō obuia terrent
Spicula: tantus inest dolor ossibus, expulit omnem
Mors vicina metum, prospexit ab aggere prædam
Stroccius, atq; citum alipedem calcaribus egit,
Quanquam æuo pridem grauis, imbellísq; senecta,

Dúmq; per obliquum campo insectatur aperto,
Qualis hyperboreus celerem de nube columbam
Accipiter superinstat agens, propriórq; fugaci
Fit magis, atq; magis: iamq; huc, iamq; exigit illuc
Alarum ad sonitum trepidantem, & sæua pauẽtem,
Consequitur fugientem, ensémq; impingit adactum
Vitaleis inter nexus, Sedéinq; cerebri,
Atq; vno geminum perfringit vulnere cornu.
Sternitur ille solo moriens: per inane feruntur
Cornua, conclamant omnes, viridémq; senectam
Laudibus attollunt pariter, paritérq; recensent,
Æternos cecinit quos ille imberbis amores,
Pastorúmq; super curas, Borsóq; dicatum
Carmen, Atestinam referens ab origine gentem.
Progreditur crudus senior venatibus olim
Insignis, cum prima animo vim præbuit ætas,
Cana virent circũm longæuæ tempora lauri.
Hic præstans animi, & facundo maximus ore
Timotheus, Siue ille iocos, seu seria dicat,
Pieridum addictus studijs, addictus amori,
Prospicit errantem spatiosa per æquora Damam,
Consequitúrq; celer, sed cum iam prendere posset,
Non vetat elabi, qualis Gangetica tigris
Quam neq; progenies, neq; amor compellit edendi,
Si capream, aut leporem medijs intercipit aruis,
Colludit, pauidúmq; leui nunc destinat vngue,
Nunc spatium sinit esse fugæ, quãtum ipsa volãdo
Exuperare queat, trepidúmq; immota parumper,
Et prona obseruat, rapido mox concita cursu

Insequitur iam, iámq; tenet, gaudétq; sequendo.
Corripuit tandem fessam, vinclisq; ligauit.
Tu quoq; par Phœbo forma, & par Pice sagittis,
Párq; lyra, rerúmq; potens cognoscere causas,
Albenti cinctus vitta, lauróq; vagaris
Per saltus, sternísq; feras, nunc callidus arcu
Figere, nunc celeri validus præuertere cursu.
Quo te cunq; rapis tua per vestigia fertur
Franciscus de fratre nepos, & suggerit arma.
Maximus interea villis horrentibus vrsus
Prosilijt. fortémq; Lyam, fortémq; Gerastum
Purpureas prima inspersos lanugine malas,
Quos vno geminos Rheni propè flumina partu
Sequanis hesperio Nympha est enixa Phiotæ,
Sternit humi, simul vlna immani amplexus vtrũq;
Occupat os mentúmq; Lyæ, Sed terga Gerasto.
Alter enim in faciem, resupinus concidit alter.
Vidit, & ingemuit casu percussus acerbo
Cæsar, agens celerem nemora inter frondea ceruum.
Linquis anhelantem, & cursu iam præpete victum
Macte animo iuuenis, læuia hæc, fortiq; putasti
Contemnenda viro, gaudens ingentibus ausis.
Tempus erit quo te Gallos sub iura togatos,
Bisq; acreis vrgentem Vmbros, latióq; frementem
Bella canam, atq; alijs accingam sedulus armis.
Accipe nunc haud magna tuæ præludia laudis.
Quadrupedãtem arrectũ aureis, mõstróq; pauẽtem
Commẽdat Remulo, & vastum pedes exit in hostẽ.
Non Galea, non ille quidem thorace, neq; vllis

Vallatur canibus: Sed térq;, quatérq; plicatam
Inuoluit læuæ chlamydem, dextrámq; dolone
Armat, & horrendam vasto subit impete molem.
Intorsit caput infrendens, & lumine toruo
Prospiciens contrà venientem Heroa, reliquit
Semianimeis, villis tabo fluit, hirtáq; tetrum
Per terram passim despumant ora cruorem.
Ipse bipes ferus ingreditur, pugnámq; lacessit
Arduus, & vastos pandit deformis hiatus.
At non immani rictu perterritus Heros,
Vnguibus aut rigidis, læuam catus obtulit hosti,
Ille inhians rapit oblatam, ceu guttura pandens
Corripit obiectam custos plutonius offam.
Nec mora, quin caput inualidum transuerberet ictu
Bellator, vulnúsq; iteret, dum victa fatiscat
Bellua, terrificum tellus dedit icta fragorem,
Quantus nubiferi iuga personat Apennini,
Dum cadit, aut excisa suis radicibus ingens
Fraxinus, aut quercus ferro exturbata bipenni.
Ad sonitum prior ora Lyas truncatus, & atro
Sanguine deformis caput extulit, inde Gerastus
Voluitur, atq; oculos dubitata in sidera flectit.
Quos victor pariter verbis solatur amicis,
Qui vos tam misere casus tulit? heu tua virtus
Quò cessit laudate Lya? laudate Geraste
Quóve tua? & vestro fugiens inuidit honori?
Sed reuocate animos, nec vos timor angat inerteis.
Ille quidem facti pœnas dedit, occidit hostis.
Occidit hoc nostro ferro, nostróq; labore

Fusus humi. Simul ora Lyæ miseratur, at illis
Forte superueniens absterſit vulnera lymphis
Herbarum, medicæq; potens Epidaurius artis
Pharmacero taleis Regem comitatus in vsus.
Ergo alios subit in saltus, Syluámq; peragrat
Fretus equo, Iaculóq;, animisq;, & viribus Heros.
Est fera, cui geminas media de fronte per aureis
Tollitur excelsum ramoso vertice cornu,
Ipsa bouis, noménq; refert, ceruiq; figuram.
Hanc fremitu excitam lustris, spatióq; patenti
Fidentem, sonitúmq; canum procul accipientem,
Sanseuerinus apro repetit dum castra perempto
Transmittens campum longe videt, ac celer acri
Vrget equo, volat illa fugax, mediúmq; per æquor
Instantem eludit, vulnúsq; citatior exit.
Difficilis dat palma animos, nunquámq; latinis
Aspectum monstrum in syluis premit, acrius armos
Quadrupedis, tum lora manu leniore remittit.
At simul vndanteis collo præsensit habenas,
Præuolat, & rapido Geta concitus ocyor euro.
Non sinit esse moram iactu, pressisq; feroci
Ore lupis celeri præuertit vota meatu.
Hic mutata fugæ species, sequitúrq; sequentem
Bellua venantum longis clamoribus acta.
At vultu exardet iuuenis pudor, iráq; mentem
Sollicitat, partúmq; rapi indignatur honorem.
Non decoris tamen ille sui est oblitus, & artis.
Fertur, & obuerso iaculatur pectore telum,
Qualis Achæmenius totis obnisus habenis

Dum fugit, instanteis à tergo vulnerat hosteis
Egregiam felix artem fortuna secuta est.
It summæ iaculum fronti, paulúmq; recline
Imprimitur, durisq; tenaciter ossibus hæret.
Naturæ alludit casus prodire videtur
Alterum in oblongum cornu, Summóq; minari
Sæuius aduersis, frontémq; armare rigentem.
Non tamen hoc fractæ vires, subit intima nondum
Corda dolor, primúsq; rapit molem impetus ægram.
Mugitu nemus omne replet, tabóq; fluenti
Sanguineos infecta oculos intra inuia lustra
Præcipiti refugit cursu, velut ictus herile
In tectum exululans canis aduolat. Ecce priusquam
Syluam ineat lustris egressa horrentibus Alce,
Alce, cui nimio tenduntur crura rigore,
Quo nunquam cubat, & si casu concidit vllo
Ne quicquam rigido consurgere poplite tentat.
It contrà, angusto teritur quà semita calle.
At fera, cui miseræ caligat lumina circùm
Sanguinis vndantis nubes, quod fronte gerebat
Obiectat clemens telum dum currit, & vrget
Implicitam, Sternitq; solo, super ipsa secuta.
Tum demum in faciem iaculo sese angit acuto,
Sic vbi vtrinq; acies rauci canor incitat æris
Suffossi labuntur equi: aut si forte virum vir
Impetat, affligunt sese, proniq; feruntur
In caput, excussis franguntur crura magistris.
Iam domito exultabat equo, victórq; secabat
Rectum iter ad Syluam, quà semita fœda cruore,

Cum dextra procul instratam simul aspicit Alcen,
Semianimémque bouem, ac prædam miratur opimã,
Desiliénsque ab equo, fulgentis cingula baltei
Exuit, atque Alcen nodis stringentibus arctat.
Tum laqueum annectit dumis, pauet illa, tremitque
Distinctos maculis artus, nec vincla recusat.
Quid faciat? qua vi imbellis prostrata repugnet?
Deinde bouem celer aggreditur conamine toto
Singultantem animam, & suspiria fœda trahentem,
Miratúrque feram, telúmque à fronte reuellit.
Cornigerúmque agilis fuluo caput amputat ense,
Vno, eodémque ictu, abscissúmque reponit in herba:
Inde ensem abstersum vagina collocat aurea.
Quáque innituntur vestigia, dum premit altus,
Quadrupedem vinclis luctantem subligat Alcen,
Haud alibi anseribúsque gruibúsque ingentibus Auceps
Accipitre exitium indicens ligat auxiliaris
Colla canis vinclo, telum inde, capútque resumit,
Alipedémque leuis saltu superinsilit altum.
Ut primum emergit, cuncti admirantur onustum.
Læua tenet frenum & iaculum, tenet altera cornu,
Vnde ingens dependet onus, porrectáque vastæ
Ora feræ, tetro manans de gutture sanguis
Purpurea virideis sanie super inficit herbas.
Cornipedis lateri nunc æquis passibus hæret.
Nunc furit atque via mediam sese implicat Alce.
Nunc domini inuito sequitur vestigia gressu.
Non secus è pastu lunata fronte Iuuencus,
Innumerus quem pastor agit, nunc tendere contrà

Nititur, ingenti reuocatus voce parentis,
Nunc furijs, stimulisq; prior defertur, at illi
In diuersa trahunt, medióq; insistere cogunt.
Vndiq; concurrunt Galli, mistiq; Latini,
Ignari num capta plagis, deprensáve cursu,
Aut subter cæsa latus inclinauerit orno.
Iam prædam ostentat Regi, fruitúrq; triumpho
Victor, & vnde sibi fuerit victoria, narrat,
Cum circum astantis strepitu fera territa vulgi
Nititur, & magnis labefactat viribs aurum.
Nec mora, vi fusis elabitur incita vinclis.
Et vix tacta secat pernicibus æquora plantis.
Ilicet emicuere omnes, cursúq; citato
Discurrunt, magnóq; feram clamore sequuntur.
Vt medio in campo populatum armenta coloni
Si videre lupum, sudibus metuenda præustis,
Horridáq; in iaculis diuersa ex parte feruntur
Agmina, & immanem Cressæ accenduntur in hostē.
Conclamant, quærúntq; aditus occludere, at ille
Fert caudam pauitátem vtero, fallitq; sequēteis.
Corripiunt campi spatia, & certamine magno
Obnisi dant lora, nec instant verbere tantum,
Voce cient animos, Spes vireis cuiq; ministrat.
Qualis vbi Eleo de càrcere plurimus exit
Certatim Sonipes, spe laudum accensa iuuentus
Feruenti stat prona iugo, tortóq; flagello
Increpat. hinc iræ exurgunt, hinc æmula virtus
Angit equos, se quisq; acuit, volat æreus axis.
Nec minus inter se videas decernere cursu

Frustrato sudore canes, procul illa sequenteis
Deserit, & celeri fallit secura recursu.
Pardalus, & Tygris, thressa hæc, gortynius ille,
Ambo animis, cursúq; pares, postrema tenebant.
Quos piger extremos Areoste emittis, ademptã
Dum tibi Pasiphilen turpi indignaris ab Hemo,
Diuisúsq; alio mentem, committere tristeis
Intempestiuis elegis meditaris amores.
At fera dum medios redit indeprensa per hostes,
Anteuolant, Signóq; pari vestigia figunt.
Sustentata diu hæc facies cursu, atq; recursu,
Et fors magna pares quæsissent nomina tandem,
Ni miseros vna fatum exitiale tulisset.
Forte ingens querno stabat de robore truncus,
Quem carie exesum violentior abscidit Eurus.
Vix illum præterfugiens elabitur Alce,
Atq; adeo hirsutum perstrinxit stipite corpus.
Incumbunt illi propius, fatisq; malignis
Obnisus trunco sese collidit vterque:
Ceu medio in ponto geminæ si forte carinæ
Cæca in saxa ruant: inflictæ turbine vasto
Soluuntur, fractisque iacent per littora tonsis.
Haud procul vrgebat stimulis Areostus anhelum
Cornipedem, vireisque canum clamore ciebat.
Vt vero aspexit sæua in discrimina lapsos
Desilit, & taleis lachrymans agit ore querelas.
Húncne igitur video te Pardale? sic mea Tygri
Commiseranda iaces? quis vos Deus abstulit Argo?
Vósne illi quondam, vastatorésque ferarum,

Custodésque mei, quos non labor improbus vnquam,
Non sæuæ domuere feræ, non impetus vndæ?
Saltem si alterutri parsissent impia fata,
Hoc tristem alterius minuam solamine luctum.
Sic ait, atque torum ambobus substernit in herba.
Haud aliter mœrens sese armentarius Afer
Questibus exercet, nocturna strage Leones
Cui geminas sæui heu misero rapuere iuuencas,
Spem magnam armenti, flet per deserta, suámque
Conqueritur sortem, atque amissas nomine syluis
Sæpe vocat, mœstúmque iubet mugire iuuencos.
Euolat interea canibus fera læta relictis,
It'que atram in syluam magni secura pericli.
Nondum tuta tamen. Dimouerat agmine ceruum
Nicoleos, captúmque manu, vinctúmque trahebat.
At simul ac noua forma feræ sese obtulit illi,
Captiuum Agyalo committit, & expedit arcum
Gnosiaci Phorbantis opus, telúmque pharetra
Depromit, tulerat pharetrámque, arcúmque sonãtem,
Atque humeris Domini in syluis aptarat Alethes,
Quod simul imposuit neruo, speculatus apertum
Mortis iter, qua parte feram defigat, Apollo.
Sis felix & fautor aui si digna quotannis
Liba tibi dedimus, niueisque litauimus agnis.
Dixerat, & neruo impellit stridente sagittam.
Illa volat, fibrásque altum letalis hianteis
Transadijt, cordisque imis in sedibus hæsit.
Hæc ita dum syluæ lata in conualle geruntur,
Concursus, strepitúsque ingens equitúmque, canúmque,

Exoritur, multiq; pauent, retróq; residunt.
Nanq; adeo immanis perfractis retibus Vrus
Infertur campo, atq; audentem comminus arma
Stringere, & his quondam assuetū venatibus Acrin,
Plurima qui tulerat germanis cornua mensis
Clamore ingenti contrà, ferróq; ruentem
Sustulit, & gemino iactauit in aëra cornu
Sublatum, exceptam rabida sic feruidus ira
Tollit in astra pilam taurus, cui suscitat acreis
Pinea thæda animos, puerorúmq; agmina longè
Præpetibus torquent stimulis, miser ille ruinam
Ex alto trahit, & comitem penè opprimit Alcum.
Perfurit inde ferox, mugitúq; omnia rauco
Complet, & occursu densum Vrus fertur in agmen
Torrenti similis fluuio, quem magna, repénsq;
Nimborum alluuies exauxerat: ille solutus
Impete præcipiti, non ripa, aut aggere sueto
Se cohibet, sed & illa ferens, ipsósq; resoluens
Ponteis, & lætas segetes, & pinguia late
Deuastat culta, heu miseris ploranda colonis.
Sternit Athū, Ligerūq;, Thoūq; Armōtáq; Gallos
Præter Athum hesperiæ genitū sub vertice Calpes.
Necnon oppositum duro petit Enthea cornu,
Et geminas imo effringit sub pectore costas
Pardus ad hæc genitrice lacon, genitore molossus,
Non extrema canum fama, & spes acris opunti,
Sese acuit, vastúmq; lacessit morsibus hostem:
Nunc femori infestus, nunc clunibus, & licet ille
Irruat aduersus, cursu tamen ipse citato

Posteriora celer subit, & diuellicat ore.
Tum fera nil metuens, horrenda fronte minatur,
Séq; rotat, cornúq; petit, spirátq; cruentum,
Ac velut Ætola depastus arundine, circùm
Si strepuere canes, resides exasperat iras,
Et setis horrescit aper, validúsq; resistit
Fulmineo nunc dente ruens, nunc fronte minaci
Digrediens in terga, obuersum ne premat hostis,
Haud aliter Pardi stimulis fremit actus in orbem
Vrus, & in se omnem pugnando colligit iram
Cornibus obluctans, ruit arma hostilia contrà,
Et miserum audaces temnentem infigere morsus
Excipit intendens vireis, squamámq; trilicem
Perforat, atq; ingens agit in præcordia vulnus.
Sternitur ille gemens miserandum, & lumine toruo
Quò licet insequitur, vitámq; effundit in hostem.
Stabat adhuc, Vrúmq; magis sæuire volebat
Albanus, maiora suus quo nomina miles
Quæreret, & raro spolia ampla referret honore.
Non tulit infrendens rictus immanis hiatu
Aschetos, inuitum traxit per iniqua magistrum,
Areáq; ingentis perfregit vincla catenæ.
Tum sese obuertit strepitu fera territa magno,
Et formidando ruit obuia cornibus hosti
Demens, quæ potuit specubus latitare sub altis
Tutius, & tanto non se committere marti.
Vt primũ hãc rabiẽ videt Aschetos, omne receptat
Acrior ad pugnam robur, gaudétq; furentem
Ire animis contrà, maioráq; prælia mallet.

Iam nimiæ increſcunt vtrinq; aſſultibus iræ.
Hic cornu petit, hic morſu, fronte irritus alter
Dimicat, alter agit non irrita vulnera dente.
Spectanteis nouus horror habet, vireisq; animósq;
Hinc inde admirantur, opémq; afferre laborant.
At procul Albanus proclamat hyantius ore,
Præpediántq; canes vinclis, pugnáq; faceſſant.
Non ſecus, ac iuſſi, efficiunt, tacitiq; reſiſtunt,
Quales obtentu nemorum, aut ceſſa ilice tuti
Paſtores libyæ certamina ſæua draconum
Longius explorant viſu, metuúntq; tuentes
Sanguineas criſtas, ſuffectáq; lumina flammis:
Aſt illi triplicem exertant per ſibila linguam,
Séq; rotant ſpiris, agitantq; in verbera caudas.
Haud mora longa, feram morſu, gyróq; fatigat,
Iámq; fatigatæ ſaliens læuam Aſchetos aurem
Mordicus apprẽdit, dextrúmq; ſuperuolat armum,
Obniſúſq; trahit, donec immania membra
Sternat humi, victórq; ſuper deſæuiat hoſtem.
Mugijt horrendum, & vaſtam dedit acta ruinam
Bellua: tum moriens veſtigia verſa ſuperne
Dimouet, & tenueis nequicquam verberat auras.
Protinus accurrit, iugulóq; Ablanus inhærens
Impingit lato venabula myrtea ferro
Faucibus exectis toto cum ſanguine vita
Effluit, & late tellus tepefacta cruore eſt.
Ecce autem medijs ſonus è conuallibus ingens
Auditur, magniſq; tonat ſtridoribus æther,
Nanq; ferox humeris vinctum gerit Alcimus aprũ

Ingentem, horrendum, qualem meleagria Pleuron
Non tulit, aut celsus nemoroso in vertice olympus.
Sæpe reluctatur, sæpe hirtos asperat armos,
Grunnitúsq; attollit aper, spumósq; cruentas
Euomit, & fœdo vectorem sanguine turpat.
Ille ferox animi nihil hæc luctamina curat,
Intrepidúsq; ferā manibus magis, & magis arctat,
Amphytrioniades in monstrifero Erymantho
Fulmineum sic pressit Aprum, collóq; timendum
Impauidus coniecit onus, stetit ira nouercæ
Anxia, & ad strepitum Sthenelei us horruit Heros.
Ad noua concurrit trepidum spectacula vulgus,
Atque immane viri robur miratur, & ausus.
At procul aspectans inter media agmina Regem
Talia flammato sæuus dedit Alcimus ore.
En syluis qui terror erat, multósq; per annos
Gallica suffossis vastauit messibus arua.
Sic ô, sic nobis sese tuus offerat hostis,
Illum ego non alio captiuum digner honore.
Vix ea: grunnitu illectus prorumpit in æquor
Aschetos, & cæsum iam non reminiscitur Vrum.
Ac velut ille leo, quem non agit improba ventris
Ingluuies, sed bella iuuant, quanquam oblitus atro
Sanguine semineces tauri superaccubet artus,
Si tamen aut campo audacem insultare Iuuencum
Aspicit, aut crebros mugitus auribus haurit,
Surrigit infectos crineis, horrendáq; torquet
Lumina, vimq; acuit, fœdóq; cadauere pasci
Iam pudet, atq; nouo prædæ inflammatur amore.

Haud aliter fremit, atque aliam ciet Aschetos iram.
Ergo vbi conspiciunt venientem, ac multa furẽtem,
Conclamant deponat aprum pugnæque relaxet.
Ille sed obuerso sistit vestigia vultu,
Ac velut indignans coram duce, & agmine marso
Ferre tot imperia, & plebea voce iuberi,
Quisque ait his spolijs, & nostra laude superbus
Se feret, at victor repetam ipse inglorius vrbem?
Cur non idem animi, cum nõdum his fracta lacertis
Vis inerat, potuitque horrenda in valle timeri
Non lassus, non victus aper, tum optanda, decénsque
Pugna fuit: sed nunc quando inter millia solus
Hæc merui, sinite ipse fruar dulcedine palmæ.
At tu fama canum vireis absiste furendo
Attentare meas, nulla hinc tibi gloria cedet.
Hic mihi partus honos, quãtum dabat incita virtus.
Ibat in arma ferox, vbi vero comminus hostem
Nequicquã ingenteis tentãtem abrumpere nexus
Vidit, & imbellem agnouit sine nomine prædam,
Substitit, ac retro indignans vestigia torsit
Aschetos, & chari redijt sub vincla magistri.
Non secus atque olim cælo Iouis ales ab alto
Accipiens raucum circum Asia prata canorem
Præcipitat: tum cuncta cito metita volatu
Indecores epulas, cirratarúmque volucrum
Nubila despectat, magnúmque exquirit olorem.
Iam medio Titan currus librabat in axe,
Protinus incipiunt motare cacumina fagi,
Murmuréque, & vasto misceri tesqua fragore,

Et mugire procul ventis surgentibus æquor.
Alpino incumbunt piceæ de vertice nubes,
Eripiunt subito ex oculis syluámque, diémque.
Quisque ciere canes, contendere, sic vbi quercus
Exectat latera, aut in longum sicubi rupes
Porrigit exesi vastos vmbonis hiatus.
Inuoluit nox atra polum, tantúmque relucet
Semita, cum densas abrumpunt fulgura nubeis.
Flumina concurrunt, ingens à vertice turbo
Incubuit nemori, ruit ab radicibus ornos.
Nec Veneris myrto, aut platanis genialibus vllam
Indulget veniam, tempestas omnibus æqua
Vasta per aërios differt ludibria tractus.
Ætheris in medio glomerat pater ipse vapores
Igniferos, solidátque manu, solidósque rubenti
Torquet agens dextra, & nigros ciet ægide nimbos.
Imbriferum obscurus gladium distringit Orion,
Vimque acuit ventis, fœdósque exasperat imbreis.
Sic quondam pluit ex alto, nimbosáque claustra
Vsqueadeo abiunxit genitor, cum summa natarunt
Gargara, & æratas gessere ceraunia puppeis.
Quis deus hæc olim, (quid enim sine numine diuûm?)
Musa refer, quò non ea postera nesciat ætas.
Est locus obiectu nemorum, tofóque pereso
Vmbra tegit, venis intus bullantibus vnda
Exilit, atque sinu nitidi interfusa lauacri
Viua susurranti perfundit saxa veneno.
Quippe nihil Veneri, Genióque nocentius vsquam est
Quicunque inde bibit, tenerum execratur amorem,

Nec dulceis thalamos, nec dona cupidinis vlla
Curat, & ignauo tempus terit omne cubili.
Nequicquam expertus geniali retia lecto
Mulciber infecit fontem, sparsitq; venena
Eumenidum, Stygiiq; lacus inamabile virus,
Scilicet armisona bellanti sæpe sub arcto
Ut Marti obijceret, Veneris quòd solueret igneis,
Arentem si forte sitim releuaret ab æstu.
Auertit Natura dolos, sæuáq; nigranti
Prætexit ripas, & posteis marmore clausit.
Parte sed aduersa syluarum obtecta recessu
Rima patet, præbétq; aditum sitientibus, illic
Exercétq; choros, nudatósq; abluit artus
Delia, & aligero vireis infringit amori,
Tartareóq; feros exasperat vnguine mores.
Fonte sub hoc laxo Dryope consederat arcu,
Ante alias Dryope nymphas dilecta Dianæ.
Ecce autem lucum ingrediēs magno Alcimus ausu
Ingentem sectatur aprum, quem Cynthia quondam
Lactentem excepit, dextræq; assueuit herili,
Ac tenerum exemit, nequando incesta subiret
Prælia, vesani stimulis agitatus amoris.
Hinc adeo excreuit, vasta se mole ferebat
Nocte domum, canibus Dominæ iam notus odore.
Post multa effugia, insuetas diuerterat vmbras.
Uerum vbi nil prodesse videt diuortia Diuæ,
Torua lacessitus detorquet lumina, & iram
Colligit, aduersúmq; obnisus fertur in hostem.
Gaudet atrox animi, & vastos consistit ad ictus

Alcimus, Ionio ceu saxum immobile ponto.
Quid faciat Nymphæ? nemorũ tremit excita pulsu,
Soláq; vigórq;, & raptoris in ore superbi
Destituit, tacitísq; pauens subsedit in vmbris,
Admirata trucem per longa vmbracula pugnam.
At simul ille humero expugnatum sustulit hostem,
Accelerans gressus, Dictynnæ singula narrat,
Eia age tela, arcus, aufert prædo impius aprum,
Cui sueras miscere fauos, cui stringere glandeis,
Pomáq; ab arboribus nymphis selecta referre.
Vidi egomet, vidi pugnanteis comminus ambos,
Raptorem, vernámq; tuum, quæ prælia, quantus
Bellanteis spectare timor, nil fulmen aduncum
Expauit, gemina prædator sustulit aure,
Illisitq; solo miserum, vireisq; repressit.
Nec mora, sanguineos vinclis obstruxit hiatus,
Luctantémq; diu pedibus superintulit armo.
His nemorum custos animum turbata repente
Impia flammato concepit pectore vota.
Quæ tandem ò genitor me solis degere syluis
Inuidia est? quid si terræ potiora tenerem?
Est Paphos, est Amathus Veneri, sũt pulchra Cythera
Atq; illic molleis nocturna ad vina choreas
Integrat, at nobis loca senta, atq; horrida dumis.
Nec tamen absistunt homines auertere prædas,
Et lusus populare meos, Nymphisq; minari.
Prò pudor, haud tutum est secreto in fonte lauari.
Seu fera, siue agitent animosi proxima venti.
Horresco, & memor vsq; Actæonis ipsa tremisco.

Vix heu nunc primas ausim discingere vesteis,
Otiáq; emeritis noctu concedere neruis.
Quòd si mortales nostris insistere lucis
Non dubitant, arcus, pharetrásq;, & tela repono.
Sin mauis me hic ferre moras, vitámq; pudicam
Viuere, da pater hanc da posse excindere gentem.
Impia ne vireis Chalydon sciat vna Dianæ.
Sic ait, & rauco comitum ciet agmina cornu.
Contremit omne nemus, pauidæq; in vota recurrũt
Tecta feræ, syluisq; tonant iuga summa coruscis.
Tum vero ad sonitum trepidæ de cautibus atris
Conueniunt Nymphæ, & raptis circum vndiq; telis
Funduntur: veluti cum semifer æquora Triton
Excitat, & vasti stagna intonuere profundi,
Squamea turba ruit, quà signum tortilis alto
Concha dedit, celerant imis excita cauernis
Monstra Sali, properæ sequitur vestigia matris
Cuo tardus adhuc, nandiq; rudis Melicerta,
Haud alia est syluis turbæ nemoralis imago.
Certatim accelerant Sciróq;, Lyóq;, Saóq;
Ptœéq;, Coryéq;, & forma insignis Itone,
Et vix dum primo surgens Crisia sub æuo,
Et lyncis maculis Hyale præpicta pharetram,
Inuleóq; sinus Rhachne succincta fluenteis,
Et segmentata Dryope caput obsita Tygri.
Et Psecas, & Baurone auris velocior ipsis,
Et Crocale ante alias loturæ docta Sorores
In nodum flauos Dominæ cohibere capillos,
Ismenis Crocale, atq; ægyptia Ilithyia,

Atq; aliæ centum, primis nodantur in aurum
Venantum de more comæ, turba omnis eburnum
Nuda genu, atq; habili suras induta Cothurno.
Auxilio tali sese Latoïa Virgo
Promouet, insonti exitium meditata cateruæ.
Sic vbi clangor Halim ripa conciuit vtraq;,
Et iam fama mares canit aduentare phalangas,
Mascula peltatas comites educit Amazon.
Phœbe arcus, Marpe iaculum, Thermessa bipennem
Corripit, & celeres lateri agglomerantur herili,
Turbine fœmineo resonant caua thermodontis.
Sed pater omnipotens tantos versare furores
Mente Deas, Natámq; odijs immane frementem
Æthere prospiciens, Irim demittit olympo,
Misceat euersas picea caligine nubeis,
Innoluátq; diem tenebris, Eurúmq;, Notúmq;
Euocet, infestúmq; citet venantibus imbrem,
Vnde feris parcant, & sæua piacula purgent.
Irarum donec flammæ, cædisq; cupido
Subsidant Natæ, comitésq; ferocia ponant
Corda Deæ. volat Illa, & summi iussa Tonantis
Exigit, & fractas cogit remeare Sorores.
Alcimus irato manet imperterritus vnus
Sub Ioue, crinitum pulsat caput horrida grando,
Æolijq; ruunt fratres circúmq;, supráq;,
Pérq; comas, pérq; ora imber fluit, ille neq; ictu
Grandinis, aut rabie ventorum, aut imbre fatiscit.
Qualiter ex Ossa radice in Tartara tendens
Pinus, & innumeros nimbis durata per annos

Stat cæli non fracta minis: vel qualis Olympi
Sustentator Atlas, quoties tonat igneus æther,
Et pluuia ingenti sitienteis irrigat Afros.
Haud aliter magno pressus sue gallicus Heros
Securus Iouis ingreditur, noctémq; minaci
Suspicit obtutu, neq; enim cælum vndiq; raptum
Nocte videt, subit ante oculos Acherontis Imago.
Et Stygios putat è latebris insurgere maneis
Nunc lea, nunc fallax oculo panthera timendo
Irruit, & variæ certant illudere pestes.
Tales Latois stimulos, ea corda furenti
Subijcit, atq; sui nexus vlciscitur apri.
Tum pater à tergo, grandæuam fulmine quercum
Percutit, horrifico cadit ille impulsus ab ictu.
Insonuit tellus, Syluæq; dedere fragorem.
Quò vigor ille animi, quò vis infracta recessit
Alcime? nempe iaces, nec Aper, nec gloria cordi est.
Vincula captiuo interea Dictynna resoluit.
Ille fugit trepidans Dominæ'q; recedit in vmbras.
Ergo Deum contemptor humi iacet, ac super vrna
Semianimi gelidos inuergit Aquarius imbreis.
Carolus atq; Itali vicina mapalia cursu
Deuenere pari, curto casa fulta tigillo
Intratur, limóq; & canna obstructa palustri.
Curántq; immisti pastoribus horrida corpora.
Accensisq; altos desiccant ignibus imbreis.
Interea non tristis anus, nec victa senecta,
Sed viridis, lauróq; caput velata seuerum,
Hos inter medios vultu festinat amico.

Textilis à dextra calathus dependet ad ingens
Cantharus à læua, tum mensæ exponit vtrunq;
Fagineæ, atq; epulas depromit sedula agresteis,
Lac niueum, & molleis vuas, & amygdala pura
Threiciæ insanos testantia Phillydis igneis,
Pomáq;, castaneásq; nuces, baccásq; Mineruæ.
Caseus adijcitur, non qui lunata coæquet
Scuta, sed ingenti tenerum quem abrasit ab orbe,
Et sale duratum hos seruauit pastor in vsus.
Hæc inquit coluere olim Magalia diui.
His nullo structore dapes gessere canistris.
Hoc vsi lætiq; penu, ne tristis amicos
Temne lares, opibúsq; veni non asper egenis.
Cuncta renidenti suscepit Carolus ore.
Sis felix, sis hospes ait, non nostra cooptem
Fercula, Regales pariunt fastidia mensæ.
Consedere duces. solio discumbis acerno,
Dilutóq; sitim restinguis Carole aceto.
India quid gemmas, quid Hiberia proruis aurum?
Ne texas Babylon vesteis, ne Dædala Memphis
Serica multiplici depingas stamina filo.
Sanguineæ hinc coeunt acies, hinc funera Mauors
Excitat, & fœdo incestat mortalia planctu.
Hinc odia, hinc fastus, hinc Regibus imminet ensis.
Tuta dies, placidæ tecto sub paupere noctes.
Hanc olim in terris egerunt numina vitam.
Fraga dabant montana cibum, lapidosáq; corna.
Aurea tum rebus fulsit concordibus ætas.
Iuppiter interea detorquens lumina syluis,

Sæuitum videt esse satis, quo flamina nutu
Sistit, & horrificam pellit sub tartara noctem.
Per sudum apparet distincta coloribus Iris,
Formosúmque iubar terris ostendit Apollo.
Iandudum exanimis madida tellure iacebat
Alcimus, atque ingens, Syluæque, ferisque cadauer.
Sic quoque terror erat, ceu per tot iugera fusus
Immanis Tityos, illas cum forte per oras
Vectus equis gelido nuper digressus ab Hæmo,
Vt latium armiferos Belgas animaret in orbem.
Mars Iuuenem miseratur, & excussa excitat hasta.
Vt primum membris rediit vigor, atráque cessit
Nox oculis, puduit fulmen timuisse trisulcum.
Vda solo innitens membra erigit, atque vbi prædam
Explorans oculis vicina per omnia, nusquam
Esse videt, sensitque suos periisse labores,
De cælo tactam certet conuellere quercum,
Quando aliter nequit ætherios vlciscier igneis,
Ni iubeat comites Euphonas cedere Sylua,
Signa canens lituo, moneátque refigere lina.
Ergo illi Sylua cedunt, & lina refigunt
Iam solito grauiora, dein pars ordine longo
Conuectant in equis prædam, pars esseda ducunt.
Setigerósque vehunt Apros, raucámque luporum
Congeriem, quos iam exarmarant dentibus albis
Gnatorum collo infantum decora ampla daturi.
Sæpe iubam attollunt olfactu auersa, timéntque
Vectores iumenta suos, & verbere nullo
Præcipitant, frustra palmas exercet vtrasque

Victus equis Auriga, & iam resupinus anhelat,
Dum lentas retro inuisus detorquet habenas.
Præcipue exectos Boius Tentira iugaleis
Expauidum genus, & dura ceruice timendum
Iunxerat, & voce increpitans, stimulísque regebat,
Inuectúsque rotis Syluæ, vicina secabat.
Ecce inspectus equos immani corpore terret
Vrsus, euntruptis Domino luctante quadrigis
Turbati, domitísque volant per iniqua lupatis.
Haud alius celeres Ephyreia littora circum
Hippolyti furor egit equos, vbi corniger alto
Emersit Taurus, nigrósque ad Sidera fluctus
Eructauit hians, vastique cacuminis instar
Cognatam insurgens exterruit Amphitriten.
Riserunt proceres pauidum, & risere volanteis
Currus, & fractis radijs risere iacentem.
Nam quercu infelix in procurrente pependit,
Atq; illa cedente oneri reuolutus arena.
Impliciti alipedes, durisq́; molaribus axes
Obnixi crepuere, it vulsus ad æthera temo.
Rex properat, Regisq́; vnà comitatus ad vrbem.
Et iam roriferum Stellis radiata caput nox
Oceano extulerat, celeriq́; volumine lassos
Fouerat hesperio Titan sub fonte Iugaleis,
Cum subeunt portas, hic nulla obtexitur vmbra
Lustratus passim incensis funalibus aer.
Atq; oculis ea lux intrantum oblata repente est,
Offertur qualis tibi Dalmata, cum iuga linquis
Pendula, & obscuro pallens emergis hiatu,

Visceribus terræ fossis, auróque reperto,
Atque exauditis vicina manibus vrna.

CAESARIS BORGIAE DVCIS EPICEDIVM, PER HERCVLEM STROZAM AD DIVAM LVCRETIAM BORGIAM FERRARIAE DVCEM.

Ast alios latices ploranda ad funera Pæan
Exhaustis infunde oculis, vulandáque nobis
Orsa refer, vocémque nouam, & noua suffice plectra:
Vósque chori Aonidum, túque ò Iouis inclyta proles,
Tu rege singultantem animam, numerósque labanteis
Alcide, te flere decet, tibi tristia mecum
Fata, & ducentes fatalia pensa sorores
Incusare licet. neque enim dolet æmula virtus
Alterius fama, & paribus non inuidet actis.
Fer cristam euersam, atque euersa insignia Mauors,
Mœstáque funereos tantum tuba clangat in vsus.
Et vos communem in medium conferte dolorem
Hispani, Oenotrique viri, pariterque fleamus.
Ite Decor, Charitésque nigræ ad solennia pompæ,
Et ferruginea vestigia verrite palla,
Molliáque alternis contundite pectora palmis,
Borgia dum scissisque genis, scissóque capillo

Fraternos obitus, miserandáqꝫ vulnera deflet.
Dúmqꝫ deos omneis, magno viduata marito
Increpitat, gelido degens Carlotta sub axe.
Consciáqꝫ immodici contristant sidera questus.
Fert durum silicem indomitúmqꝫ adamanta rigenti
Pectore, qui miseræ planctum, & lamenta sororis,
Immotísqꝫ animis, oculísqꝫ arentibus haurit.
Per Danaas acies, phœbeáqꝫ pergama circum
Hectora cum sæuus curru raptaret Achilles
Mœsta minus Cassandra, minúsqꝫ Polyxena fleuit.
Plorantíqꝫ cadunt tales per pectora guttæ,
Quales exanimum Phaëtonta querentibus vdo
Manarunt versæ in lucentia succina libro.
Stellantem vero ad nimbum puer ignifer alas
Pandit, vti longos volucris perpessa calores
Excipit æstiuum pennis gaudentibus imbrem.
Indulge lachrymis, tibi Borgia iusta dolendi
Causa. tuæ primum gentis decus occidit, ingens
Pace, ingens bello frater tuus, ardua cuius
Gloria Cæsaribus par réqꝫ, & nomine magnis.
Occidit heu multo confossus vulnere, téqꝫ
Di vetuere pia frigentia lumina dextra
Claudere, & exhalantē animā legere ore propinquo,
Et lachrymis vastos plagarum abstergere hiatus.
Condereqꝫ immensis charos vlulatibus artus,
Et iam quisqꝫ audet tanto dare frena dolori?
Atqꝫ ægrum moderari animum? Luctúsqꝫ recenteis?
Scilicet interius non est tibi vulnus adactum
Plebeiúmque gemis funus. iacet heu iacet ille

Cæſar Alexandri, toties quem nuper ouantem
Vidit, & obſtupuit tarpeio in vertice Mauors,
Qui rem Romanam ingenio, & præſtantibus armis
Reſtituit, qui Pontificis ſub iura parentis
Indomitos egit populos, vrbeiſque rebelleis.
Qui te ſanguinei gnaram Populonia Martis,
Quique metalliferæ ſaxa ardua ſubdidit Ilua,
Quique acrem Vrbini gentẽ, fortéſq; camerteis,
Et fanum Fortunæ, & te Senogallia, teq;
Cælo, non etiam portu meliore Piſaurum.
Littoreúmq; celer qui vicit Ariminum, & vndam
Traijciens, Italum à Gallis quæ ſeparat orbem.
Cæſenam, & multa in tumulis caſtella propinquis
Debellauit, agens properanti milite caſtra.
Quémq; Forum Liui dura obſidione prementem
Vidimus inuictas euerſis turribus arceis
Expugnare, tuiſq; acieis impingere muris
Fida, & inexhauſtis durata Fauentia pugnis.
Nil valuere hominum tot fortia corpora bello,
Sæuáq; amazonias nil contulit arma coborteis
Arripuiſſe, nihil rigidæ penè æqua Sagunthо
Pectora iuuerunt, quin propugnacula, & arcem
Vi raperet, captámq; inferret caſtra per vrbem,
Corneliq; tuas qui contudit ariete portas,
Oppidáq;, & populos tota ditione ſubegit.
Hunc numerum auxiſſes captiua Bononia tandem,
Nilq; impacatum ſummo liquiſſet Iulo,
Conantem maiora aliò niſi fata vocaſſent.
Quiq; ſacras orbis genitor torquebat habenas

Tot ſecum heu moriens cœpta imperfecta tuliſſet.
Protinus hinc ortæ clades, hinc fata nocendi
Inuenere viam, lucem illam ſemper acerbam,
Semper abhorrendam nerunt tibi Borgia Parcæ,
Quæ eripuit generiq; tuo, terriſq; tibiq;
Præſidium ſummúmq; decus, lachrymáſq; reliquit
Omnibus illa pari iactura querenda dolore.
Stabant, & Priſcos capitolia læta triumphos
Sperabant, iterúmq; ſui confinia regni
Ferre ſuper Gades, ſuper & Garamãtas, & Indos,
Rurſus & ingenti fama caput addere cælo,
Cum ſubito horrifici genus exitiale cometæ
Exeruere. canum, obſcœnarúmq; volucrum
Luce exauditi queſtus, & viſa per vmbras
Corpora functorum tumulis exire, nouæq;
Effigies, ac monſtra iugis errare Quirini,
Tarpeiámq; imis nutare à ſedibus arcem.
Viſáq; matronæ paſſim plorantis imago,
Cui trabea incinctu velabat membra gabino,
Dextra quirinalem lituum veneranda gerebat,
Canáq; ſeptenus cingebat tempora vertex,
Viſa, eadémq; nouum queſtu teſtata dolorem.
Heu quid ego, Aſſaraciq; domũ, magnóſq; nepotes
Gentis Iuleæ gremio complexa fouebam?
Quid tot fata iuuant? quid lapſa ancilia cælo?
Quid rapido quicquam vates ſeruauit ab igne?
Si ruitura mihi ſignauit mœnia ſulco
Romulus infauſto, certum nec in omine pondus,
Hos ſatius fuerat tanto ſine nomine colleis

Capripedes satyros, panásq; habitare bicorneis,
Aut humileis sextum ad lapidem compescere fineis,
Quàm toties summo detrudi vertice ad imum.
Tuscorum Senonúmq; manus, & Cimbrica castra,
Hannibalémq; trucem, sæuorúmq; arma Gothorum,
Amissósq; duces, fractiq; tot oppida regni
Nil queror, Hesperij sed nos à gente Calisti
Polliciti meliora dei sperare iubebant,
Iámq; nouos titulos nobis, noua regna parabat
Sextus Alexander, merito qui nomine quondam
Maximus appellandus erat, nisi maxima cœpta
Frangeret inuidiæ iam iam non parca ferendæ.
Atq; aderat tanta demissus origine Cæsar,
Cui sacra cum tegeret iuuenileis purpura crineis,
Sperarétq; olim solij decora alta paterni,
Diuorum monitis galea mutare galerum
Iussus, & arma togæ præponere, nec mora latos
Protulit imperij fineis, timor omnibus idem,
An vir hic est, mihi quem totus promiserat ordo
Astrorum? quis fata iubet migrare? Deósq;
Reppulit? atq; hominũ miscet, Superúmq; tumultus?
En cognata meus præses reuocatur ad astra,
Illuuiésq; repénsq; forteis bacchata per artus
Cæsaris, hostili vireísq; animúmque cateruæ
Suggerit, & nobis magnam eripit improba laudem.
Gallica concurrunt, hispanáq; signa: nec alter
Cæsare adæquatæ melior dare pondera lanci.
Dis aliter visum, pestis mox incubat atra,
Et labyrintheis ambagibus inclyta virtus

Clauditur, ac retro incipiunt sublapsa referri
Regna, & opes: refugiq; trahunt secum omnia diui.
Hæc, & plura queri nigrã exaudita per vmbrã,
Visáq; canenteis à stirpe reuellere crineis,
Tunc ea verba rati vana, atq; ea monstra quirites.
Risere ignari, rerum sortisq; futuræ,
Donec Alexander patrio est euectus olympo.
Tum vero cecidere animi, atq; exterrita vulgo
Oppida, & ingenti correptus peste nequibat
Cæsar opem castris, regnóq; afferre labanti.
Iámq; serenatum contorta per aëra summas
Contigerant turreis, & amicos fulmina colleis,
Cælicolúmq; domus varios agitare tumultus
Cæperat. Ipsa mihi cœtus, arcanáq; Diuum
Pande Erato, dum mœsta negat Lacretia suetum
Numen, & in proprios rubet edere carmen honores.
Pontificem addiderat, flammis lustralibus omneis
Corporis ablutum labes Dis Iuppiter ipsis.
Iámq; dei inter se dubijs de rebus agebant
Cæsaris, hinc Pallas, Venus inde, simúlq; parentem
Orabant genua amplexæ, at diuersa precantes,
Et prior, ò Hominum, & Diuorum summa potestas
Pallas ait, simul orta tuo de vertice vidi
Æthera, magnorúmq; hausi, consulta deorum,
Immotas cæli leges, immotáq; fata
Te memini asserere, & certa ratione probare.
Nunc igitur cur versa retro sententia? cur iam
Abnuis hesperios latijs imponere leges?
Si mihi pollicitus, raperent cum fata Calistum,

Affore Alexandri ſobolem,quæ poneret olim
Italiæ leges,atq; aurea ſecla referret:
Accipiant promiſſa fidem,& cunctantia fata
Maturare iube,ac feſſis ſuccurrere rebus
Cæſaris,hinc omnis ſpes eſt mihi Borgia cælo
Stemmata, & inceptos in longum ferre triumphos.
Non quiſquam ingenio melior,non promptior ore,
Non grauior vultu,non vi præſtantior,altos
Se celerem ſuper edere equos,iaculúmq;,ſudémq;
Amento,atq; agili procul exturbare lacerto,
Altáq; libratum per nubila condere diſcum,
Spartanæq; arteis verſare,dolóſq; palæſtræ.
Et foueam ingentem ſaltu tranſmittere,& vndis
Inſurgentem amnem volucri ſuperare natatu.
Cretenſi de more alter non certius arcum
Tendit,& in gyrum baleares torquet habenas,
Sulfureóq; graueis longe iacit impete glandeis.
Artibus & diuerſa nouis nemo acrius arma
Tractat,& hoſtileis fallit magis impiger ictus.
Quis Foſſam,& Vállum,tormentáq; doctius aptat?
Seu velit obſeſſas vrbeis,ſeu caſtra tueri?
Viq; animóq; poteſt,& ſolo nomine tantum
Vt, ſeu pugnæ acies campis cõmittat apertis,
Auia ſeu per iniqua truci vallatur ab hoſte,
Non agat auſpicijs alius melioribus agmen.
Te renuente tamen,non vlla reſiſtere virtus
Eualeat,licet ipſi omnes tua numina contrà
Tendamus ſuperi,totiúſq; repugnet olympus,
Tu genitor da poſſe,tuam cum fata minantur

Imploramus opem, tu res amplectere nostras,
Tantorum & quos ipsa tuli miserere laborum,
Dum per me euehitur summo gens Borgia cælo.
Vix ea finierat, lachrymis Cytherea profusis
Subijcit hæc. ò qui nutu stellantia torques
Regna pater, num, si nunquam tua dicta fatentur
Irrita, demissam Troiana ab origine gentem
Hesperij mandata sines perferre Tyranni?
An generi (siquis nimium sua fata recenset)
Absunt fata meo? & fatorum antiquior ordo?
Dardanus est huius proles tua sanguinis author
Scis quas tu nato, natiq; nepotibus vrbeis
Regnandas dederis, in secula longa, meóq;
Ænee, quantúmq; meo donaris Iulo.
Nunc cur non maneas dictis, iuratáq; serues?
Esto Palladius claro de sanguine Cæsar
Tot celebres virtute Duces, tot corpore præstet,
Nósne ideo contrà segnes? sua gentibus istis
Regna (nec inuideo) patrijs sine regnet in oris
Borgius, occiduóq; diu dominetur in orbe,
Ductori Ausonio, sed pareat Ausonis ora:
Nec quenquam præscribo, tua modo gēte profectus
Imperet, & miseris redeant sua secla latinis.
Sit sat formosæ nos heu nos cedere Hiberæ,
Et charites seruire, meos seruire volucres,
Stare & vbiq; meas solitis sine honoribus aras.
Conticuit, traxitq; decens suspiria ab imo
Corde, trucémq; noua pietatis imagine Martem
Mouit, & horrifico lachrymas excussit ab ore.

At pater omnipotens natæ libauit vtriq;
Oscula, sedauitq; truces hac voce dolores.
Parce metu, & lachrymis proles mea, nec noua cuiq̃
Condere fata licet, nostras neq; soluere leges,
Quas semel æterno scripsere adamante sorores.
Et nulli hæc præscire datum, parcámq; notantem
Cuiquam aperire nefas, donec voluentibus annis,
Et superis iubeo, & mortalibus illa referri.
Nec clarij tripodes, nec quercus nec meus Hammon
Quid canat arcani, si non ego condita pandam,
Quò minime mirum, si quod latet hactenus alto
Pectore, nulla animo deprehẽdere numina possunt,
Quando ea cura tamen sua quenq; ediscere fata,
Fabor, & his vobis concordia pectora sunto.
Aurea pontificem rapturus ad astra Calistum,
Promisi tibi Pallas ea de stirpe futuram
Progeniem illustrem, latio quæ imponeret orbi
Legésq;, & mores, famámq; æquaret olympo,
Ante & idem phrygibúsq; meis Cytherea, tuísq;
Pollicitus, nec versa retro sententia, vtranq;
Tollere connexam geniali fœdere gentem,
Immensæ rerum ambages, occultáq; seclis
Principia, & vestras forte effugientia menteis.
Summa sequar, longéq; sinam fastigia Troum.
Constat Atestinam post diruta pergama gentem
Arctoos penetrasse sinus, & gallica regna,
Post adijsse nouam cognati Anthenoris vrbem,
Et paruum auspicij fundasse ingentis Ateste,
Inde locos venere, nouis Ferraria quà nunc

Mœnibus, & magno Heroum viget agmine diues:
Illic regna dedi, geminum quæ terminat æquor,
Et nostros insigne aquilæ testantis amores,
Hos nunc Estenses mutato nomine dicunt,
Imperium reget Alphonsus satus Hercule, pacis
Iustitiæq; potens, nec martia segnis ad arma.
Nec minus alta refert primordia sanguinis à me
Borgia, ad Herculeas stirps gressa pelasgica gades,
Prima hominum Niobe placuit mihi nata Phoroneo
Seminéq; è nostro celebrem tulit illa pelasgum,
Hicq; Lycaona, téq; hic fert Oenotre, per vndas
Qui vehis Ionias Saturnia ad arua pelasgos,
Ausoniáq; iubes veteres migrare Sicanos,
Plurimaq; arginæ struis acer mœnia genti,
Vnde tuum seruat tellus Oenotria nomen.
Protinus Oenotri regnum, sobolémq; nepotes
Auxerunt, & cuncta dabam præsentia cunctis,
Cum Phœbus, Geniúsq; mei me perdere patrem
Hortati generis, quod non mihi, non daret ipsis
Vota pios tantum longis seruauimus annis,
Illustrésq; phrygas, cum Laomedonte perempto
Alcides meus in latium tulit ilio ab alto,
Miscuimus gentem, & magnæ fundamina Romæ
Pars iecit comes Iliadæ, rutulisq; profecta
Vrbibus, Hispanam pars cessit ad vsq; Saguntum:
Tunc neq; nomen erat, neq; erant ea mœnia, nostri
Fundarunt, nostrisq; immista zacynthia pubes,
Fundandæq; ingens Tirynthius affuit vrbi,
Geryone occiso Hesperiam cum victor obiret.

Ante ferum Hannibalem petierũt Setabin, hócq;
Deiecti regno, vastas simul Africa cladeis
Intulit Europæ, crassóq; horrentia tabo
Æquora Phœbæi vix intrauere iugales,
Dein pius auriferis vbi montibus exijt Astur,
Captiuósq; deos, captiuáq; regna redemit,
Velinolúsq; alio freta Sanguine tinxit Hiberus,
Hi primas iniere acieis, atq; hoste subacto,
Setabis est illis repetita, bouisq; rubentis
Effigiem auratis pinxerunt cornibus, vt se
A me principium deducere, & Italo ab orbe
Præferrent, memores patriæ, memorésq; parentis:
At boue cum cæso facerent crebra orgia nobis
Post bouis orgia, gens hæc dicta Boergia, demum
Borgia, idémq; manet, summóq; manebit honore
Nomen, erunt nostris dum fixa penatibus astra,
Pulchra dabit pulchram Alphonso Lucretia prolem,
Quæ stirpem Estensem, quæ Borgia nomina cælo
Euehet, & mistos mista de gente triumphos:
Illa autem hoc cœtus post vltima fata reuiset,
Et templa accipiet, votisq; vocabitur olim.
At tuus instanti iam iam Tritonia leto
Debetur Cæsar, nec cuiquam obstante potestas,
Non Phœbus rapido deiectum fulmine natum,
Memnona nõ Aurora, Thetis non flesset Achillem,
Non sæua Ascalaphi plorasset vulnera Mauors,
Non ego funereo fœdassem lumina questu,
Si potuissem aliquà duris obsistere fatis.
Quos tamen ille viros leto, quos stragis aceruos

Ante dabit? quin iam mortalis dextera faxo
Non aliquem tanto de funere quærat honorem,
Nescius author erit, non nescia fama iacentis.
Sic ait, & cupidum belli, cupidúmq; cruoris
Mauortem egregiam mittit Sirenis ad vrbem,
Tela ferox paret, & galeas & funera terris.
Ille obit imperia exultans, currúq; citato
Fertur, & his cædes struit impius, & struit illis,
Impastus velut arua leo massila pererrat
Indiscreta ferens epoto sanguine fata
Armentis, canibúsq;, armentorúmq; magistris.
At Venus Eridani ad ripas, & amœna fluenta
Alba citatarum detorquet colla volucrum,
Connubijs operata nouis, Hymenæa frequentat.
Dardanios quò longa suos in secla propaget,
It Nepete antiquum Tritonia, quo tulit æger
Patris ab interitu languenteis Borgius artus,
Gorgonáq; anguiferam, galeámq;, hastámq; reponit,
Oráq; Alexandri, & vocem induit, ardua qualis
Versabat quondam sacrarum pondera rerum.
Tum stetit ante thorum, cunctatáq; talibus infit.
Nate, quid in cassum tua milite regna tueris?
Cede deo, tibi frangit opes fortuna, neq; vllæ
Subsistant vires. fuimus dum fata sinebant.
Non orbi indecores, longóq; inuictus ab æuo
Noster honor, satis est famam meruisse perennem,
Macte animo, obdura, téq; ipsis obijce fatis,
Quódq; ne quis vitare subi, discrimina vinces,
Quæ tibi nunc præsens letum intentare videntur,

Te perferre tamen digna, atq; indigna necesse est.
At tibi maius erit post vltima prælia nomen.
Sic ait, & volucri similis discessit in auras,
Et secum hæc Dea questa, vale vale inclyte Cæsar
Spes Martis, spes nostra, (leues concepta tulerunt
Vota noti) vlteriúsq; tibi me assistere duri
Lex metuenda Iouis vetat, & dimittit ab armis.
Ergo petam sine te charæ tibi regna sororis,
Vnde tuum celebrare genus spes maxima restat.
Nec mora, Borgiados magnas contendit ad ædeis,
Státq; ipsi præsto non visis abdita nimbis,
Ille videns claro fugientem in lumine Diuam
Obstupuit primum, intrepida mox voce secutus.
Siue venis nitidis Pater huc miseratus ab astris,
Seu Deus es potius, certe es Deus, ò mihi certum
Numen ades, tantúmq; leues quicunq; laborem,
Corporis vna salus petitur mihi, cætera secum
Fors rapiat, nec inops, nec inermis obire recuso
Discrimen, quodcunq; paret furialis Enio,
Segnitiem nunquam timor arguit, impiger ibo
Quò me fata trahent, vitæq;, neciq; paratus.
Plura locuturo vocem intercepit anhelam
Pestis atrox, sensúsq; grauis dolor abstulit omneis,
Penéq; depositus cunctis erat, affuit illi
Cum sacer à Phœbo iussus Venusinus amico,
Incolumémq; bonus Phœbæa reddidit arte.
Interea ausonio desæuit in æquore Mauros,
Gallicáq; Hispanus regno expulit arma Ferandus,
Quémq; ab Alexandro capitolia summa regentem

Vix semel aspexit renouans sua cornua Phœbe,
Surripuere Pium fata impia, tum pius æthræ
Arbiter huic celebrem succedere iussit Iulum
Ex illo quæ te tulerint discrimina Cæsar,
Et quis cantabricas te casus adegerit oras,
Qualiáq; ante tuum Mendauia funera fatum
Viderit, hostiliq; rubenteis sanguine campos
Mens reticere mihi, donec tua latius acta
Exequar, atq; tuæ referam bona rara sororis.
Argumentum ingens, liquidámq; in carmina vocem
Poscit, & effrenos gratanteis Apollinis orsus.
Me lachrymæ, & lamenta tenẽt, iam rauca vlulatu
Vox strepit, & grauibus requies dicenda querelis.
Tristis enim nimium planctu Lucretia sæuis,
Et finem egrederis luctus, finémq; doloris,
Comprime iam quæstus, q̃q̃ graue corde sub alto
Vulnus hiat, tantiq; libet post funera fratris
Vitale inuitis stamen perrumpere parcis,
Infragilem nunc prome animũ, quo tu vsa potenter,
Clàm tibi cum seruus procerum cingente corona
Qualiacunq; feram, læta precor occule fronte,
Acceptáq; fide, veri inquit conscia narrat
Fama tuum cecidisse inter fera prælia fratrem.
Cantaber indomitis gens formidabilis armis,
Trúxq; animi, patiénsq; famis, patiénsq; laborum,
Suetus ab aërio præceps dare vertice corpus,
Sentit vbi effœtos annis abeuntibus artus,
Infestabat atrox celtis loca subdita Hiberis,
Quorum frena regit dilectus Apolline Ianus,

Ianus belligeri clarus mauortis Alumnus.
Cæsar & affinis ditione expellere regis
Instabat, iam multa virum demiserat vmbris
Millia, iámque omnis palanteis victor agebat,
Cum per inane graui pila plumbea concita pulsu
Squamea thoracis pertexta, per ilia fertur,
Haud penitus deiecta tamen Ducis ardua virtus
Vrget adhuc, licet effuso labefacta cruore
Hostis ab immani glisceteis vulnere vireis
Suscitat, è latebris peditum globus emicat ingens,
Et iam languentem sæuis intercipit hastis.
Nec mora amica phalanx affert lachrymosa perēptū,
Mœstus, at ante omneis nūc fœdat pectora pugnis,
Nūc rigat imbre genas, nunc improba numina dicit,
Et pius ingenti ingentem componit honore
Ianus, & vltorem charæ sese obligat vmbræ.
Proxima Peirene ingemuit, vicinus Hiberus
Fleuit, & herculeis flentem Titana sub vndis
Occulere os nigrum stupuit Sacri incola Saxi.
Hæc audita, latet, famæque & vulneris author
Compositóque silent omnes, impunéque nemo
Hoc tibi prodat, ait, tūc (quis mihi crederet?) hauris,
Imperturbato quod edat præcordia vultu,
Vsqueadeóque grauem porrecta fronte dolorem
Dissimulare vales, vt non ex agmine quisquam
Mœstitiæ signa vlla tuo deprendat in ore.
Nec nisi vulgato lachrymas à funere fundis.
Quid memorādū æque Xenophon? quid Horatius egit
Dis operati ambo? precibus miscere querelas

Haud licuit, medióque in honore relinquere diuos.
Non ea vis lachrymas pressit tibi, condidit alta
Vulnera sola fides, fatóq; immobile pectus,
Quonam adeo concussa animi constantia cessit?
Sume iterum vireis, iterúmq; resiste dolori.
Non satis est vicisse semel, meta vltima rerum
Dátq;, rapitq; decus, spectatúrq; omnibus vna.
Procumbétne animus dum facta recentia narrant?
Vt cecidit fracto magna inter verba Soloni?
Indomitóq; tibi quæsitam pectore palmam
Imminues? nec erit tua gloria credita cuiq;?
Sarcina magna tuis humeris sedet, aspice vt in te
Lumina defigant, moréq;, & singula verba,
Et vitæ obseruent populúsq;, patrésq; tenorem.
Est modus in luctu, transgressáq; semita, laudi
Non dabitur, cum præcipue lenire dolorem
Et tristem eualeant solari plurima casum,
Si quid habet, commune, & ineuitabile damnum
Omnibus est pariter non ægra mente ferendum.
Nulli parcit atrox Parcæ manus, æquáq; sortis
Demissæ, summæq; homines, æuiq; supremi,
Et medij, primiq; rapit discrimine nullo.
Vna, eadémq; terenda via est mortalibus. at qui
Strenue iter durum emensus, dis additur ipsis,
Hásque viceis rerum cælo despectat ab alto,
Ocyor & punctum sibi qui tulit omne theatri
Laudatus magis. eximium sed siquis honorem
Hunc meruit, Cæsar meruit tuus, acta recense,
Annorúmq; moras, stadio vix iunior alter

Isicet acceptis tot honoribus exijt vnq̃,
Punicei à tenero quid munera parta galeri
Huc repetam, sacrúmq; decus maiora parantem
Deposuisse? tot euictas quid dicere genteis
Coner? & expertas animóq;, & corpore vireis?
Ille diu vixit: qui dum cælestibus auris
Vescitur, implet onus laudis, cælúmq; meretur.
An tu immortalem mortali è stirpe putabas?
Intactúmq; inter gladios, & funera ferri?
Fallor, an hoc ipsum tua formidauerat olim
Mens præsaga mali? nec quod speraret, habebat
Bella illo assidue tractante, aciésque cruentas.
Finge iterum viuat, ferat huic rursum obuia fato
Pectora, nec casus alios sibi degener optet,
Hósq; indignetur quæstus, vanúmq; dolorem,
Et lachrymabis adhuc? ah parce lacessere maneis
Fratris, & arbitrium nimis incusare potentis
Fortunæ, debes cui tot bona, quæ simul vno
Improba læsit, habet quæ plurima conferat vltro,
Diluat vnde suam fœcundo fœnore noxam,
Respice quis sanguis, qui sit pater, & tibi formæ
Gratia quanta, tuæq; puta tecum omnia mentis
Munera, deinde oculos totum defige per orbem,
Vertice te impositam summo sine lite videbis,
Quas donauit opes? & quæ connubia? quantos
Præbuit hinc inde affineis? qualémq; fauorem
Orbis? & æternæ præconia qualia famæ?
Adde, quòd exoptans culpam emendare recentem,
Iam meditata tibi sobolem, iam pondere turget

Aluus,& illuſtrem promittunt Sidera natum.
Heu caue fatalem lædas planctu impia prolem
Mater,& aſtra vetes iuſſos tibi ferre triumphos.
Omen abeſt,iam creſcit ouus, iam Cynthia fauſtum
Ridet,& ad partum lætis micat ignibus æther.
  Naſcere magne Puer matri expectate, patriq;
Expectate orbi,& famam olim aucture tuorum,
Iámq; hilaris promatur onyx tibi Borgia, qualem
Tyndaris hoſpitibus formoſa Ithacenſibus hauſit,
Cui non componat quicquam Polydamna veneni
Pellentis luctum,atq; iram,ſed maxima formæ,
Maxima oris vis tale indat robur.vt ægros
Exhilaret ſenſus,æternáq; gaudia firmet.

TITI VESPASIANI STROZAE POETAE ILLVSTRIS EPICEDIVM PER HERCVLEM FILIVM.

Q Vis dabit in lachrymas fontem mihi? quis ſatis altos
Accendet gemitus,& acerbo verba dolori?
Exhaurit pietas oculos,& hiantia frangit
Pectora,nec plenos auidum ſinit edere queſtus.
Magna adeo iactura premit,toleranda fuiſti
Hac Fortuna tenus,paruo licet improba matrem
Abſtuleris,licet innumeros ex fratre nepotes
Spem magnam ſobolis dulci fraudaueris aura.

Nunc fateor, do terga malis, meus ille fatiscit
Indomitus quondam vigor, & constantia mentis.
Sic me morte tua mœstum fractúmque relinquis
Chare pater? quæ digna tuis exordia iustis,
Aut quæ finis erit? rapiunt mala fata, ferúntque
Attonitum, primóque labant in limine vires.
Musarúmque cohors, desolatúsque Cithæron
Luget, & orbate Virgo silet Enthea Delphi.
Fuluo olim radiantem auro, signísque operosam
Nunc sine honore lyram fert palla Cynthius atra.
Irrepitque comis lauri vice noxia taxos.
Mœret & inculto comitata Cupidine Cypris,
Quantum aliàs properata sui post fata Tibulli
Non gemuit, non thure calent, non floribus halant
Idaliúmve nemus, centúmve altaria Cypri.
Hic Geticæ non Fila Lyræ, non virginis orsa
Phemonoës, aut docta nouem dictata sororum
Phœbe peto, Chelyn ipsa mihi in sua funera tendat
Vmbra patris, non antra iuuent parnasia tantum,
Nec quæcunque fluit sacris de fontibus vnda.
Quare agedum descende polo, seu clara Diones
Regna colis, Paphióque micas nitor æmulus astro,
Seu suprema tenes cæli loca, maximus vnde
Dat lunæ, Solique iubar Deus, vnde futuros
Fatorum euentus, arcanáque digerit orbis,
Quacunque astrorum pater in regione moraris,
(Nã neque te orcus habet, nec habẽt vatũ infera tẽpe)
Da præsens vireis animo, vocémque dolori,
Dum cursim gentémque tuam, tuáque ordior acta,

Et mutum queror ad cinerem, manésque silenteis,
Accumulánsque rosas, & odore germina costi.
Iacta fluentinæ nondum fundamina molis,
Nec rapidas adeo celso de monte ferebat
Arnus aquas, ruptóque Tages nondum editus aruo,
Iámque sibi gentile decus, titulósque pararat
Stroza domus, Strozo deducta à principe, cuius
Dextra potens magni fauces eliserat hostis,
Vnde nouum gentis nomen formauit Hetruscus,
Antiquúmque genus referunt insignia lunæ,
Prisca palatino quæ sumpsit ab Arcade proles.
Atque vbi Cæsareo præcincta Fluentia muro,
Strozigenæ asciti Romana in vita Nepotes,
Quis adiuta dedit late confinia regni
Electi primi ad fasceis, sanctásque secureis,
Iustitiæque nouo primi ad vexilla Senatu.
Olim magnus honos, & nostris auctus in annis.
Quid centum, plureisque equites de sanguine eodem?
Quid Thomã, Gnidúmque sequar, quid fulmina belli
Laurẽtem, & graia genitum de matre Philippum?
Quidve alium simili referam cognomine? qui tot
Liquit opes gnatis, aurique immensa talenta,
Victurásque ædeis, eductáque marmora cælo.
Quid te ductorem patriæ Francisce cohortis?
Quo duce iam veneto mediam crassante per vrbem
Fudit ad interitum hostileis Ferraria turmas.
Cecropiæ nemo gnarum Pallanta Mineruæ
Nescit, Arioniam non tantum cœrula vocem
Aut tantum mirata chelyn, Florentia quantum

Consilia, eloquiúmque sui laudauit alumni.
Ille, bipartita dum sæuit Erinnys in vrbe,
Sæpe trucis populi discordia pectora iunxit,
Et nunquam patriæ pro libertate tuenda
Effugit, quoscunque dedit sors dura labores.
Heu nihil ingratæ fas quenquam fidere plebi,
Testis Aristides, & qui Barcæa subegit
Castella, & victis accepit nomen ab afris.
Pro meritis tulit exilium, patauináque venit
Arua, vbi tranquillam phœbæa per otia vitam
Duxit opum diues, patrij & securus honoris.
Vltro alij sedémque nouam, atque externa pararunt
Connubia, & nullo gens hæc inhonora sub axe.
Herculeum Tibur, vicináque rexit Iulus
Oppida, deiecit regno, immeritúmque fugauit
Gallorum rabies fines populata latinos,
Primus atestini Nannes Ducis astitit oris,
Vix roseas tenui inspersus lanugine malas.
Protinus Argentam dura obsidione leuauit.
Veronæque super vallo, portáque subactæ,
Victricem meruit sexta trieteride quercum.
Deinde breui in tantum belli processit honorem,
Vt ter mille equites Mantoa in prælia felix
Duxerit, & virideis inimico sanguine campos,
Magnorúmque altas fluuiorum infecerit vndas,
Dum simul arma virum, truncatáque corpora voluũt
Hostibus effusis, æstu, bellique labore
Fessus obit, vbi terna ducem lux vidit ouantem.
Sub iuga quot populos, & quas summiserit vrbeis

Sacro etiam num fixa tholo decora ampla fatentur.
Plurima constabili fuit illi è coniuge proles,
Scilicet è sexu meliori quattuor, & tres
Fœmineo, formæq; bonis, animiq; probatæ.
Iunxit honestus hymen tædis illustribus omneis,
Te tantum excepto, vita qui cælibe Laurens
Vsq; sequebaris magni vestigia Borsi,
Vnde & opes, noménq; tibi, generiq; tulisti
Pignora. Nicoleo septem & ter quina fuere.
Quorũ adeo exhausit numerũ mors improba, vt vnã
Sulpitia è tanto cœtu, Carlúsq; superfit,
Progenies claro non inficianda parenti.
Infœcunda quidem consors tua culte Ruberte,
Sed morum grauitate adeo, & pietate verenda,
Vt longe excellat Romanas nomine matres.
Natarum dilecta magis Phœbóq;, Eratóque,
Lucia Boiardum peperit, quem dulce canentem
Sæpe feræ, & Syluæ, & montes, amnésque secuti.
Te vero pater extremum Constantia Nanni
Edidit. infanti nimis heu Festina parenteis
Fata tibi rapuere, piæ non mollia Matris
Verba, nec amplexus licuit meminisse paternos,
Nec te magnanimi formare ab imagine patris,
Cresceréque inter equos. intérq; citantia mentem
Classica, & horrenteis tunicas, galeásq; comanteis
Audaci tractare manu, atq; assuescere Marti.
Póstq;, quod & pater, & virtus tibi amica dedisset,
Forsan & ante annos, Patrio succedere honori.
Heu quantum decus illa dies tulit. an nimis olim

Visa potens superi, & nimis inuidiosa propago
Nostra, patri, & nato simul hæc si dona fuissent?
Strozia nunc quantis gens iret honora Triumphis,
Non tamen ingenium sinit emarcescere luxu
Paulus materna consanguinitate propinquus.
Inter apollinea infantem studia educat, & iam
Prima rudimenta, & Vatum mera verba tenentem,
Commendat, linguā qui monstret vtranq; Guarino.
Protinus æquæuos doctrina excedit, & acri
Ebibit ingenio magni monimenta Maronis,
Quicquid & à Plauto, quicquid Cicerone repostum,
Et quicquid Latij, & Graij cecinere poetæ.
Tertius à decimo vix illum cæperat annus.
Pérq; Aganippeos colleis, vocaliáq; antra
Iam pater apprensum dextra ducebat Apollo,
Miratur formam pueri, vocémq; Cithæron,
Miratúrq; Helicon, Heliconiadésq; sorores,
Dignantúrq; caput vitta, Lauróq; perenni
Certatim. ast Erato prior hæc, ab Apolline nobis
Salue olim promisse puer, te nostra manebant
Vellera, te nostri montes, tripodésq; vocabant.
Penè honor Aonidum, penè omnis gloria Phœbi,
Et sacrum quondam vatum decus omne peribat.
Te molleis elegos primum instaurare iubemus,
Pastorésq; referre, ducísq; ingentia Borsi
Facta, & Atestinæ primordia dicere gentis.
Non tua tabificus tentabit carmina liuor,
Parcarúmve manus, viuent, phœbeia donec
Laurus, & orbita erit, noménq; Heliconidis vmbræ.

Talia dicenti cunctæ assensere Sorores,
Téque Medusea puerum lauere sub vnda.
Nec mora, dum fuluam volucri Ferraria palmam
Ponit equo, forma insignis placet Anthia vati.
Anthia per Latium, celeri volat Anthia fama
Per Libyæ Syrteis, pérque Othryos alta niuosi.
Cuncti admirantur numeros, stupet ipse magister,
Pannoniúsque pari Ianus Phœbi incitus Oestro.
Post vbi falsa fidem, iuratáque numina læsit
Anthia, Philloroë nullis subit illita fucis,
Moribus, & facie magnis æquanda deabus.
Inde colens syluas, & quartisania iura,
Paruus arenosas qua Sandalus irrigat herbas,
Pastorum curas, & agrestia carmina lusit,
Tam bene, vti valeat patulæ sub tegmine fagi
Tityre compactis tecum certare cicutis.
Nec minus interea aucupio vacat, & vacat acer
Venatu, haud quisquam melior circundare saltus,
Atque sequi ceruos, & magnis comminus apris
Ire pede impauido, & dubiæ se credere pugnæ.
Nec volucres alter melius nutrire rapaces
Edidicit, morésque dare, & vim subdere menti,
Quas illis arteis annis honor altus alebat
Serua licet nunquam desit manus, ipse ferinos
Excubijs animos domat, & mansuescere cogit.
Sub lucémque toro exurgit, dúmque aspera mollit
Pectora, nunc libros versat, nunc carmina condit.
Nec sinit incassum labi irreuocabile tempus.
Quid quod & vsque tuo lateri acceptissimus hæret

Æternum nostræ Borsi decus Vrbis, & orbis?
Nunc quòd equū facili calabrū moderetur habena,
Nunc quòd Achemenium campo sinat ire patenti,
Nunc placet in syluis venator, nūc placet auceps,
Nunc nitido cultu, nunc blandæ flumine linguæ.
Multa mouent animum meditantē maxima semper
Munera largiri, celebrémq; extendere famam.
Ergo dat aurati decus ensis, & optima quærit
Connubia, eligitur multis de millibus vna
Digna Tito Rangona genus Domicilla, pudoris
Fœminei specimen, nulliq; obnoxia culpæ.
Oppida iámq;, & opes magnas donare paranti
Iniecere manus Parcæ, Téq; inclyte Borsi
Ereptum nobis Cælo, diuisq; dederunt.
At non antiqui genitor male gratus amoris
Magnum exorsus opus, laudes ducis ire per omneis
Mens erat Herois numeris, & origine ab alta
Fortia Atestini contexere sanguinis acta.
Iam medium tentabat iter, cum perfidus hostis
Ingruit, & partas per vulnera mille parenti
Abiurauit opes, potioráq; iugera ademit.
Torpuit ex illo, labefactáq; vulnere virtus
Intermisit opus, quod postera forsitan ætas
Nec rude, nec limæ extremæ iurauerit expers.
Atq; vbi læta viri meritis fortuna refulsit,
Præfuit Isthmiacæ delectus ab Hercule genti
Rodigium dixere caput regionis, at Isthmon
Telluris gemina quodcunq; arctatur ab vnda.
Hic & amicitiæ, atq; obseruantissimus æqui

Vſqueadeo fuit, & pacis ciuilis amator,
Nec cuiquam fului pretio mercabilis auri.
Dein Venetis noſtram rurſum infeſtantibus Vrbem,
Militiæ præſes fuit, & decus haud leue geſſit.
Tum bello exacto Lugenſia venit ad arua
Herculis imperio, atq; odijs ciuilibus actos
Quà potuit populos, effrenáq; corda coëgit
Non adeo inter ſe furijs ſæuire nefandis.
Inde Remi colleis, Capitoliq; ardua ſaxa
Herculeus legatus adit, quem maximus orbis
Arbiter orantem ſolio admiratus ab alto,
Conſeſſuq; patrum, & populo plaudente Quirini
Sacra recuſantem ſuſcepit ad oſcula vatem,
Munera pollicitus meritis ſe digna daturum,
Natalem Eridanum Tiberi ſi flumine mutet.
Maluit ille æuum patrijs componere terris.
Munere perfuncto lætus (ſed triſtia leti
Nil dant fata diu) dulces remearat ad oras.
Ecce thori fidam comitem fera parca repenti
Eripuit morbo, nihil heu iuuere medentum
Auxilia, & magnis cumulata altaria donis.
Quis mẽtem fato indomitam, atq; immobile pectus
Aſpiciens, caruiſſe pio non cenſeat igne?
Non caruit certe: quinimo in pectore fixam
Hanc tulit, & merito, neq; enim Philaceia coniunx
Caſta magis, nec quæ Admetum cæleſtibus auris
Morte ſua incolumem ſtygijs ſeruauit ab vmbris,
Non ſpecies, non cura domus, non defuit illi
Obuia mens fato, & nunquam intractabile pectus.

Adde animos supra ingenium, atq; imbellia corda
Fœminei sexus, testis mauortia Lugi
Terra absente viro duris frenata sine armis.
Parcite materni si vestro in funere manes
Debita non solui teneris lamenta sub annis:
Integer haud animi fueram, exiguúmq; putaram
Vulnus, at extinctum nouus hic reuocare dolorem
Compellit dolor, & geminos simul edere questus.
Confundam lachrymas, vestra est mihi flebilis æque
Iactura, haud vlli tantum lugenda, Parentes.
Progeniem ante omnem vestra in me gratia totas
Effudit vireis animo complexa tenaci,
Quæ pietas illis, nunquam gemini mihi fratres,
Nec soror inuidit, natúq; & amore priori.
Singula quid referam? primos pater imbuit annos
Artibus aonijs (quanquam optimus arte docendi
Ingenium iuuenile rudi formaret ab æuo
Ripa disertorum decus, & noua lima virorum)
Segnior haud ideo nunc ille latentia vatum
Sensa aperire mihi, nunc molleis cudere versus,
Delius vt teneros sese insinuaret in artus,
Aureáq; ardenteis generosa ab imagine virtus
Incuteret stimulos, & magnæ laudis amorem.
Cúmq; ego iam possem seno pede condere quicquid
Effrena obtulerat campo vberiore iuuentas,
Flacce tuos numeros, numeros monstrare Maronis
Cura, & imaginibus deducta poëmata graijs,
Vt genio, & numeris Vates Pelignus ab vmbro
Differat, & quali niteat candore Tibullus,

Nunc rara addensat, nunc luxuriantia demit,
Castigátq; moras, nimiúmq; citata retardat.
Quanta piam (memini) mulcebant gaudia mentem,
Cum quid ego aut elegis, aut grandi efferre sonora
Auderem, & gressus sua per vestigia ferrem.
Quis credat? vinci optabat, longéq; relinqui.
Certa fides, vltro ingenteis mihi cessit honores.
Plebis erat nostræ suprema ætate tribunus,
Cui decus, & solis ducibus cessura potestas.
Hæc mihi, cum nondum quinta esset olympias acta,
Cessit, ad hoc æui senibus data munera tantum.
Non quòd onus perferre animo, mēbrísq; nequiret,
Cana bis octonis quanquam illi tempora lustris,
Hoc amor, hoc pietas suasere, & conscia virtus.
Nil de se metuens, volucrísq; haud indiga famæ.
Quas tibi, quas igitur referā pater optime grates?
Nam mihi si tot ahena sonent & pectora, & ora,
Quot me vinxisti meritis, nunquam tamen æquem
Omnia, siue Linum numeris, siue Orphea vincam,
Te duce plebeio grege separor, astráq; adibam
Te monstante viam, sine te iam limite recto
Excutior, veluti docto spoliata magistro,
Huc illuc agitur nimboso turbine pinus.
Orbita sic puero simul est amissa volanti,
Quam genitor toties iterauerat vsq; tenendam,
Æthere cœrulei delapsus ad ima profundi.
Non tamen audacem nimium temerarius ardor
Me iusso de calle rapit, sed iniqua malorum
Tempestas, fatiq; dolor, luctúsq; paterni.

Heu ſemper lugenda dies, & letifer annus,
Heu mihi ſæpe atris damnande autumne lapillis,
Et cuiq; vltrici lingua infeſtande quot annis.
Te veniente comas amittit ſylua, ſuúmq;
Terra decus, te odere feræ, patrióq; coactæ
Demigrare ſolo volucres, te corpora noſtra
Formidant, acuúntq; truces tua tempora morbos.
En quantos gemebunda ciet Ferraria queſtus
Regno Autumne tuo, pudeat tot ſtrata videre
Corpora, & ipſa (nefas) contacta cadauera mortem
Reddere pro meritis, pauidóſq; horrere parenteis
Languentem natum, & ſuſpiria ſumma mariti
Non legere ore pio nuptam, nuptæ've maritum.
Vidimus infantem extinctæ circum vbera matris
Repere, & immundos papularum haurire tumores
Dum putat altricis ſuctum traxiſſe papillæ,
Mox eiectato matrem fœdare veneno,
Et tenuem in tenueis animam flare ilicet auras,
Res viſu horrenda, & ſuperos motura tuenteis.
Sub patrio exanimes nati occubuere feretro,
Et nati ad tumulum exanimes cecidere parentes.
Nec conſanguineæ tantum contagia gentis
Dira quoq; (infandum dictu) vicinia lædit,
Longinquáq; domo peſtis furit extera, & author
Vſq; latet, morbóq; prior mors impetit ægros.
Sæpe preces inter vittata fronte ſacerdos
Ante aram occumbens ſacro terram ore momordit.
O miſera, & maleſanda mihi ſolamina, non te
Hac ſaltem eripuere lue pia numina, ſic me

Illa decet dixisse, tuos quando vltimus hausi
Singultus, charáq; diu, atq; impune moratus
In ceruice pater, monitus audire supremos
Iuuit, & instanti labentia lumina leto
Mœrenti dextra premere, ingratóq; sepulchri
Perfungi officio, atq; incendere manibus aras.
Felix, qui manibus natorum extrema tulisti
Munera, sic partes fortuna beatior implet.
Hinc atq; inde suas, celebri de stirpe Parentes
Egregios, ditésq; dedit, formámq;, poténsq;
Corpus, & ingenium viuax, vocémq; canoram,
Et tristi sine labe animum, rectiq; tenacem,
Nec minus ætherijs superos te admittere mensis
Æqua fides, & digna piæ dare præmia vitæ.
Inde leues hominum curas, & inania temnis
Gaudia, securúsq; doli, irrisórq; potentum.
Nos precor interdum aspicias, & numina nobis
Concilies, monstrésq; viam, qua sidera adisti.

BORGETI CANIS EPICEDIVM, PER HERCVLEM STROZAM TITI FILIVM.

Vis cohibere iubet lachrymas in funere
q fidi,
Dileƈtique canis? quis honore efferre
ſupremo
Extinƈtum vetat, & pario componere ſaxo?
Et ferale queri? Mortalia peƈtora quando
Et pietas, & amor rerum, iaƈturáq; tangant?
Nec volucrum ditare rogos, nec humare pudori
Quadrupedes, nec equi circundare mœnia buſto,
Et memoranda nouæ bruti dare nomina genti.
Quid poſitũ ante ædẽ Veneris loquar? aut quid olipo
Saxorum eduƈtas moleis? & equina ſepulchra
Cómemorem celebri certantia Mauſoleo?
Qualéq; cæſarco manarit carmen ab ore
Exanimum ſuper alipedem? quem maximus orbis
Arbiter ingenti Auguſtus tumulauit honore.
Threicijs, Parthiſq; nihil truculentius vſq;,
Bellatoris equi funus tamen effera multo
Gẽs effert planƈtu, & lachrymis comitatur obortis,
Nec magis ereptos nati luxere parentes,
Queſtibus aut matres flerunt grauioribus orbæ,
Sed quid diuerſi generis monimẽnta laborem
Connumerare? ſuos de more moloſſa vetuſto
Condit terra canes, cineres nec lædit opertos.
Lucida quin meruit canis Erigoneius aſtra,

Atq; polos inter geminos nunc luce corusca
Promicat, & terras fati grauis vltor herilis
Urit, & insontis rapida face sæuit agrestes.
Iam genus hoc titulos habet, & sua fastibus acta,
Et studia inter se partitur, & omnia vitæ
Munera, nónne alius ceu ianitor excubat ipsis
In foribus? furésq; procul latratibus arcet?
Hic sese ad numeros mouet, & mandata capessit.
Nare sagax alius campísq; vndísq; volucres
Quærit, & ad nutus huc indefessus, & illuc
Discurrit, neque frigoribus, neq; vincitur æstu.
Lustra bonus scrutari alius, bonus ille fugacis
Sistere iter damæ, & celerem præuertere ceruum.
Veloces illis lepores, his gloria magnos
Frangere apros, sæuos his debellasse leones,
Et molem ingentem eoi prostrasse Elephanti.
Lanigeras alij pecudes, hirtósq; tuentur
Nocte, diéq; greges, alij in deserta sequuntur
Armenta, incursúsq; hominum, rabiémq; ferarum
Uoce abigunt, aut dente premunt, certísq; periclis
Obiectant vltro caput, & fera prælia tentant.
Quin alij exciti sæuo clangore tubarum
Castra adeunt, vigilésq; locant, & martia signa,
Disponúntq; acies in cornua, & ordine facto
Arma mouent, primásq; cient ad classica pugnas.
Turpia nec videas quenq̃ dare terga, sed hostem
Aut superãt, aut crebra animã per vulnera fundũt.
Has olim, haud dubiũ est, Regẽ Garamãta Cohorteis
Exilio expulsum solio imposuisse paterno,

Bella inter, Matrísque vices, & funera mille,
Tale tibi auxilium Colophon, tibi tale parasti
Caspia Gens, partósque æque partiris honores,
Et proauos inter villosa cadauera condis
Non & heros soliti defendere? & obuia fato
Pectora ferre truces animi? non ire rogales
In flammas ausi, & cineri sese addere herili?
Non Domini ad bustum immoti mansere? nec vllos
Accepere cibos? nec aquas hausere, supérque
Dilectum hærentes sensim occubuere cadauer?
Oebalis herculeo non debet purpura tantum
Ingenio, quantum canibus, nec tincta rubenti
Murice fulgentis nunc lana lacesseret ignes,
Ni canis æquorea concham infregisset arena.
Quis longum per iter melior sub nocte silenti
Digredi? & ire domos sua per vestigia notas?
Quisve adeo memor infixos sub pectore vultus
Seruat? & in longos non obliuiscitur annos?
Bis duo lustra ierant, ex quo laërtius heros
Ilion inuadens Ithacensia liquerat arua,
Cum per mille Maris, per mille pericula terræ
Concessere viro ad patriam pia fata relabi.
Palladis ille dolo gracileis tenuatus in artus
Mutatúsque comam, atque oculos, rugáque senili
Confectus, lacerísque indutus vestibus, ibat
Non tibi Laërte, tibi non Eumæ, neque ipsi
Telemacho, neque Penelope, at tantum agnitus Argo,
Argo, iam lassis claudenti lumina fatis,
Quem syluis Ithacus pascebat, in alta priusquam

Pergama fatalem Scyro eduxiſſet Achillem.
Quid tacitos linquam? quos veri haud inſcia Crete
Nec ſemper mendax, ait aurea templa tuentes,
Parcereq́ haud vlli ſolitos (mirabile dictu)
Docta Thyanei ſtratos Senioris ad ora
Non magico cantu, ſed quod diuinitus ollis
Inſita vis animo virtutis gnara latentis.
His auxere fidem, quos noſtro fulua ſub æuo
Miratur, nutritq́ Rhodos, cuſtodibus illis
Arua, & Carpathij defendit littora ponti.
It noctes animoſa Phalanx, innexa trilici
Pectora thoracum tunica, ſacrúmq́ profano
Seligit, & blande exceptum deducit ad vrbem,
Illum autem rapit, & morſu diſcerpit acerbo.
Nec fuſtra intactæ qui venit ab vrbe ſinopes
Littus ad actæum, & doctas inſtruxit Athenas,
Spreuit & æmathij qui ſceptra potentia Regis
A cane non aliunde ſibi cognomina ſumpſit.
Pérq́ canem ſolitus morum iurare Magiſter.
Aſſeruitq́ Deis Pharij gens accola Nili,
Cúmq́ ſuo canibus fert pinguia thura Serapi.
Marmoreas ſtant fulua canũ ſimulacra per aras,
Aurea templa illis ſtatuunt, atq́ aurea vota.
Et vetet Antoni quiſq́ te frigida cari
Corpora Borgetti ſaxo tumulare decenti?
Spargereq́ extremo Liuentia lumina fletu?
Infandúmq́ nefas grauibus damnare querelis
Ferreus ah quiſq́ vulnus crudele tuendo
Temperat á lachrymis, ſed qui tam immaniter enſe

Usus, ab hircanis genitúsq;, & Tigribus altus,
Ille sui frangat iam colla incana parentis
Et ventrem secet, vnde ipsas primũ hauserit auras.
Quippe per horrendas tigres, per sæua luporum
Agmina, per nomadúmq; feras illæsus abisset,
Et portentiferi nasset vada noxia Nili.
Heu candore niues, illúmq; anteibat olorem
Formosæ meruit quo Iuppiter oscula Lædæ.
Sæpe thoro Aoniæ medium accepere sorores
Insigni allectæ forma, Tum candida suetæ
Membra ederæ filijs, Baccáq; ornare virenti,
Pectereq;, & sacris gaudentem abstergere lymphis.
Ipsa quoq; has inter decima, & nostri decus æui
Sæpius Augustis dignata est Borgia mensis:
Admouitq; manum, niueóq; sola colore
Præstabat, quantum ille niui, digitóq; proteruum
Irritauit, & Ambrosio velamine fouit.
Candenteisq; suis perfudit odoribus artus,
Et lætata, vocans, patriæ cognomine gentis.
Adriaci Borges vrbem dum forte profundi
Visit, adhuc tenerum, & fœta sub Matre iacẽtem,
Ducentémq; suam melitea ab origine gentem
Accepit, donóq; dedit tibi gloria sacri
Thebaldæe Chori, tu gratus nomine dicis
Borgettum, & magni donum amplexaris amici.
Hinc tibi primus amor, mox assuetudine longa
Creuit, & vt virideis sensim depascitur ornos
Flamma recens, mox alta citis petit ignibus astra,
Sic in te creuere faces, & robur amoris,

Quem tamen ætherias porro euexere ſub auras
Forma decens, faciles luſus, & gratia morum,
In primiſq; fides, cui non prælata priorum
Fama, licet rapidos non ille aſcenderit ignes,
Aut coniuratos Domini procul egerit hoſtes.
Per maris auſonij tractus, a'pináq; ſaxa
Longum emenſus iter, ſummo dum Phœbus ab axe
Vrit agros, vrit medij vada frigida ponti.
Dúmq; niues gelida boreas iaculatur ab arcto,
Et concreta ſuos iam ſiſtunt flumina curſus,
Ibat hero comes vſq;, coméſq; arctoa ſubiſſet
Teſqua, & fluctiſono coëuntia ſaxa profundo,
Et ſiculi horrificos latratus æquoris, & quæ
Inuia fert ratibus metuenda pericula Syrtis.
Et quantum exigui ſineret vis corporis, acer
Iſſet in æratas nullo terrore cohorteis.
Noui animũ, Hercyniéq; canés ſtabula horrida ſylue,
Inde illum dixi, Ceruóſq;, Suéſq; cientem.
Quin ſi te primum (quod Di auertere) tuliſſent
Fata, vel ad tumulum crudeli tabe pereſus,
Vel ſubterfoſſa tecum occubuiſſet arena,
Sæpe ioco memini me ſumma laceſſere veſtis
Texta tuæ, emicuit ſubito bellator, & acri
Impete, & ore minax me proturbauit hiulco.
Nunquam ſegnis eras illo comitante, nouúmq;
Ingenium, mentémq; nouam ſumebat ab illo
Vis animi Aonio iam delaſſata labore.
Hic tibi magnus erat Pęan, erat Enthea Clio,
Seu thuſcos numeros, ſiue Orſa latina referres.

Nil nisi lætum animo, nil non lætum ore sonabas.
Hunc tibi (magna nimis permissa licentia fato)
Desolata Chelys, desolatæq; Camœnæ,
Mœstáq; ferales prætendunt atria taxos.
At satis indultum lachrymis, cohibenda genarum
Flumina, & vndanteis populati pectoris æstus.
Borgetton resonare doce, syluásq;, lacúsq;,
Borgetton sonet vnda, sonent Borgetton & alpes
Impius ille dedit pœnas, summásq; daturus
Nigra vbi tænareæ pulsauerit Ostia faucis,
Protinus vmbrarum custos, regniq; silentis
Surget, & anguiferæ sinuosa volumina caudæ
Colláq; concutiet vibrantibus hirta colubris,
Insontémq; vorax pandet tria Cerberus ora,
Atq; animam infandam terno vltor condet hiatu,
Mox vomet, adsumétq; vterum, reuométq; cruentū,
Tristiáq; æternum insultans super ossa recumbet.
Hic vel ad Elysios manes, campósq; recessit,
Et noti Eridani lucentibus innatat vndis
Lesbius ingresso, passérq;, & Ianthidis ales
Aduolat, & pulchræ volucris defleta Corinnæ,
Peligni nunc ipse legit vestigia vatis,
Dulcia nunc culti se figit ad ora Petrarchæ.
Ereptósq; sibi lachesin tibi flagitat annos:
Vel si forte canes sub inania tendere regna,
Ad Stygias simulac descendit Cerberus vndas,
Di vetuere, tuos habitat non visilis ortos
Francisce, ausonij spes, & noua gloria Martis,
Quo duce tot spolia auratis tua Mantua templis

Imponit, Reliquásque exultans prouocat vrbeis,
Dísque triumphati præfert insignia Galli.
Nocte inter myrtos, inter Laureta vagatur,
Et modo iuniperi, citri modo captat odorem,
Hunc violas super, & ferrugineos hiacynthos,
Hunc super intactæ considit germina Calthæ,
Floribus & varijs spiranti vescitur aura.
Mox surgente die vicina clauditur Vrna,
Quam, ne olim auderēt dextræ temerare profanæ,
Parietibus fixam egregio dignaris honore.
Compositíque refert Dominum noménque fidémque
Siue Oenea tamen, seu tu colis infera tempe,
Vsque nouum Borgette tua ver fragret ab vrna,
Et pretiosa fluant liquenti succina busto.
Téque Poetarum celebret pia turba quotannis,
Et merito in longum tua nomina protrahat æuum,
Candida & ipse legens tibi lilia, & alba ligustra
Inter Apollineos recinam velut anser olores.

HERCVLIS STROZAE TITI FILII DE LOCO, VBI MARO PRIMVM LVSIT, AD ANDIADAS NYMPHAS.

a Ndiades Nymphæ, vestro quæ sacra Maroni
Carmina dictastis, patula quib⁹ arbore tect⁹
Tityrus argutæ calamos inflauit auenæ,
Hásque suam docuit resonare Amaryllida syluas,
Et quibus Ascra tuo contendit Mantua Vati,
Cláraque sublimi tolluntur Pergama cælo,
Saluete æternum numen mihi, vos & auenta

Muſcoſi fontes, & vos loca conſita lauris,
Et vos cliuoſæ veterum monimenta ruinæ,
Paruus vbi illimes primum Maro luſit ad vndas.
Non mihi Caſtalias malim aſpirare Sorores,
Nec Cirrhæa velim potius vada, nec magis optem
Viſere Pierij laureta ſonantia Montis,
Maieſtas veneranda locis, ſuus omnibus horror
Arboribus, ſua relligio Montiq; lacúq;,
Ipſa mihi ad numeros agitari arbuſta videntur,
Et reſonas ſalices, reſonos in carmina fluctus
Longe exaudimus, vocaleiſq; incolit vndas
Plurimus hic prædulce canens ſine funere Cycnus.
Cuncta modos meditãtur, agũt noua carmina Balbi
In cunis pueri, Cunabuláq; ipſa reſultant
In numerũ, & numeris mulcẽt ſua pignora matres.
Hæc aperite precor Phœbi loca conſcia Nymphæ,
Méq; per arcanos, ſi fas, deducite fonteis
Vnde graui exilijt memoranda in bella cathurnò
Poſt paſtus, poſt arua Maro, iuuet vſq; morari
Antra per, & longis exeſa ſedilia ſeclis.
O, quæ me ſiſtat veſtrarum grata ſororum
Ille vbi prima Chelys diſtendit filia ſonoræ.
Si qua ſed ò, ſacris ſitientem immerſerit vndis,
Sidera grandiloquo feriam ſublimia verſu,
Vóſq;, Ducémque canam cuius noua gloria Priſcos
Vincit auos, magnóſque refert quo Rege triumphos
Mantua, & ante alias inſigni gaudet alumno.
Dicam vrbem egregiam, Populóſq;, ſitúſq; locorum,
Priſcáq; fatidicæ referam fundamina Mantus,

Mantus, vnde suum deduxit Mantua nomen,
Filius Ogygiæ simul ossa Viraginis Ocnus
Composuit tumulo, tantæ memor vsq; parentis.
Illa vbi cadmæos colleis, patriámq; reliquit,
Diuersos Pelagi tractus, diuersáq; vidit
Oppida, nulla tamen sedes magis apta quieti
Visa, nec arcendis magis hostibus, inuia campum
Benaci de fonte palus cingebat opimum.
Ergo nouam medijs fundare paludibus Vrbem
Optauit Vates, auibusq; Deisq; secundis
Ipsa manu stiuámq; regens, fortésq; iuuencos
Inclyta fatali signauit Mœnia sulco.
Dixit & huc omneis vireis intendite Tauri,
Vestrum opus, æternos nomen seruabit in annos,
Illustreis animas hinc sidera ad alta volanteis
Iam spectare datur, nostræq; è semine gentis
Aspicio insigneis, & pace Heroas, & armis.
Gonzagáq; nouus nascetur origine Cæsar,
Fransisco cui nomen erit, dabit ille paterno
Immensum Decus imperio, Spoliisq; superbis
Aurea magnorum ditabit templa Deorum.
Quis te fatorum gnaram neget Enthea Manto?
Ecce nouus Cæsar veterum Franciscus auorum
Gloria, quot Gallis bis sæuo Marte subactis
Arma Iouis templo suspendit opima Pheretri?
Semper erit tantæ Tamarusius incola laudis
Testis, & Ausonij vada sanguine tincta profundi.
Aurea non alius bellis vexilla gerendis
Tot meruit, non alter equos moderatius vrget,

Non melior pede, seu validas agat eminus hastas,
Siue breui conto, seu pugnet comminus ense.
Nec quisquam facies componit, & agmina belli
Aptius, obsessásque expugnat cautius vrbeis.
Adde nouas arteis, commentáque Martia tantum
Nota ipsi, largásque manus, iustúmque, piúmque
Pectus, & alterno nunquam variabile fato.
Quis tot equos vnquã, vel ad arma, vel elida pauit?
Quisve in vtroque tulit plureis certamine palmas?
Fertilibus campis generosum pascitur agmen,
Frigida donec hyems stabulis armenta reducit.
Tum vero impendunt curas, arteisque Magistri,
Ne desint vndæ, ne pabula, neu per apertas
Flamina eant caulas, gregibúsque trementibus obsint,
Atque vbi vere nouo furias amor excit equarum,
Non nisi præclaros habet admissura parentes.
Fœturæ fit & ante gelu selectus, & acreis
Accendunt animos, alta ad præsepia pulli.
Usqueadeo tamen his lectissimus instat Equiso,
Aspera vt incipiant sensim mansuescere corda,
Atque manus, & frena pati, dominósque sedenteis,
Et glomerare gradus, & fusis currere habenis,
Sisteréque ardenteis cursus, & fingere gyros,
Altáque securo tranare fluenta natatu,
Staréque non trepidi vel ad arma, vel obuia discant
Classica, vbi ardenteis stimulat Bellona phalangas.
Tu vero, tu macte animi dum singula lustras
Sedulus, & lento hæc exerces otia Marte,
In cursum rapidos, acrésque in prælia reddis,

Nobilibúsq; tibi tot equis referuntur honores,
Vanáq; furtiuum non iactat fabula Solis
Esse genus, veterum dum non oblitus amorum
Arua bianoreis permutat Hiberica campis,
Incustoditos linquens ad stagna Iugaleis.
Estq; greges spectare nota Phaethontis inustos,
Cernereq; efflatos patulis è naribus igneis.
Vos mihi Naiades precor immemorata referte.
Neïde syluano Nymphaq; Lileïde quondam
Edita, præstabat facieq;, & crinibus Ande.
Delius humenteis siccantem ad flumina Cirros
Vidit, & ah formosa tuos siccare capillos
Desine, non illos tantum tibi, pectora quantum
Iam mihi desiccas, gemina tu lampade polles
Vna ego, te deceat magis hic labor, ipsa nitenteis
Scande rotas, lucémq; refer mortalibus almam.
Tu mihi sis currus, quo si vehar, omnia Cæli
Munera cui libeat donet pater, at quid inerti
Segnitie mea vota moror? sic fatus ab alto
Labitur, optatæ quærens connubia Nymphæ.
Illa simul longe radiósq;, oculósq; micanteis
Aspiciens, vt erat fusis per colla capillis
Auersata Deum, & syluis sese abdidit altis.
Tum versare dolos instante cupidine Phœbus
Incipit, & varias agitat sub pectore curas.
Plurima versanti tandem hæc sententia sedit.
Pro radijs viridi præuelat arundine frontem,
Cornuáq; assumit, dúmq; illa assumeret, an me
Dixit ab excelso rides Soror æmula cælo?

Scis tamen ah, taceo, tum longos puluere crineis
Fœdat, & è fulua canas lanugine setas
Asperat, & noto Nymphæ fit Mintius ore.
Vnda oculisq; genisq; fluit, fluit ore, fluitq;
Naribus, & patulis vitreus fluit auribus humor.
Talis dum sese Titan agit alta secundum
Flumina, non patiénsq; moræ se huc versat, & illuc.
Prosilijt tandem illa, senis nec territa vultu
Ibat, & ardentem male gnara subibat amantem.
Cum subito implicuit luctantem, & multa gementẽ,
Tendentémq; manus, effusis Cynthius vndis.
Térq; quatérq; auidus summo conamine pressit.
Plena deo peperit septem vno pignora partu
Fœminei sexus, dedit his fluuijśq; lacúsq;
Esse deas Pater, & viridem renouare iuuentam,
Pangereq; Aonijs æquanda sororibus orsa.
Seruat adhuc nomen non longe à mœnibus Ande,
Nympha olim, nitidis nũc rus memorabile Nymphis
Igniferiq; refert monimenta micantia solis
Mantua, vt hæc seri valeant meminisse nepotes.
Flumineisq; habitant castæ Titanides vndis.
Hæ te olim excepere Maro, patrióq; sub amne
Mersarunt, Phœbiq; modos docuere canoros.
Hæ mihi sint in bella duces, tuáq; inclyte princeps
Commemorent faciles numeris grauioribus acta.
Non tibi quòd desint quos magno trita Maroni
Orbita ab Ocnæis euexit ad astra lacunis.
Sed quia sint alij, atq; alij licet, haud tamen vllus
Promptior ista suas feret in præconia vireis.

HERCVLIS STROZAE ELEGIAE AD DIVAM LVCRETIAM BORGIAM FERRARIAE DVCEM, RELICTIS CVRIS REIP.

PVblica Cura vale, iam nona reuertitur æstas,
Ex quo animi huc illuc vis agitata mei.
Sintq; licet rebus male commoda membra gerendis,
Impleruntparteis non minus illa suas.
Mente potens obeunda tulit pede debile corpus,
Nec tenuere meas Sólve gelúve vias.
At si pro patria quicquam memorabile gessi,
Vix erit hic vnquam causa pigenda labor.
Sin per inexpertos illi male cesserit annos,
Non potuisse piget, sed voluisse iuuat.
Est aliquid canæ munus tentasse senectæ,
Vestiret teneras cui noua barba genas.
Et mihi sunt testes non inscia numina veri,
Fortunæ nullas me timuisse vices:
Nec nimium fastu caput erexisse potenti,
Et sceleris puras exhibuisse manus.
Quem Padus effracto non terreat aggere? quē non
Sollicitent multo martia castra metu?
Quem male suada fames populi suprema minantis
Non moueat? timida præcipitétq; fuga?
Esto, hæc mille ferant, vix inter millia Diuos
Qui ferat iratos, vnus & alter erit.
Præside me, sæuo letalis Apollinis arcu
Vrbis adacta suum non bene flere genus.

Seu rata fata Deum, seu sic tibi maxime visum
Aequa adeo vltrices cui mouet ira manus.
Dira bis extinxi contagia, nec meus vnquam
Defecit, populo deficiente, vigor.
Maxima labenteis iuuit solertia ciueis.
Iuuit & infectas euacuare domos,
Supplicibúsque Iouem votis, patrióseque precari,
Queis fuimus toties debita cura, lares.
Nempe mihi Phœbi non frons erat vlla litandi,
Transfuga cum Clarij dicerer esse gregis.
Consciáque admissi, non mens fuit ausa manúsque
Dulcia neglectæ fila mouere lyræ.
Iure Pater poteras me temnere, & ora rebelli
Mersa tuo quondam fonte, ferire chely.
Tu, mihi prima rudis cum verba resolueret ætas,
Dictasti ad cunas carmina balba meas.
Téque Duce, errantem per summa biuerticis vmbræ
Abluit, abluerat quæ prius vnda Patrem.
Tum mihi polliciti longæ præconia famæ,
Túque, capútque tui Calliopæa chori.
Forsan & hæc leuibus non issent irrita ventis,
Fregissem propria ni mea fata manu.
Iam procul à ripa me clauum, & vela regente,
Per magnas ierat concita puppis aquas.
Cum mihi nescio quæ fastu comitata superbo,
Mendosi effigies obuia facta boni.
Quò puer inquit abis? ventosáque nomina quæris?
Profecturum ex me, non aliunde, decus.
Audieram, sed abire tamen magis vsque parabam,

Solá lyræ nobis gloria calcar erat.
C um, quid abis? mihi rursus ait, patris ecce senecta
Immenso Patriæ pondere pressa labat.
N omen vtrunqȝ, animum cœpto meliore remouit,
Nam quis opem Patriæ ferre, Patriqȝ neget?
P rotinus annosus Pater in sua iura reponit,
Bissenisqȝ iubet me caput esse viris.
N ec minus interea me cura domestica torquet,
Et sibi vult geminus membra, animúmqȝ labor.
I am neqȝ Parnassus, iam nec sacra laurea cordi,
Pieridum toto pectore fugit amor.
P urpureos inhio fasceis, & honora parentum
Stemmata non alia viuere laude reor.
N unc Ducis à vultu, nunc à popularibus auris
Gaudia non longa, stántqȝ cadúntqȝ mora.
A lterius feror ad nutus, nolimqȝ, velimqȝ,
Quiqȝ rego populum, spontéqȝ, viqȝ regor.
N escio, quo sint iuncta modo, tamen hoc quoqȝ siquis
Appetat, inueniet iuncta, fidémqȝ dabit.
Quis facile in summo frenum sibi ponit honore?
Affectúsqȝ etiam temperat igne malos?
S ic nos ambitio, sic nos sitis vrget habendi,
Sic grauis insani pectoris error agit.
H æc sunt anguiferæ cruciantis Erinnyes orci,
Tantaliúsqȝ liquor, Sisyphiúsqȝ lapis,
H æc ne aliud, quàm vultur edax? fibræqȝ renatæ?
Cúmqȝ Ixionia dolia cassa rota?
C erberus, harpyiæqȝ, & Gorgonës, hydráqȝ vanis
Infantum moneant pectora imaginibus.

Nostra sed, ætatis, superæq; potentia mentis,
Nil Stygis horrendæ lurida monstra tremunt.
S e potius metuant, internáq; tartara vitent,
Dignus hic æterna laude triumphus erit.
I am, velut Ionijs remearim sospes ab vndis,
Ipse meæ imposui myrtea serta rati.
I nq; Padi ripis, velut alti in littore ponti,
Lætificum Nautæ carmen ouantis ago.
T éq; meum veneror Cælestis Borgia Sidus,
Qua nullum hesperio purius orbe micat.
T u mihi carmen eris, tu lucida callis ad astra,
Qua niueas animas lacteus orbis habet,
A dsertæ superis, Iuno, Pallásq;, Venúsq;
Iuno opibus, Pallas moribus, ore Venus.
R egna tibi meliora, animiq; nitentior ardor,
Plúsq; tua igniferi forma vigoris habet.
Quis neget his cælum meritis? tua numina quondam
Neilus, & extrema Bætis honore colent.
T empla tibi statuent, nec votis templa carebunt,
At nostrum inter tot grandia maius erit.

AD EANDEM GENETHLIACON.

A Vdit, Io, tandem Populos Lucina precãteis,
Audit, Io, summus publica vota pater.
E n optata diu cælo dignissima proles.
Ecce decem menses quæ peperere bona.
R ideat omnis ager, tibi rideat omnis olympus,
Et patris, & matris gaudia magna puer.

Cuncta secunda tuo nobis spondemus ab ortu,
 Nec bene mens voti, lætitiæq; capax.
Gaudia tanta modum superāt, superántq; recessus
 Pectoris, & nimia mole minora putes.
Non aliter patulas nimius sonus impedit aureis,
 Non aliter nimium lumina nostra iubar.
Pars quotacūq; tamē Populos tibi mōstret ouanteis,
 Omnis odoriferis ignibus ara calet,
Sunt sua Iunoni, sunt & sua dona Tonanti,
 Et sua munera habet cætera turba Deum.
Iam fora, iam vici, iam feruent compita flammis,
 Iam nouus in tota promicat vrbe nitor.
Aerijsq; sonum dant tinnula turribus æra,
 Et bombis tellus grandibus icta tremit.
Dúmq; tot exaudit simulata tonitrua cælum,
 Et stupet, hicq; alium credit adesse Iouem,
Et nos forte polis inhiare nitentibus horret,
 Ceu tua non cælo terra beata magis.
Ne timeat superos, optemus vt ire penates,
 Sed ne ad nos potius turba superna ruat.
Iam colit has sedes superis Astræa relictis,
 Et pia cum sacra relligione fides.
Hic Venus, hic charites, hic est moderata voluptas
 Hic Amor arcitenens, arcitenénsq; Dea.
Hic castæ Aonides, & cum Tritonide Phœbus,
 Sceptriferáq; habitat Iuno verenda manu.
Hoc quodcunq; boni, tibi nos debere fatemur,
 Borgia sola hominum nata beare genus.
Accedas Libyen, quicquid tenet illa veneni,

Perdet, & à vultu fiet amœna tuo.
Accedas Neilum, sænis cadet ira colubris,
Tam bona forma trucem, molliat Antiphaten.
Non opus est armes, veluti Thetis altera natum
Sat valet ille, tui quòd decus oris habet.
Hostiles vltro venient sub iura Cohortes,
Subiectisq; labor parcere maior erit.
Fortunate puer, quantum tibi fata dederunt,
Fulsit in exortus Stella benigna tuos.
Multa quidem superis debes, plus hoc tamen vnum,
Quod tam rara tibi contigit esse parens.
Altera non potuit te ferre beatior aluus
Non, tibi si mater, mater Amoris erat.
Solis ab occasu, Solis spectamus ad ortum,
Nec tamen huic toto cernimus orbe parem,
Plus Libyes spolijs, spolijsq; orientis, & arcti
Borgia natali Roma superba tuo est.
Nec sinit hoc tumidos sibi quærere nomen Iberos,
Setabis vt vestris alta superbit auis
Romule, cui tantam septeno in vertice molem
Condere felici fata dedere manu,
Nunc operi gratare tuo, nunc sylvia sese
Iactet, & altori gaudeat Acca sinu.
Quale Decus, vestra quantũ iubar exit ab vrbe?
Non mage nutrito Creta colenda Ioue est.
Hinc reor Arcadibus memorabile pallanteum
Thespiadon magni voce aperisse Dei.
Fatidicæ magis emicuit Lucretia Vati,
Quà tot Iuleæ clara trophæa domus.

Non potuit tantus ſeros oriturus in annos
  Præſcia venturi corda latere nitor.
Vt licet extremo maneat Sol abditus orbe,
  Aſtra tamen radij ſigna latentis habent.
Hoc deerat tantum decori, famæq; futuræ,
  Vt pareres noſtros Borgia diua Deos.
Quod fuit in votis, numeris ingentibus imples,
  Munera ſunt vteri ſera, ſed ampla tui.
Creſce Deum ſoboles, & aui benefacta paterni
  Herculis, vt ſacro nomen ab amne, refer,
Excitet, Alphonſúſq; atauus, proauúſq; Ferandus,
  Summus Aragoniæ ſplendor vterq; domus.
Et magnis ſtimulet te Cæſar auunculus actis,
  Grandéq; Alexander ſit tibi calcar auus.
Hi tibi Sciapadas referunt, referúntq; Camillos,
  Quóſq; tulit claros terra pelaſga Duces,
Gloria perpetuos horum victura per annos,
  Cærula quà totum circuit vnda ſolum.
Quæq; imiteris, aget iuuenis pater, ora priuſquam
  Incipias rudibus ſoluere blæſa ſonis.
Plurima vis illi membris, & plurima menti,
  Promittitq; nouum culta iuuenta decus.
Fáſq;, piúmq; colit, iuſtæq; ad pondera lancis
  Dat populo facilis candida iura ſuo,
Quà caput opponis ſoli Apœnine cadenti,
  Quáq; calent medio cærula thuſca die,
Quáq; reſurgẽtem ponto videt Adria Phœbum,
  Quáq; Atheſis gelidum terminat vnda latus.
Antiquas liteis, antiquáq; bella diremit,

Sumpta licet, tenera sint modo sceptra manu.
Quicquid & in toto bellorum turbine ducit,
Intrepidus tutam per freta vasta ratem.
Quas tibi seruat opes, vni tibi quanta tuetur
Regna? parat soli iam tibi quicquid agit.
Carpsit iter longum, permutatísq; subinde
Gallica te propter regna petiuit equis.
Non tenuere niues, non saxa alpina, nec amnes,
Nec tam longinquæ meta voranda viæ.
Forsq; pruinosas tulit expes sub Ioue nocteis,
Siccáq; cœnosis proluit ora vadis.
Quas adijsse casas, quæ've esse viatica credam?
Aspera dum rapido per iuga currit equo.
At tu gemmatis fortunatissime cunis,
Non interrupto membra sopore rigas.
Lacteáq; à primo vagitu pocula sugis.
Atq; famem dulci lacte, sitímq; fugas.
Dúmque repurgandis nutrix tibi sedula membris
Instat, agunt famulæ blanda lauacra deæ.
Sæpéque nudatos genitrix pia suscipit artus,
Formosóq; fouet, quo licet vsq; sinu.
Gratáq; nunc fronti, nunc oscula libat Ocellis,
Núncque iocis gestit, blanditiisque tibi.
Interea circunsiliunt Charitésque, Venúsque,
Æmuláq; arridens basia donat amor.
Et puero sua tela puer, pharetrámq; nitentem
Monstrat, & adducta cornua iuncta manu.
Quæq; illi improbitas sinuato sæuit ab arcu,
Irritáque vt nunquam dirigit arma, docet,

Maternósq; tibi flores, & Ianthina serta
  Porrigit, & Paphio Lilia nata solo.
In'q; tuam queritur lingua trepidante parentem,
  Hoc tamen in tacita callidus aure refert.
Scilicet vt facibus, pharetráq; exarmet, & arcu,
  Sæpéq; luctantem se, Venerémq; domet.
Hic, velut ora docent, materna laude superbis,
  Déq; triumphatis frons tibi læta Deis.
Non satis expleri possunt tua membra tuendo,
  Sæpe licet repetant agmina densa fores.
Aureáq; attoniti pendent cunabula circùm,
  Vt'q; probent multum plura probanda sinunt.
Atq; aliquis tua magne puer dum consulit ora,
  Præcinit ad cunas talia verba tuas.
Cresce puer, te fata vocant, tibi lata parantur
  Imperia, & generi nomina magna tuo.
Te duce larga fluent byblæo flumina melle,
  Vitaleisq; dabit quælibet arbor opes.
Perpetui tibi erunt flores, totúmq; per annum
  Natalem referent tempora verna tuum.
Spontéq; odora tui sudabunt balsama campi,
  Qualia Idumæi non tulit vber agri.
Arabiásq; ferent inarata noualia messeis,
  Ditiáq; haud vllus diuidet arua lapis.
Non erit œbalio pretium, non vsus aheno,
  Fulgida pascenteis purpura tinget oueis.
Nec Iouis ira cadet, nec tempestate ferentur
  Vlla procelloso naufraga vela mari.
Nereis inq; hominum durata caloribus vsus,

Se tibi Neptuno non prohibente dabit.
Areáq; haud marris, haud exæquata Cylindro
Cuilibet æquoreas larga refundet opes.
Plurimus argento riuus fluet, & fluet auro,
Plurimáq; in nostris gemma nitebit aquis.
Non galeæ, non ensis erunt, non pila, nec arcus,
Nec tormenta, putri pax teget arma situ.
Non liteis agitare foro, non scita rogare,
Non erit in captos vincla parare reos.
Non iter impediet prædo, nec furibus vllis
Incustoditæ surripientur opes.
Nulla tributa tui, nec vectigalia pendent,
Seq;, & opes vltro tunc tibi quisq; dabit.
At pater effusas rerum tibi linquet habenas,
Et sinet hæc fatis currere secla tuis.
Ambrosiáq; parens artus perfusa nitenteis,
Tot bona gaudebit sanguinis esse sui.
Felix matre puer, felix patre, & altera, & alter
Prole, thoro, vobis terra beata tribus.
Sint rata dicta precor, méq; illos seruet in annos
Cynthius, & quanto sit satis ore, canat.

AD IVLIVM CAESARINVM CARDINALEM.

AN tibi post magnæ repetita palatia Romæ
Sordet Atestinæ nobile gentis opus?
Præq; Pado, Tyberis vada cœrula tollis amœni,
Et nostras pota Virgine temnis aquas?
Cúmq; sacros inter niteat tibi purpura patres,

Quisquilias vulgi nos leuis esse putas?
Haud equidem hoc rebar, nec fas est credere cuiquã,
Si bene vis animi cognita Iule tui.
Commoda nulla queũt, nec honor peruertere mores,
Vt semel hos artes instituere bonæ.
Nec tibi me oblitum verear fore, sim licet vltra
Caucasias portas, cimmeriúmq; Chaos.
Aut ad inaccessas Eoa per æquora genteis
Transierim ignoto vela regente Polo.
Multa vbi visa refert nobis miracula, & vnde
Lusitana nouas classis abegit opes.
Audaces animæ, quæ per maria inuia quondam,
Tam longas fragili puppe iniere vias,
Diuitias quibus occultas, orbémq; latentem
Per mortis varios fas aperire metus.
Cedat Iasoniis celebris cum Heroibus Argo,
Ausa per vndosum currere prima Salum.
Saxa licet rudibus per concurrentia remis,
Et fera Bebryciæ fugerit arma manus.
Tótq; licet ponti, tot passa pericula terræ,
Aurea dum patriæ vellera poscit ouis.
Longius, & dubium magis, ac magis vtile terris,
Quod lusitanus Nauta cucurrit iter.
Præbet odoratas quà discolor India messeis,
Terra ferax extra sidera nostra iacet.
Post multas hyemes Cæli, pelagiq; reposto,
Duráq; nauali bella subacta manu.
Appulit armigeras huc Lusitania Puppeis,
Deprenditq; [illegible]

Tum dedit inuentis victrix sua nomina terris,
Fixit & imperij plurima signa sui.
Quid varios mores, discordiáque ora laborem
Pandere? & ignotis monstra reperta locis?
Regibus hinc vnguenta suis, hinc optima defert
Pharmaca, & auriferis fossa metalla iugis.
Hinc nucis à folio nomen ducentia grana,
Et Piperis siliquas Gingiberimque vehit.
Styracáque, & myrrhá, casiámque, & tura, & amomũ,
Et lecta hinc araba cinnama odora manu.
Quàm bene de toto clarissimus orbe meretur
Occidui Emanuel Réxque, Deúsque Soli.
Illius auspicijs tantum Maris inclyta sulcant
Robora, & absconsas dat nouus orbis opes.
Ille facit mundo commercia blanda recenti,
Itque tuas vltra Thessale magne vias.
Iámque Calecariæ montem super, & super itur
Abdita gemmiferæ littora Taprobanes.
Cornigerúmque illic Regem dare iura relatum,
Atque habeat quantas insula diues opes.
Quot pedites, quot equos, quot pascat i arma elephã-
Et teneat quantũ fertilis illa soli. [ta,
Nec sat ad extremas penetrasse per inuia gẽtes,
Nauita adhuc audax vlteriora petit.
Classibus his Solymi iam vectigalia Regis
Prouentus partem comminuere sui.
Hesperiæque potens bellum ratis horret Idumæ,
Inque dies illinc deteriora timet.
Pene iter occlusum, quò per Maris æquora rubri,

Neiſe tibi diues cinnama portat Arabs.
V nde Pharo reditus, vireiſque in bella minores,
Et facilem vinci iam Babylona putant.
R oma parens fractos quid non meditaris ad Indos
Bella? ſatis tutum Rex tibi præbet iter.
N unc tempus ſacris totum dare claſſibus æquor,
Diráque idumæo pellere monſtra ſolo.
I ulius arma Crucis pater induat, induat arma
Qui tua cunque Deus myſtica ſigna colit.
C úmque ſuo totas Germania Cæſare vireis,
Fundat in has iuſtas orbe ſequente vices.
T e decet in primis, cui Regum purpura cedit,
Attentare pium maxime Cæſar opus.
T e penès imperij Romani ſumma poteſtas,
Et getici arbitrium te penes omne Dei.
I n te omnes defixi oculos, Regéſque Ducéſque
Obſeruant Aquilæ ſigna verenda tuæ.
N ulla tua in toto gens eſt bellacior orbe,
Martia te nemo promptus ad arma magis.
H orreſcúntque tuum Rhodope, Pancheáque nomen,
Te Geta, te Aſſyrius, Perſa, Arabúſque timent.
D iceris innumeras nunc cogere in arma cohorteis,
Vímque tibi imperij conciliaſſe tui.
N ec bene præuiſum, quò ſe ferat impetus. ò ſi
Et Nabatæa potens, thraciáque arua petat.
V eſtra ſed immanes in viſcera vertitis arma,
Veſtráque per veſtras iam ſeges vſta faces.
P arcite in inſonteis cædes inferre latinos,
Viribus his ſæui regna petenda Getæ.

Agmina pro vestris stabunt victricia signis,
Vi simul, & causa debilis hostis erit.
Spicula inuncta feret pro se Daneia Persis.
Omnipotens pro se fulmina Christus aget.
Mersit & vt reflui Pharaona voragine ponti,
Transtulerat sicco, quà sua castra pede.
Sic inimica solo vel hiantibus obruet aruis
Agmina, & incolumeis ducet, vt ante, suos.
Tuta fuit pediti via dissiliente profundo,
Vnda vbi vasta prius, móxque vbi vasta fuit.
Hic & idem ad rapidas operatus Iordanis vndas
Sistere cum iussit nauis IESVS aquas.
Quid, quòd & Ambrosia in mediũ vitalis Eremum
Iusserat ætheria depluere arce dapes?
Tótque Philistæos proprio non robore Sanson
Fudit, at vltoris vis manifesta Dei
Destitit & nunquam miseris succurrere rebus
Mortali nondum corpore factus homo.
Et timor hæc vobis in prælia defore, qui non
Fata salutiferæ defuit ante Crucis?
Arma pij, capite arma, cape arma sacerrime Presul,
Dum bella inter se turba nefanda ciet.
En quod in Otomanas minitatur Persia bellum,
Nescio quis magnus iam mouet arma Sophis.
Nec plureis perhibent olim coijsse phalangas
Cum rate Achæmenia velificatus Athos.
Ite citi, dum tantus adhuc sua robora nescit
Hostis, & experteis sanguinis vrbet equos.
Non facile, assuenit qui vincere, vincitur Hostis.

Impetuoſa nimis agmina victor aget.
Iámq; magum iactat ſibi Perſia, nec ſatis orbis
  Vendicat aſtriferi iam ſibi iura Poli.
Ah tantum prohibete nefas, ſatis vna, ſupérq;
  Graiorum miſeri vidimus excidia.
Seruitum claras ſatis iſſe Propontidis vrbeis,
  Cúmq; viris paſſas fanda, nefanda nurus.
Tótq; obijſſe duces, & Achaïca mœnia flammis
  Diruta, ſanguineo procubuiſſe ſolo.
En miſeri veteris reſtat quota portio Regni.
  Eſt male de vobis iam tribus vna ſuper.
Quid, quòd adhuc ſummi cunabula certa Tonantis
  Occupat hirſuto turba profana gregi?
Et patria, & domus intactæ veneranda Parentis
  Tiſiphone tantum, Perſephonéq; vacat.
Inq; iugis, cæli luſit quibus arbiter, orco
  Impius humano ſanguine libat Arabs.
A ſcelus, à ſacri reuerentia nulla ſepulchri,
  Vnde hominum meruit, ſi velit, aſtra genus.
Prò ſuperi, quæ tanta tenet mora, fortia regum
  Pectora? quid fruſtra ſummus Iulus agit?
An quòd ego in primis auidus precer, ipſa morantur
  Numina, vt alter ad hoc laudis Iulus eat?
Grata mora eſt, hoc ſi Deus annuit, ite rotatu,
  Iam magis, atq; magis accelerate dies.
Ite leues menſes, aliſq; fugacibus anni,
  Dúcq; optata citis ſecula tempus equis.
Vt, qui Cæſarea genus altum ab origine ducit,
  Cuiq; tegit tonſas purpura ſacra comas,

Absenti insignis trabea, triplicíq; Tyara,
Tam pia in arma meus Iulius alter eat.
Ille coloratis decora ampla reportet ab Indis,
Et vanos toto pellat ab orbe Deos.
Ante triumphaleis tunc sit mihi Laurea currus,
Tunc mea Cæsareum pectora numen agat.
Tunc mihi Moymettæ cum gẽte exhausta nefandi
Relligio, & victor Carmen Iulus erit.
Tunc Geta, tunc vinclis tractus Sultanus ahenis,
In'q; cruenta Sophis terga reuinctus eat.

AD ANTONIVM THEBALDEVM.

SÆpe ego te memini nos Thebaldee monente,
Æquora deuotis transilienda viris,
Cum male certa fides tranquillis constet in vndis,
Tótq; natent fractæ per vada salsa rates.
Sed quoniam surda monitus accepimus aure,
Penè tibi exemplum nostra carina dedit.
Forte Cymacleo soluebam carbasa portu,
Lætáq; pacatis cymba volabat aquis.
Ecce repentinos attollunt cœrula fluctus,
Incubat & toto nox inopina Mari.
Nunc ratis in Cœlum, nũc ima in Tartara fertur,
Nunc superintentant tela trisulca necem.
Nauta sereniferos iubet implorare Laconas,
Et vouet æquoreis exta, molámq; Deis.
Pallemus, ceu prona super stet colla securis,
Corpora iam ponto nostra putamus agi.
Hos inter, spes magna metu corda anxia firmat,

Nam geminus summa fulgor ab arce micat.
Insiditq; rati, sternitq; salutifer vndas,
Linteáq; in vasto gurgite cæca regit.
Aspicio, agnoscóq; Deos, & tu inclyte Pollux,
Seu mauis dici nomine Castor ades.
Et tu Castor ades, qui te vis cunq; videri
Vestráq; sint dubiæ prospera signa viæ.
Dixit, & in læuam detorquet Nauita clauum,
Quisq; pias supplex tendit ad astra manus.
Arctus ab occasu fineis extendit in ortum
Lucus, diuersis insula factus aquis.
Eridanus bifido geminum latus abluit amne,
Adriaci reliquum terminat vnda maris.
Fluminis ad ripas duplicem facit insula portum,
Seruat vbi fessas vnda quieta rates.
Pauper flumineo consedit in aggere Lynceus
Syluæ, & piscíferæ depopulator aquæ.
Pellimur huc, magnáq; Deos ter voce vocamus,
Ad vocem Lynceus lumen, opémq; tulit.
Quisquis es hoc ausus puppi dare lintea vento,
Tecta meæ subeas quantulacunq; casæ.
Nec res exiguas, nec parua mapalia temne,
Sic ait, & placido suscipit hospitio.
Est facili in tumulo furca casa nisa bicorni,
Cui latera, & culmen, canna palustris obit.
Res omneis locus vnus habet lectúmq;, focúmq;,
Et Cererem, & Bacchum, fagineósq; lares,
Et falces, & lina, domum quibus educat omnem,
Telaq; de cæsis sanguinolenta feris.

Quinq; viro superant functa de coniuge nati,
  Hic auibus tendit, piscibus ille plagas.
Certatim instaurant igneis, piceásq; virenteis
  Ingerit ardenti sedula turba foco.
Ille sed interea mensam componit agrestem,
  Et varias nulla præparat arte dapes.
Fert pisceis, fert mella suis nondum eruta cellis,
  Molliáq; ilignis vina reposta cadis.
Has epulas vincunt hilares super omnia vultus,
  Verbáq; fatidici pectore digna Numæ.
Qui genus, vnde domo, quò sit via poscit, & vltro
  Nos docet irati plurima signa Maris.
Quid volucres, quid Sol, quid mẽstrua luna minetur
  Præferat æquoreæ, quid graue murmur aquæ.
Vtq; olim veteri sit nomen Mensula luco,
  Mensula setigeris vix adeundus apris.
Hæc ita dũ senior, canibus nemora alta tremiscũt,
  Et resonant curuis cornua littoribus:
Ne timeatis ait, monet hos Dictynna tumultus,
  Abstinet à nostris sed tamen illa lucis.
Iámq; soporiferæ pars altera noctis abibat,
  Gratáq; serpebat membra per ægra quies:
Accipiunt alij dulceis in stramine somnos,
  Vnus ego assiduis vexor imaginibus.
Sed neq; me terrent metuendæ monstra Dianæ,
  Totq; procelloso victa pericla mari.
In me sæuit Amor, nec habent loca sola quietem,
  Quid tibi cum strato pauperiore Puer?
Pallia habenda tibi bis murice tincta laconum,

Regiáq; idæis condita marmoribus.
Quò non sollicitus penetret labor, altáq; egenæ
Cura domus, inopi semper amica lari?
Quid quòd & hic Dictynna tuis inuisa sagittis?
Duratúsq; æstu, frigoribúsq; senex?
Mitius oppetere, atq; auidis fore piscibus escam,
Quàm nullo tutum viuere posse loco.
Mane erat, Adriacas iterũ vocat auster in vndas,
Nósq; vigil clara nauita voce ciet.
Iam funes legit, & céleris parat arma carinæ,
O domus, ò fessis hospita terra vale.
Tecta valete, valete ignes, vale optime Lynceu,
Vósq; salutiferi Diq;, deæq; loci.
Si quid cum Phœbo vigiles meruere labores,
Carminibus viuet gloria vestra meis.
Nec magis Herculei fuerit casa nota Molorchi,
Alterius Lynceus Herculis hospes erit.
Hæc vbi, discessi passis super æquora velis,
Hausit & optatum concita pinus iter.

AD LVCAM RIPAM PRAECEPTOREM.

aN curare neget Superos mortalia quisquam?
Atq; pios dura cernere mente putet?
Ecce meus posita iuuenescit Ripa senecta,
Cui modo non dignam Parca minata necem.
Vos igitur iuuenes, facilis quos Cynthius audit,
Dicite apollinea carmina digna lyra.
Vestráq; Phœbeis circundate tempoa ramis.

Cúmq; suo exultet Calliopæa choro,
Et comis Aonidum, decima cum Pallade, Bacchus
Mænadas Euanteis per iuga summa vocet.
At tibi, pierijs Tyrinthie vincte puellis,
Colligat erranteis populus alba comas.
Huc & Mænalia veniat Tegeæus ab vmbra,
Distendátq; suæ fila canora lyræ.
Peirenes, Dircésq; simul fremat vnda sonoræ,
Et sacri resonent nunc Heliconis aquæ.
Vos mihi Pegasides, quibus omnia noscere fas est
Dicite, quo sospes numine Ripa fuit.
Delius Orthygiæ dum lumina nuper adisset,
Et responsa sacro gentibus ore daret,
Crudeleis vidit frangenteis stamina Parcas,
Et Vatis tempus mortis adesse sui.
Secum tristis ait, non in discrimine tanto
Cessare vlterius, sed properare decet.
Noster enim dira Lucas ita febre laborat,
Vt vitæ ad metam cœperit ire suæ.
Sic ait, & natum, medicas cui tradidit arteis
Aduocat ex adytis dardanis Ida tuis,
Et secum nostram quamprimum ducit ad vrbem,
Atq; tuos subeunt Ripa diserte lares.
Huc quoque conueniunt Podalirius, atq; Machaon,
Huc Pæon gressum, Phillyridésque ferunt.
Inueniunt iam membra graui languentia morbo,
Sensibus, & solitis illa carere vident.
Nec mora, succurrunt non vanis artibus ægro,
Et mala de toto corpore pestis abit.

Ergo frondenti cingantur tempora lauro,
Fragret odorato sparsa liquore coma.
Ceu nouus exuuijs serpens reuirescit ademptis,
Atq; graui reficit segnia membra situ,
Haud aliter veteres vates bonus exuit annos,
Castalium ad fontem qui mihi fecit iter.
Quas ego nunc referam tali pro munere grates?
Quidve rogem pro te Ripa diserte Deos?
Dent Pylios annos & candida fila sorores.
Et tua perpetuo sit sine lite domus.

SOTERIA PRO NICOLAO CORIGIA.

a N non esse putem superis mortalia curæ?
Nec consulta pijs fata cauere viris?
En deploratum sæua modo peste litati
Nicoleon saluum restituere Dei.
Scilicet Hetruscæ ne deforet altera linguæ
Gloria, neu Martis deforet altus honor,
Et simul vna duas raperet Mors improba laurus,
Deliciásq; Hominum, deliciásq; Deum.
Ergo focis messeis, sacris adolere Sabæas,
Templáq; Niliaco spargere rore decet.
Pompa coronatas properet soleanis ad Aras,
Et cum sacrifico Borgia Diua choro.
Aurea cui radiet, pedibúsq; illudat eburnis
Instita, quæ longo Syrmate verrat humum.
Formosóq; micent baccata monilia collo,
Splendeat & fusis plurima gemma comis.

Circlus & Eoos auro suspendat elenchos,
Lucida queis medium frons adamanta ferat,
Armillisq; manum radiantibus ornet vtranq;
Et circum talos gemmeus orbis eat.
Spiret & arabios crineis & vestis odores,
Tum festina Ducis Turba coronet Iter.
Tympanáq; Argento pulset bullata Calantes,
Et Calamo, & magna, Borgia, voce canat.
Te decet in primis nostri noua gloria secli
Borgia, pacatis soluere vota Deis.
Quippe fide expertum, multis Heroa periclis
Restituunt, parca penè negante, tibi.
Nec dolitura parum, leto superante, fuisses.
Non cadit in mores mens male grata tuos.
Ille tuas cecinit victuro carmine dotes,
Quódq; tuum potuit nomen ad astra tulit.
Et tibi lætitiæ consors, consórsq; dolorum
Idem animum fato non variante fuit.
Consilijsq; adhibes, Pylium nec Nestora tanti,
Nec tanti faceres Terræ Ithacensis herum.
His mihi certa fides, veritas tua Numina tantum
Quæ necis, & vitæ pensa seuera trahunt,
Quam iuuat esse tuum, de te bene quenq; mereri
Hortor, & Auspicijs pandere vela tuis.
Hunc neq; iniqua ferant turbato flamina ponto,
Nec rapidum supera fulmen ab Arce petat.
Et per cyaneas, sine malo, & remige Cautes,
Et siculos tutus transeat ille canes.
Tutos Lotophagos, tutus Læstrygonas inter,

Antráq; non cæci Sæua Cyclopis eat.
Audiat & cantus, nautarum fata, sicanos,
Nulla tuo incolumis sidere damna ferat.
Ipse ego dira magis sospes discrimina vincam,
Mi quoniam tanti numinis aura fauet.

HERCVLIS STROZAE TITI FILII AMORVM LIBER PRIMVS.

Ad Lycum Seruum, nauim, qua Dominam vehebat, pertinacissime propellentem.

QVò Lyce? quò properas? celerē cōpesce carinā,
Non opus hic remis incubuisse citis.
Non te mandatis cursor properantibus vrget,
Nec pauidus læsa vector ab vrbe fugit.
Nec ferus insequitur ponti populator Iberi,
Aut venetæ custos insidiosus aquæ.
Nec tua certantes instant post terga carinæ,
Vnde tibi primus surripiatur honos.
Quem fugis, ipse vehis tecū est pars altera nostri,
Altera cur adeo non rate digna tua est?
Aut hāc redde mihi, aut reliquā quoq; suscipe partē,
Sarcina coniuncti non onerosa sumus.
Quin, tua si longus delassat brachia remus,
Non ego despiciam munus obire tuum.
Sit mihi fagineo nauim propellere conto,
Ipse bonus remex, ipse magister ero.
Mecum amor insurget remo ventisq; vocati,

Ibimus optatas, te recubante, vias.
Cúmque ratem subigam, si quam tu perditus ardes,
Concine, molle tuo carmine fiet iter.
Mi sat erit, nitidis si me tunc spectet ocellis,
Et laudet nixus chara puella meos.
Huius ad obtutum crescet mihi robur, & à me
Magne maris domitor Typhi secundus eris.
Dum loquor, heu diuersus abis, rogo nauita siste,
Siste moraturam, si sinis ipse ratem.
Siste precor, per siqua tuis flamma ossibus hæsit,
Aut tibi si seruum ponere cura iugum.
Sic nec anhela fames, nec te sitis arida lædat,
Nec dominus merito verbere terga secet.
Immemorem officij me nulla redarguet ætas,
Multa super vestro sanguine digna canam.
Tullius inde Palatinas vt vectus ad arceis,
Martigena summum gesserit vrbe decus.
Alter, & alter, vti vitam seruaret herilem,
Obtulerit certæ pectora fida neci.
Et referam scriptos in punica bella Volones
Romula pugnaci pila tulisse manu.
Magnanimique loquar sceptrúmque, fidémque, Micythi,
Tótque æterna bonis artibus ingenia.
Nec nisi seruili fieri de sanguine Regem,
Eoos lata qui ditione tenet.
Vtque nihil metuat Turcas manus ista feroces,
Pérque aliena suas regna ministret opes.
Hinc & deliciæ, & suaues mittuntur odores,
Quos Domino Tellus fert inarata suo.

Hic quod pinguis alit septeno gurgite Neilus,
Quod celeri pingit Dædala Memphis acu.
Quicquid Arabs, Seresq; ferunt, & odorifer Indus,
Rubráq; gemmiferi deuehit vnda Maris.
Aspera gens bello, sed non tamen aspera cultu,
Ad Venerem dura Martis ab arte redit.
Te quoq; credibile est Veneris sensisse calores.
Forsan & Arabiæ carperis igne Napes.
Furtiuos precor illa tibi coniungat amores,
Nec pateant vestræ crimina nequitiæ.
Sed quid ego hæc Demés leuibus frustra eloquor au-
Furcifer ille notæ deterioris abit. [ris?
Nec precibus, neq; pollicitis fera corda mouentur.
Improbe non iuris tanta rapina tui est.
Haud frustra geminæ tibi pars bona deficit auris,
Oráq; candenti forcipe adusta geris.
Ipse ego te vidi mitra vinctum ire pudenda,
Tergáq; plectenti sanguinolenta manu,
Affusámq; tibi puerorum illudere turbam,
Surgit an ex illo nunc tibi crista die?
Non quodcunq; tamen crimen scelerate luisti,
Ominor, & verbis omina certa meis.
Aut vncus trahat, aut quercu pendentis ab alta
Incita gypsatos verberet aura pedes.
Déq; tuo impastis sit rixa cadauere coruis,
Post auidi lacerent ossa relicta Lupi.

Joan: Cordstreem

AD PETRVM BEMBVM, DE DISCESSV AMICAE AB VRBE.

Vrbe meus discedit amor, discedere & ipse
  Cogor, amicorum maxime Bembe vale.
Rura peto, valeátq; forum, valeántq; sodales,
  Et Venus, & Veneris cessit in arua Puer.
Pascit amor pecus, at numerum Cytherea recẽset,
  Vomere dura graui iugera findit Hymen.
Et Dominã mirantur oues, Dominúmq; volucrem,
  Vicinásq; rudis combibit agna faces.
Plus solito petulans aries salit, ictáq; tellus
  Sentit aratori numen inesse suo.
Vernat ager, gaudéntq; greges, gaudéntq; coloni,
  Falciferiq; putant secla redisse Senis.
Plurima Saturni rediere: sed illa parentum
  Libertas nusquam, simplicitásq; redit.
In commune dabant segetem, in commune puellas,
  Nemo sua agnorat semina, nemo torum.
Valle sub vmbrosa Dominam quærebat amator,
  Osculáq; inuentæ non dare, crimen erat.
Felices nimium, quibus illo tempore nasci
  Contigit, & tanta commoditate frui.
Dij male habẽt, qui primus agrũ discreuit ab agro,
  Quiq; suo statuit quenq; iacere toro.
Omnia quisq; tenebat, erátq; probatior ille,
  Qui nihil in tota iusserat esse domo.
Non erat vna viro coniux, non vna puellæ

Copula, & vt libuit concubuere palám.
I am fessis dabat herba torū, dabat arbutus vmbrā,
Murmure sopitis prætereuntis aquæ.
B landáq; vicina recinens Philomela sub orno,
Mollibus excierat dulcia bella modis.
O' mihi nunc mos ille redi, per rura, per vrbeis
Hærebo Dominæ sedulus vsq; meæ.
N on ego in alterius rapiar desultor amores,
Liberáve excursum flamma licenter aget.
V nam, siue Getas, seu tendat ad vsq; Britanos,
Seu volet in Libyam, Taprobanénq; sequar.
F erreus a quicunq; tuos perspexit ocellos,
Et negat ad maneis te mea vita sequi:
Quærat opes alius, finésq; extendat auitos,
Et celeres multo comparet ære Syros.
Quem malus exagitet noctésq; diésq; Cupido,
Cui ferat occultam serua caterua necem.
M i potius liceat resonante sub ilice tecum
Degere securos Parthenopæa dies.
V rgentémq; famem vili restinguere victu,
Pelleréq; Eridano pocula dante sitim.
E xpressósve cauis manibus sorbere racemos,
Aut bibere è pleno candida musta lacu.
T unc iuuet enixæ fœtum legisse capellæ,
Inq; meo tremulum detinuisse sinu.
P ascentémq; gregem querulis mulcere cicutis,
Humidáq; in medijs oscula ferre sonis.
Quin iuuet vmbrosos canibus circundare saltus,
Et latus ad tensas conseruisse plagas.

Aut ad aratra boues sub primam iungere lucem,
Et cereale bonæ credere semen humo.
Sit mihi cura rudes infringere vomere glebas,
At tibi formosa spargere farra manu.
Dein tecum iam Sole cadente subire penateis,
Quos tegat humenti canna resecta lacu.
Quò non perueniant liuor, curæq; sequaces,
Rixáq; nos inter non habitura locum.
Sed facilis, sed grata quies, repetitáq; sæpe
Gaudia conueniant, conueniántq; ioci.
Quid mihi Massylæq; fores, laqueatáq; prosunt
Tecta, rapit magnus si mea corda furor?
Despiciam fului quicquid Tagus egerit auri,
Quicquid gemmarum diues Eous habet,
Dummodo te possim cupidis retinere lacertis,
Et tecum longos ducere vita dies.
Hoc mihi contingat. te rerum noscere causas,
Quò potes ingenio, numina Bembe sinant.
Quenq; suus Genius trahit, & sua quenq; voluptas
Te sibi vult Pallas, me tener vrget amor.
Vrget amor, qualis medijs te in fluctibus Helles
Vssit abidenæ magnæ Natator aquæ.
Nec me prima sinit scrutari semina rerum,
Aut fera grandissona bella tonare tuba.
Cúmq; mei vellem laudes contexere Mauri,
Et sibi iam magnum Musa parasset opus:
Surge puer dixit, calamósq; repone loquaceis,
Altera iam veniunt bella canenda tibi.
Hæc olim memorare dabo, nec parua sequetur

Gloria, nunc aliò te mea tela vocant.
An tibi cura magis Belgas, Morinósque referre,
Tristiáque Herois condere bella modis,
Quàm Dominam per rura sequi? lustrísque mereri
Gaudia mæonijs anteferenda sonis?
Dixerat hæc, pura cum me circuntulit vnda,
Tunc mihi visa quidem est vnda, sed ignis erat.
Ignis erat, neque enim celeres diuerterat alas,
Iámque in me magni signa caloris erant.
Nec calor illud erat, nunc me rigor asper habebat,
Nunc Phlegethonteo rebar ab igne rapi.
Quicquid erat, nostro vireis augebat amori,
Plus solito sensi pectora nostra premi.
Nũc quoque, dũ loquor ingeminat Venus alma furorẽ.
Iam propero, fer opem mi Dea, Bembe vale.

AD COELIAM AMICAM, VT MVTVO AMET.

QVid mihi dona sacris vouisse ingentia tẽplis
Profuit? & iunctas thure dedisse preces?
Non vt Erythræi cumularem munera ponti,
Quódve metalliferis egerit Hermus aquis.
Nec mihi vt imperium Dominæ contingeret vrbis,
Iret & à nigris candida fama rogis.
Nostra sed vt sæuis releuarent pectora flammis,
Aut mihi cum Domina mutuus esset amor.
Túncque per amplexus felicis stamina vitæ
Duceret in longas Parca benigna moras.
Et cum me fatis vrgeret inutilis ætas,

Ante rogum canis fleret amica comis.
Nam mihi quid prodest, primo quæ venit ab ortu
Diuite gaza rubri littore nata maris?
Quidve mihi prodest, fului quodcunque metalli
Bessus, & aurifera Dalmata fodit humo?
Aut prolata iuuant bellacis iura Gebennæ,
Appuláque hispana regna subacta manu?
Quid Getici decus, atque immensa potentia sceptri,
Aut bello, aut placida gloria parta toga?
Nil leuat oppressam curarum pondere mentem,
Si Venus auersa negligat aure preces.
Sit mihi grata magis paupertas Cælia tecum,
Quàm sine te, totus quas habet orbis, opes.
At fatis adeo trahor in diuersa malignis,
Vt tibi sit curæ tantula cura meæ.
Tu facilis modo, difficilis modo, sed meus idem
Perstat, & assueto tramite pergit Amor.
Visa simul, simul ipsa cupita, simúlque dicaui
Libera seruitio pectora nostra tuo.
Et me felicem dixi, dixique beatum,
Qualis forma, fides si tibi talis erat.
Forma fidem superat, fitque ipsa potentior, illa
Debilior, nobis illa, vel illa nocet.
A quantum fidei, tantum quoque deme decoris,
Quǽque minor, minus est diminuenda tibi.
Sed quid diminuas? potius, rogo, quàm potes, auge,
Auctáque supremos duret adusque dies.
Tũc neque regna petã, nec quod micat vbere lympha,
Seu Pactole tua, seu Tage flaue tua.

Hæc alijs optanda, mihi tu Cælia tantum,
Non satis ad vultus orbis vterq; tuos.
Quòd si dura negas solitis contendere flammis,
Ante velim nobis ima dehiscat humus.
Spéq; bona vacuus cunctos prius angar in annos,
Sub Phlegethonteo flebilis vmbra lacu.

AD AMICAM INGRATAM.

I Nunc, & Dominæ famam molire perennem.
Déq; puellari scribe legenda fide.
Sæua decennalis preme nunc incendia flammæ,
Tótq; sub augusto pectore damna tege.
Perfer, age huc, illuc pro re quacunq; recursa
Sedulus, & rubri selige dona Maris.
Vt tua post facili laceretur epistola culpa,
Exclusúsq; fleas noctibus ante fores.
Nec sit adoratos oculos spes vlla videndi,
Et tua sit nulla parte recepta fides.
A genus ingratum, & malefidum fœmina nomen,
Quas neq; certus amor, nec benefacta mouent.
Demens, qui meritis muliebria vincere corda,
Sperat, & hæc longa demeruisse fide.
Non ita threicio nubes aquilone feruntur,
Non adeo segetes quolibet Eurus agit.
Vt rapit instabileis animi leuis ira puellas,
Tótq; opus annorum diruit hora breuis.
Quóq; putas tranquilla magis super æquora ferri,
Hoc minus est pelago nauita habenda fides.
Quis bene iam tenero posthac confidat amori,

Si pretium, exilium est post duo lustra mihi?
Nec satis exilium est, quòd tam patienter amaui,
Quódq; meus nulla labe notatus amor.
Additur huic aliquid, quod me violentius angit,
Scilicet illa meis gaudet iniqua malis.
Illa meus quondam dolor, & mea sola voluptas,
Quam penes est nostri pectoris arbitrium.
Gaudeat illa magis, quo me magis aspera torquet,
Dum modo torquenti fidus, amánsq; vocor.
Sed neq; iam fidum, nec amantem perfida credit,
Dum putat his victum terga dedisse malis.
Nec frustra, quis enim, quæ tot tolerauimus annos,
Perferat exigua voce silente mora?
Tu tamen ipsa, animum toties experta fidelem,
Debueras de me pertimuisse nihil.
Dum tua cura parum nostris fuit ignibus impar,
Non tibi mens adeo plena timoris erat.
Quin mihi cuncta libens vni memorare solebas,
Vnus eram Dominus, seruus & vnus eram.
Nunc, ea cũ subito, & sine causa flamma tepescat,
Non videor formæ dignus amore tuæ.
Sim licet indignus, decimo cur despicis anno?
Déq; mea nuper consulis ipsa fide?
Tunc me debueras abs te remouere furentem,
Cum rudis in primo limine flamma fuit.
Non leue crimen erit, tumidas duxisse per vndas
Remige, mox nudam destituisse ratem.
Vt cupiam, vetat acta notis dare lintea retro,
Instat & vsq; minis imperiosus amor.

Crede mihi, non est aliquà sanabile vulnus,
Quod videas annis conualuisse decem.
Serpit vti sensim bibulis noua flamma medullis,
Sic nisi per longas labitur aucta moras.
Omnia tentaui, ne me tuus vreret ignis,
Omnia tentantem sæuius vssit Amor.
Canimus, effluerent sub inerti tempora luxu.
Sæpius & longas cœpimus ire vias.
Sed tamen incassum per saxa ligustica fugi,
Transfugáq; Ionium per mare vela dedi.
Seu cane prædabar saltus, seu retibus vndas,
Per vada, per syluas vsq; secutus amor.
Quin ego, da veniam, (sic me dolor altus agebat)
Has aliò volui pellere amore faces.
At simul vlla tuæ fuerat collata figuræ,
Tum magis hoc sese deuius auxit amor.
Incubuitq; domus curis, patriæq; regendæ,
Nec metuunt flammas, vrbsq; domúsq; meas.
Mille tui species sub mille laboribus offert,
Fingit in exitium quas puer ille meum.
Sæpius vt medijs animus mihi desit in actis,
Nec videam sano lumine siquid ago.
Et mihi præcipuæ vis non fuit integra mentis,
Commisi famulo cum mea verba tuo.
Qui, licet ipse mihi rear hunc vixisse merendo,
Ignibus arcanis non adhibendus erat.
Quid tamen, hos præter numeros, commisimus illi?
Clausit lunifera quos mea gemma nota?
Quid, quòd & occului fictis mea vulnera verbis?

Vix, quæ fecisti, vulnera nota tibi.
Nil ego peccaui, potius rea pagina fati,
Illáque non faustis eruta cera fauis.
Quid loquor? ille ego sum tristi damnatus ab astro,
Te mea præcipitem littera fata trahunt.
Sorte mea, tu facta leui ludibria vento,
Inuideo pœnis attamen ipse tuis.
Nescio quid tibi dulce, manus dum scindit herilis.
Heu, necat, & non me tangit amata manus.

QVERITVR, RELICTIS MVSIS regendæ reip. incubuisse. vbi præsagit breui se moriturum, inemendatósque relicturum suos libellos.

e Rgo erat in fatis, vt adhuc venie͂tibus annis,
Nomina Sarcophago non diuturna darem?
Cum bene quid de me viridis promitteret ætas,
Iámque meis essem non renuendus auis,
Forsan, & explicitus curis, vrbísque, domúsque,
Iam gererem fronti Bacchica serta meæ.
A demens, qui res, alienáque commoda, nullo
Munere prætulerim Calliopæa tibi.
Tu facis alma tuos post secula mille renasci,
Natalem celebrant nuper Homere tuum.
Cuncta Maroneum viuet per secula carmen,
Naso tuum viuet, culte Tibulle tuum.
Viuet & extremo numerosus Horatius æuo,
Et tua Lucreti fama perennis erit.
Galle tuus super ignis erit, teneríque Properti,
Aurea dum Veneris diriget arma puer,

Dumq; polus vertet pegaseæ signa carinæ,
Flacce tuæ dabitur palma secunda lyræ.
Cumq; tuo celebris superabit corduba Vate
Oedipodioniæ conditor historiæ.
Saxa cadunt, & dura annis voluentibus æra,
Effugit has fati musa diserta vices.
Dum fluet Eridanus patriæ propè mœnia nostræ
Anthia nota mei voce parentis erit.
Dũ fluet, & refluet venetã maris vnda per vrbẽ,
Docte tuus triplex Bembe legetur Amor.
Tinctile dum Scyticas armabit missile dextras,
Durabunt numeri mi Scytha culte tui.
Iam Thebaldeo suaui data gloria lingua,
Seu Romana illi, seu mage Thusca placet.
Et nos distulimus vigili dare carmina limæ,
Sperantes nostros lentius ire dies.
Parce precor rudibus lector generose libellis,
Hincq; tuos alijs conciliare puta.
Si tamen offensus numeris, serieq; iubebis,
Hinc præbenda meis prima alimenta rogis,
Dic rogo, dic, vulgo circunsistente, canebat,
Hoc quoq; vix poterit turba tacere loquax.
Pauca tamen recolo Veneri lusisse, puellæ
Inuidiam citra sint precor illa meæ.
Illa habeat saltem hoc miseri leue pignus amãteis,
Et sciat in raram me cecinisse fidem.
At male cum pateat, quæ nostri carminis hæres
Legatus Dominæ stet super ossa liber.
Vt si forte queat vetitos clàm fundere questus,

Vergeréq; in cineres liba negata meos,
Colligat inde, mihi fuerit num charior vlla,
Dum leget in laudes carmina nostra suas.
Et super hæc laniata genas, turbata capillos,
Defleat in tumulo talia verba meo.
Hæc igitur tantum de te mihi dona supersunt,
Cætera sub lapide hoc mors violenta tegit.
Aut simul ambobus vitam, finémq; dedisset
Iuppiter, in votis quod fuit vsq; meis,
Aut ego, si fuit alteruter, tollendus obissem.
Felix cui licuit fata subire Viri
Aut mea, quod fieri potuit, potuitq; licere,
In te non adeo cura fuisset iners.
Non me debuerant, custósq;, metúsq; morari,
Non, mihi si premerent ferrea vincla manus.
Compedéq; astrictam clausisset ahenea turres.
Et decet, & fertur quod iubet acer amor.
Hei mihi non aliquà languentem sedula iuui,
Irrita nunc muto dona fero cineri.
Irrita sint quanuis, non sunt ingrata sepulto,
Si bene quid merui, si tua nota fides.
Sed precor has ego per lachrymas quas luia fundũt,
Per quæ iurabas, quæ tibi numen erant,
Pérque tuos maneis, per siquid amabile functis,
Oro, meus nunquam despiciatur amor.
Neu tibi defunctæ placeant magis Heroïnæ,
Aut mihi te rapiat candida Persephone.
Floribus interea cumulem tua busta, tuisq;
Manibus inferias sæpe operata feram.

E t tua ne lapis ignotus sibi vendicet ossa,
Talibus inscribam marmora dura notis.
S trozius hic, viridi quem sustulit Atropos æuo,
Pro quo maluerit fida puella mori.
H æc mihi si maneis veniant audita sub imos,
Eruerim mersum sub Phlegethonte caput.
G rata minus fuerint Rhodopæi carmina vatis,
Non semel hæc vetitum læta redibit iter.
S ed iam summa venit fatis vrgentibus hora,
A nec amica mihi, nec mihi mater adest.
A ltera vt ore legat properæ suspiria vitæ,
Altera vti condat lumina, & ossa tegat.
D efletam mihi iam toties tegit vrna parentem,
Chara premar quantis nescit Amica malis.
E t licet hæc illi leuibus referantur ab auris,
Non dabitur miseræ funeri adesse meo.
E xcubat insonti custodia sæua Puellæ,
Inter auernaleis non leue nomen anus.
I mproba vestaleis reserat, laceràtque tabellas,
Oblinit & fixam clàm taciturna seram.
N octe vigil, surgitque toro, quæritque iacentem,
Fingit & ad strepitus euigilare nouos.
S æpe ego cum vellem summi per deuia tecti
Repere, conantem voce repressit anus.
N unc mentita faces, nunc agmina serpere furum,
Ciuit anhela truces in mea fata manus.
S it tibi vita grauis, finisque grauissima fati,
Et tua diripiat pessima busta canis.
E t si forte in me, (sic Dis poscentibus) hausit

Parca Prometheis dolia plena malis.
Partem aliquam insontem nostrorũ Phœbe laborũ
Inijce, nec me ideo soluere fata nego.
Si cadet illa volens, superum conuexa relinquam,
Lætáq; ad Elysium deferar vmbra nemus.
Hic ver perpetuum fragranteis educat herbas,
Muneráq; autumni præbet amœnus ager.
Hic casiam, segetésq; parit sine vomere tellus,
Hic rigidæ quercus dulcia mella ferunt.
Læta susurrantes saliunt per gramina riui,
Et leuis arboreas ventilat aura comas.
Semper odoratus gemitus philomela sub vmbris,
Integrat, & passim plurima garrit auis.
Hic Linus insignis lauro, atq; œagrius Orpheus
Ducunt euanteis festa per arua choros.
Nec minus ad numeros aĩas trahit enthea Sapho.
Concordant docili verba diserta lyræ.
At circunsiliunt iuuenes, teneræq; puellæ,
Quos inter Charites, & leuis errat Amor.
Hic choreas agit, hic campis spatiatur apricis,
Cautior vmbrosis delitet ille locis.
It furtim Cytherea comes, monstrátq; recessus,
Et bona quæ Dominæ verba loquatur amans.
Hic, tibi cum Lachesis fataleis neuerit annos,
Inuenies patrium me propè vita Padum.
Tum simul arcanos tuti memorabimus igneis,
Inq; malam Diti multa queremur anum.

DE AMICA IRATA.

AT non blãda preces, at non dedit oscula nobis;
At, puto non nudo nuda recepta sinu.
Et tamen vsq; magis Tigris velut aspera sæuit,
Nequitiæq; potest non meminisse suæ.
Vnde nouus menti furor incidit? vnde repente
Sunt data lethæis gaudia tanta vadis?
An quia non artus, non pectora firma puellis
Humani generis finxit iniqua parens?
An potius leuibus tetigit præcordia flammis
Tempore non longo dissimulandus amor?
Hoc equidem reor, in longos sic distulit annos,
Sic dedit euictum penè coacta latus.
Verus amor, quodcunq; moræ, quodcunq; recusat
Dissidij, & stabileis imperat esse suos.
Non igitur fictæq; preces, fictiq; furores,
Mendacésq; ioci, nec bene vera Venus.
Quòd si ita, falsa mihi non sunt ea gaudia tanti,
Vt redinina miser fata subire velim.
Quæ venit inuito, parui facienda voluptas.
Mens dantis meritum grande, minúsq; facit.
Vilius extorto munus præponderat auro
Dextera quod superis grata, libénsq; dedit
Nẽpe ego si amplexus tibi, & oscula reddere possim
Omnia dicam habeas dura puella tibi.
O, prius acceptas valeam si reddere flammas,
Liber ab ingrato quantus amore ferar.
Sed simulac bibulis hæsit Cytherea medullis,

Non bene possessa de statione fugit.
Corpora nec tantum, sensus quoq; dira perurit,
Et comes ad nigros pergit humanda rogos.
Tu quoq; non ficte si me crudelis amasses,
Seruares pactam tempus in omne fidem.
Tu ne oblita Deos in fœdera sancta vocatos?
Túne parum Veneris mutua furta facis?
Tun' modo tam facilis, facta es Sipyleïa cautes?
Aut quæ in Marpesi vertice dura silex?
Non bene conueniens formæ rigor, exue mentem
Externam, & mores indue Bella tuos.
Méne accensa vides, quo lumine Penthea mater?
Et tibi in hostileis impetus ire genas?
Parce, per indefessa tui precor arma volucris,
Pérq; tuos oculos, sidera clara meis.
Ille ego sum, qui nuper eram tibi lumine vtroq;
Charior, & præ quo sordida cuncta tibi.
Quis sontem, fateare precor, me fecerit error,
Et veniam admissi deprecer ipse mei.
Nil reor obijcies, méq; in mea iura repones,
Rara, nisi à facto crimine pœna venit.
Non sine te mihi culpa, animũ regis, & regis artus,
Reijcienda in te crimina siqua mea.
Túq;, comǽq; tuæ, plectendáq; lumina, & ille
Qui micat in roseo plurimus ore decor.
Sed tibi parce. sibi quis non ignoscere curet?
Non coma, non oculus, formáve damna ferat.
His potius, dum te tempus sinit, vtere donis,
Restituent nulli gaudia lapsa dies.

Inuitásq; trabes frangenda in stamina parcas,
Si tenerum pectus cura seuera premit.
Mutua in extremam differ, rogo, fata senectam,
Nec differre labor non tolerandus, ames.

INFELICEM SE IN AMORE FVturum, & sinistris augurijs, & portentosis insomnijs, alijsq; signis ait se admonitum.

Hoc erat, ignotæ quod edebāt pectora curæ,
Hoc erat obscœnæ quod cecinistis aues.
Hinc ea sub lucem in sommis portenta videbam,
Tum male ter salsa fruge piata mihi.
Iam quater infelix cecidi. cui fata reseruant
Supplicio? non hæc sustinuisse sat est?
Si nihil in melius referunt mea sidera, quid nunc,
Quid moror inuitum trans mare ferre pedem?
Quis timor vndosi tentare pericula ponti?
Fluctisonas viuam naufragus inter aquas.
Tot lachrymis flammæ non concessere furentes,
Vasta nec has gelidi supprimat vnda maris.
Quin satius Tanais glaciem potare niuosi,
Illitáq; hyberni tela timere Getæ,
Quàm tacitos inter gemitus, tacitúmq; dolorem,
Exilium toties, exitiúmq; pati.
Ire adeo longe libet, vt non ipsa sequatur
Anxia de nostra fama futura nece.
Arcanos vbi sit fas prodere voce dolores,
Et mala, quæ constans per duo lustra tuli.
Forsitan hic aliquis sortem miseratus iniquam,

Tentabit fletus diminuisse meos.
Aut sacer, & dura genitus sub rupe Promethei,
Vulnifico pœnas finiet ense graueis.
Nūc neq; nostra memor sceleris circūuolet vmbra,
Nec precer, huic reddant numina iusta vices.
Cæserit ipse minus, quod quæ me amat, vrit, & angit
Tam magis hæc in se, quàm magis extat amor.
Non adeo magnum præ se ferat illa calorem,
Non adeo magnus, quo premor, ignis erit.
Tam bona liuor edax abrumpere vincula tentat,
Et faciet, si non cælet vterq; faces.
A satis, a miseri frustra occultauimus igneis,
Iam puto contulerit bella mouere palám.
Sæuius inclusæ rapiunt præcordia flammæ,
Mitius ex cursu liberiore premunt.
Tum liceat saltem de te mihi plurima fari,
Sollicitus fando sæpe leuatur amor.
Forsitan, & nostros Genitrix miserata furores,
Non tibi, sit quamuis dura, negabit opem.
Sæpius indulget natæ pia Mater amori,
Et recolit, siquas pertulit ipsa faces.
Verba rudem, nutúsq; docet, quibus vrat amanté,
Aptáq; delitijs tempora cauta legit.
O tibi non aliam contingat habere parentem,
Aurea quæ nobis consuluisse velit.
Quæ tibi me ducat furtim, & tua gaudia curet,
Et paret ambobus clàm taciturna torum.
Et vocet ante diem lassos, iteratáq; soluat
Oscula, & in tenebris præuia monstret iter.

Iámq; recedenti te commendare laboret,
Et moneat, qualis pœna sit ista loqui.
Hanc ego tunc studeam versu laudare perenni,
Hanc sequar, huic Arabum munera rara feram.
Atq; vbi iam senio longos expleuerit annos,
Accipiet nostra dona suprema manu.
Primus in exequijs lugubri carmine laudes
Exequar ad mœstas & ipse Nurus.
At tibi roranteis tergam solator ocellos,
Osculáq; in medijs fletibus apta dabo.
Inde nouis pergam tumulo dare serta Kalendis,
Et noua funereis liba adolere focis.
At mihi quæ fingo demens, rapit irrita ventus;
Et magis Hircana Tigride sæuit anus.
Nec scit adhuc quæ causa meos accenderit igneis,
Dum timet ancillæ Parthenopæa tuæ.
Aut timet, aut illi simulat peruersa timere,
Exilium, quouis acta timore dedit.
Non erit ergo mihi posthac charissima tecum
Ludere? non animum pascere? non oculos?
Hæc'ne mihi quondam de te speranda fuere
Gaudia, cum facie mens mea capta tua est?
Tótq; dies, tótq; incassum consumpsimus annos?
Vix tanti Danais ipsa Lacæna fuit.
Hæc'ne Venus post bella bonus fert præmia miles?
Nemo tuo posthac ære merere velit.
Non tamẽ efficies vnquam, vt data signa relinquã,
Nostra tua non est labe notanda fides.
Seu mihi terra magis, seu sit magis æquor arandum,

Testis erit fidei terra, fretúmque meæ.
Tu quoque per magnos serues data fœdera Diuos,
Exilióque fleas chara puella meo.
Flebis, non riget in tenero tibi pectore ferrum,
Non tamen (heu) non es nostra futura diu.
Ite pedes, patria non amplius vrbe morandum est,
Ite, animi virtus frangitur illa mei.
Cum bene pertulerit furias ratis ærea ponti,
Sæpius in breuibus, victa fatiscit aquis.
Ille ego, qui potui tot tristia ferre tot annos,
Has Veneris fateor non tolerare vices.
Vita vale, valeátque pater, valeántque sodales,
Soláque feruoris conscia rura mei.
Vósque meæ Lauri, vos, quà licet, vsque cauete,
Ne pateat vestro cortice cæsus amor.
Crescite, decrescántque notæ, procul omnis abesto
Littera, dum libro subueniente perit.
At tu Bembe meos, quem non celare calores
Debueram, tanti semina disce mali.
Fas vni tibi nosce decem quæ me vsserit annos,
Quæ'que meo iussit corde latere faces.
Hanc tamen obtestor, ne te sciat indice quisquam,
Graia tibi seruet sic Telesilla fidem.
Sic mihi, quæ dixti, cunctos cælentur in annos,
Nulláque non felix sic eat hora tibi.
E loquar? an sileam? quis adhuc timor? vrimur illa,
Nomine quæ ficto dicta Creusa tibi.
Cuius & ingenium, & mores formámque probabas,
Hei mihi quantum illis laudibus ignis erat.

Vix bene finieram sextæ trieteridis annos,
Cum rapidus teneris ossibus hæsit amor.
Illa quoq; incaluit sensim, sed opertius arsit,
Vix mihi post longos prodita flamma dies.
Huic neq; pellaces misi de more tabellas,
Nec quicquam de me conscia lena dedit.
Tantum lingua, oculiq; duces in amore fuere,
Tempus ad hoc potuit mutua flamma tegi.
Quò magis occuluit sese Deus, hoc magis vssit,
Non tua sic clausis æstuat Ætna iugis.
Hac tot dura tenus, sed iam grauiora fatigant,
Me procul à Domina sæua relegat Anus.
Imus, ad immeritum precor vlciscare dolorem,
Quà potes huic laqueos, insidiásq; para.
Litem habet, hâc longos studeas differre per annos,
Erret, & alterius limen, opémq; petat.
Dum volat huc, illuc, supplantes obuius illam,
Et simulans lapsam tollere velle, premas.
Cúmq; domum repetet, tunicas informis, & ora,
Illudas capiti qualibet arte malo.
Nec minus abrũpant crepitãtia tympana somnos,
Pro Domina & pœnas icta fenestra luat.
Quin adeo meritam post vltima fata lacesse,
Despue in extructa noxia membra pyra,
Sulfura pro costo feralibus inijce flammis,
Sulfura nec tantum, sed male quicquid olet.
Nec phario madeant exusta cadauera succo,
Meiat in ardenteis saga profana rogos.
Sibilet empta tibi, & cineres super accubet anguis,

Et sere pro violis ante sepulchra rubos.
P ost nocuum infamet prægrandis littera bustum,
Lumine quam Cursor prætereunte legat.
H ic Anus, egregium quæ seua premebat Amantem.
Quisquis amas, sontem denoue, & ossa preme.
P ersequar ipse truces per regna silentia maneis,
Si modo surda mihi fata perire dabunt.

HERCVLIS STROZAE TITI FILII AMORVM LIBER II.

Quòd etsi perdite amat, amorem tamen cælare se oporteat.

V Ror, Io sæuas remoue Puer improbe flãmas,
Vror, & vlterius mens nequit ægra pati.
P ectoris arcanos, nihil est, quod temperet æstus,
Causa sed exitio quælibet apta meo.
S eu mihi sidereæ subeunt fastigia frontis,
Seu, Veneris qualeis non reor esse, Comæ.
S eu magis arguti vireis admiror ocelli,
Labráve purpureis anteferenda rosis.
O ráq; natiuo niueum fucata robore,
Qualia commiscet pocula Massagétes.
S eu simileis ebori denteis, & eburnea colla,
Seu niuei recolo munera rara sinus.
S eu leueis humeros, seu castigata voluto
Ilia, seu longam, præniueámq; manum.
D eniq; seu decor obijcitur, seu gratia morum,
Mille Venus causas vnde fatiget, habet.

Nec suspirandi locus est, pœnámq; fatendi,
Vna datur lachrymis conscia sylua meis.
Hic quoq; vix ausim tenueis effundere questus,
Dum timeo intentis auribus esse rubos.
Nanq; & hamadryadas cognata viuere quercu,
Naïdas & liquido degere fonte ferunt.
Quin viridi occulta signaui in cortice nomen,
Abrado inuita chara elementa manu.
Ergo graueis semper taciti cælabimus igneis?
Quámq; ferat nobis, non sciet vllus opem?
Mitius est subita fatum subijsse securi,
Inter & hostileis oppetijsse manus.
Mille neces vnà patimur, sempérq; fatigat
Sæuius, impatiens carceris acer amor.
Sueuerat huc, illuc, leuibus diuertere pennis,
Ducere nec longas in statione moras.
Iam bis in Elæo certarunt puluere currus,
Pectore discessit nec tamen ille meo,
Signa nec vlla dedi populantis corda caloris.
Mille faces constans, spicula mille tuli.
Qui bene dissimulat, quos dissimlauimus igneis,
Militet in castris magne Cupido tuis.
Et tua littorea redimitus tempora Myrto
Signa triumphaleis præferat ante rotas.
Sed mihi quid prosunt artes? si semen arenæ
Creditur, & sterilis nil mihi reddit ager?
Tot mala perpesso vix contigit oscula furtim
Carpere, blanditias nec seruisse datum est.
Sæpe quidem licuit per causam tangere dextram,

Clámq; pedem tenero composuisse pedi.
Tum magis inde meis passim Bacchata medullis
Flamma grauaturum continuauit onus.
Et nisi quòd graciseis spes credula nutrijt artus,
Iam niger hausisset corpus inane rogus.
Vix manet, vmbra pedes, vmbra est hoc debile cor-
Ante quod optauit multa puella sibi. [pus,
Nec tamen æquorea maciem de compede traxi,
Membra Prometheis nec tenuata malis.
Hoc Dominæ crimen, cuius de fronte Cupido
In mea feruenti conijcit ossa faces.
Non me Sicanius flammauerit acrius ignis,
Quàm Dominæ, roseo qui micat ore, nitor.
Sed tacito flammas sub pectore ferre necesse est,
Vulnera ni frustra sustinuisse velim.
Post Hyadas, sperat geminorum sidera fratrum,
Nec timet iratas Nauita doctus aquas.
Sic mihi post longos requies speranda labores,
Vlla nec inceptum causa moretur iter.
Tu Dea, tu tantum præsens mea vota secunda,
Ipsa dabis faciseis duro in amore vias.

AMICA TANDEM POTITVS, EXVLTAT.

i Te Dioneæ circum mea tempora Myrti,
Pexáq; oronteo fragret odore coma.
Lætitiæ dare signa decet, dare signa triumphi,
Atq; exoratis soluere vota Deis.
Post graue seruitium, durósq; in amore labores,

Lumine respexit me Cytherea pio.
Nunc iuuat hybernas glaciali sub Ioue nocteis,
Torridáq; æstiui signa tulisse canis.
Et toties lachrymas, toties fudisse querelas,
Nec semel ad duras procubuisse fores.
Vna decennali præponderat hora labori,
Qua mihi dat niueum chara puella femur.
Nox erat, & magno cæli conuexa fragore,
Turbabant rapidi flamina sæua noti,
Solus iter carpsi intrepidus per opaca viarum,
Plus solito audacem fecerat esse Venus.
Iam prope limen eram, timui, ne dura maneret
Ianua, sueta meas negligere vsq; preces.
Singula dum lustro, rimosa per ostia cerno
Lumina, secreto semisepulta loco.
Signa dedi, patuere fores, admittor, & ambas
Inijcio collo corde micante manus.
Atq; adeo implicitis iterauimus oscula linguis,
Nullus vt inuidiæ restet obesse locus.
Cogitet & lusus, & mutua gaudia, siquis
Arsit inabrupta per duo lustra fide.
Et tandem longo velut ardua pergama bello
Fortia supposuit colla potentis Heræ.
Prima in vtroq; fuit nimium properata voluptas,
Gratius exacto fine peregit opus.
Inter delitias, veteres memorare dolores,
Semináq; ardoris prima referre iuuat.
Sed vigil heu cupidos Aurora resoluit amores,
Et citiùs solito prompsit iniqua diem.

Tunc ego sic mecum, cur ò, mea gaudia differs,
Siste precor celeres Diua benigna rotas.
Te quoq; non vno flagrasse Cupidinis ictu,
Téq; tuo referunt verba dedisse Seni.
Supprime lora precor, sic à seniore marito
In tenero Cephali suscipiare sinu.
Secus ab occiduis noctem vehat hesperus vndis,
Ne subeas cani tædia longa viri.
Nec festina tuos perturbat Cynthia lusus,
Sed mihi, quas dederis, det tibi grata moras.
Nec te, si norit querulus tua furta maritus,
Increpet, aut illi deferat illa Deo.
Quò ruis importuna, meo non mota precatu?
Debueras roseum rursus inire torum.
Nondum parua suos egerunt sidera cursus,
Iámq; tuum toto spargitur orbe iubar.
Vt libet inuisam nobis refer improba lucem,
Te cita nox tremulum coget adire senem.
At mihi rursus erit cupidis vincire lacertis
Colla meæ, prima candidiora niue.
Quæ nihil addubitem nitidis præponere gemmis,
Quotquot Erythræi perluit vnda maris.
Dignus achæmenium, cui fauces abstruat aurum,
Qui largas Crassi malit auarus opes.
Non ego marmoreas ponam tibi Iuppiter aras
Velet vt attonsum purpura sacra caput.
Indéq; maiores ferat aucta pecunia census,
Sitq; triplex nobis vrbis, & orbis apex.
A pereat quicunq; sui desertor amoris,

Nomina maluerit ambitiosa sequi.
Magnus honor vitiat menteis, Reuerentia recti
Iam iam ingressuris fascibus icta fugit.
Quóque magis fortuna nouum largitur honorem,
Et magis effusas læta ministrat opes:
Hoc magis, & magis vrget honoris, opúmque cupido,
Et tumefacta malus pectora fastus habet.
Pluribus hoc vitium, sed me tibi Iuppiter ausim
Affirmare mea conditione fore.
Seu mea sacrato dignabere tempora cocco,
Seu magis aucta mei me feret aura Ducis.
Prima mihi sit cura Deum, sit cura parentis,
Sit Patriæ studium consuluisse meæ.
Maximáque in geminos crescet mihi gratia fratres,
Vltima nec castæ cura Sororis erit.
Nullus amicitiæ deerit locus omnibus æquus,
De me etiam haud meritis officiosus ero.
Nil prauum, nec inane meos peruertere sensus
Addictus, iustis, vtilibúsque sinam.
Pro patriáque pius discrimina nulla recusem,
Próque meo certam Principe adire necem.
Sat mihi crescenti patriæ dare iura sub æuo,
Nec solitum iuueni promeruisse decus.
Et sat opum Genitor dabit, & piscosa Cymacli
Stagna, per adriacum ditia fata Salum.
Forsitan & de me quisquam post fata superstes,
Non sinet in tumulo nomen vt ossa tegi.
Nil aliud quanis contentus sorte laborem,
Quàm me vt amet solita Dia puella fide.

T u tantum formosa faue, satis es mihi per te
Fida, satis castum nouimus ingenium.
R estat, vti patiare minus torpere iuuentam.
Iam modo cessatos corrige cauta dies.
A crius instat Amor, reliquúmq; volatilis æui
Exigit in lusus, delitiásq; Venus.

Quòd varijs negotijs impeditus, ad Amicam Venetijs ægrotantem ire nequeat.

m E tenet euinctum patrij tutela peculi,
Et Patriæ annoso credita cura patri.
N unc labor est quæsisse, domus quarũ indiga rerũ,
Si Bacchi, & Cereris condidit illa satis.
V nde hyemi sint ligna, sit vncti copia olini,
Et sale durandos comparet vnde Sues.
Quódq; penu famulis, mensǽq; feratur herili,
Seruet & ipse datas num bene Condus opes.
N um signarit equas, dederit num farra Colonis
Villicus, Arcturo farra serenda nouo.
I mpressóq; rudes tenuarit vomere glebas
Rusticus, & pingui sparserit arua fimo,
O rdine quo statuat teneras deponere viteis,
Quo querceta velit, quóve salicta loco.
N um satis elato vallauerit aggere Gaurum
Stagnantem campis vasta Malea tuis.
Quà sit aquæ ductus salsas referendus in vndas,
Quò fluat vberior Bacchus, & alma Ceres.
N unc tabulis, nunc vi campos defendere auitos,
Nunc opus exustas restituisse domos.

Quippe Patri illyricis arsere palatia flammis,
Hospitio magnos sueta fouere Duces.
A dde, quòd vsq; subit piscosi cura Cymacli,
Non minus in se oneris, quàm tenet illa lucri.
Vere nouo optandus primo leuis Eurus ab ortu,
Et placidi Soles, & placida vnda maris.
Quo genus æquoreum pacata per ostia ponti
Affluat, & mixtis gaudeat hospes aquis.
At gelidis cum iam canescunt arua pruinis,
Proximáq; occultis piscibus instat hyems,
T unc frenat hybernæ per longa silentia Lunæ
Assidua Boreās non sine multus aqua.
A gna patri cædenda Pado, ne sæuiat vndis,
Et fracto partas aggere perdat opes.
T um mihi cum dederit ventos fortuna furenteis,
Inq; suis steterit finibus Eridanus,
C lausáq; vimineo fuerit mihi carcere præda,
Obseruanda rapax nocte, diéq; manus.
Viuit in his Furúmq; genus, Volucrúmq; lacunis,
Hoc vorat, hoc saturo corpore multa rapit.
Dein sale conditas tulerit cum nauita merceis,
Æquora per niueos sæpe pianda greges
P ars Aquilone Salū, qua Dorica prospicit Anchon,
Pars aliò in venetas turbine fertur aquas.
N ec bene tuta, licet tot sit seruata periclis
Res, nisi ab exacto venerit ære lucrum.
C um vade sæpe suo tabulas mihi linquit inaneis
Debitor, & nostras fert sibi falsus opes.
Quin mihi cum fisco res est, cui semper egenti

Non Tagus, & non ſint lyda fluenta ſatis.
Sarcina magna quidem recte priuata tueri,
Publica ſed non eſt pondera ferre minor.
Imò oneroſa magis, premit vndiq; turba precãtũ,
Nec ſatis eſt longo reddere iura die.
Non dapibus, ſua nec ſomno conceditur hora,
Vſq; tribunitiæ ianua aperta domus.
Otia ſæpe foro, nunquam mihi, noſtra teruntur
Limina, ſeu faſta eſt, ſiue nefaſta dies.
Nomina ſiquis agit, ſiquis decoxerit, ad me
Tendit, & auxilium, poſcit vterq; meum.
Gymnaſij quoq; cura mihi, iuríſq; peritus,
Et ſophiæ, & Phœbi munera noſtra petit.
Nunc exhauſta vacant mutabilis horrea plebis,
Ardua nunc magno templa nouanda Ioui,
Nunc opus eſt cohibere Padum per culta vagantẽ,
Et ſuper hunc gemino ſternere ponte vias,
Coctilibúſq; nouam circundare mœnibus vrbem,
Et peregrina rudi caſtra fouere caſa.
Nec minus infandi contagia pellere morbi,
Dum furit irata ſæuus Apollo manu,
Eſſe & opi, ſiquando domos rapit improbus ignis,
Cum totum de me pendeat vrbis onus.
Prætoriq; meum, & ducibus dare ſceptra futuris,
Ferréq; biſſeno ſcita rogante viro.
Publica quicquid habent collecti æraria nummi,
Aut iuſſu, aut ceris penditur omne meis.
Nec facile à Populo ſine vi quæcunq; tributa
Exigere, & multis ponere frena viris.

Sic feror huc, illuc variarum pondere rerum,
Nunc rate, nunc celeri currere cogor equo.
At meus ignis abest, Venetáq; ægrotat in vrbe,
A, ego cur possum continuisse pedes?
Cur ego, cur potius, non hæc morosa relinquo,
Quæ peragat canum sedula turba senum?
Nunc veneri indulgere decet, nūc vngere crineis,
Molliáq; ad duras dicere verba fores.
Nunc decet ancillam media retinere saburra,
Multáq; de Domina clámve, palámve loqui.
Nec pudet integros occulto ducere Soles,
Gaudiáq; in longas continuare moras.
Penè pudor, canos inter, loca prima mereri,
Qui nondum quinas vidit olympiadas.
Illa olim tractanda mihi, cum repserit ætas,
Seria qua deceat præposuisse iocis.
Tu modo sancte precor nostræ succurre puellæ
Phœbe, tua non est dignior vlla manu.
Hanc neq; Calliope, nec prouocet vlla Sororum,
Siue loqui Cithara, seu magis ore velit.
Quid tibi siderei referam decus oris? & illa
Apta coruscantem verba mouere Iouem?
Iam vereor nitidis ne tu quoque captus ocellis,
Maxima concessa dona salute petas,
A, tibi ne tantum liceat, nec prouehat vltra,
Quám deceat medicas vlla cupido manus.
Hoc vnum superest nostro solamen amori,
Quòd præ me summum non amet illa Iouem.
Sed desiste tamen cupidus tentare precando,

Crimen erit Vati velle nocere tuo.
Post, tibi cum fuerit rigida magis aspera Daphne,
Mortali pudeat succubuisse Deum.
Pro meritis hornos tibi sæpe litabimus agnos,
Et super hos, pinguis victima Taurus erit.
Aureaq; apposito suspendam carmina dona,
Strozius hæc Domina sospite Phœbe tibi.

AD AMICAM, QVOD LICET Amorem occultando pereat, occultaturus tamen sit, tum vt se absens mutuo amet.

Hei mihi nulla queunt sopire negotia flámas,
Quas tener accenso pectore nutrit amor.
Atq; vtinam tacitus non glisceret ossibus ignis,
Staret & in meta cura sepulta sua.
Nam velut opposito magis æstuat obice pontus,
Sic magis obducto vulnere sæuit amor.
Quòd nisi celatum mens euomat ægra calorem,
In cineres sensim totus amator eat.
O, prius in cineres constanti mente resoluar,
Quàm pateat flammæ causa puella meæ.
Illa meos gemitus sciat vna, sciátq; dolores,
Vna sciat causam, quæ leuat vna malum.
Ite procul iuuenes, quibus est petulantia linguæ,
Quos rapit è placito sæpius illa sinu.
Me sinite in tacito componere gaudia lecto,
Heu quis in exilio me velit esse graui?
Exilium patiar nullo reuocabile fletu,
Crimina amor linguæ si sciat vlla meæ.

A potius nobis rapiantur iura loquendi,
Lumine quàm caream diua puella tuo.
Mors prius in votis, aut quid truculentius ibit,
Quàm tua, dura licet, temnere iussa velim.
P erge mihi dixti, sed hianteis occule flammas,
Et mihi ne noceat, neu tibi lingua, caue.
N on fuit ex illo nostri quis conscius ignis.
Quin etiam est aureis me tenuisse meas.
C ompita, templa, forum, comites, vitauimus, & te
Olim animæ potior pars Philomuse meæ.
T e præsente tamen (fateor) male conditur ignis,
Cum nequeam vultus sidera ferre tui.
T orqueor, argutos siue in me flectis ocellos,
Seu quid agis, roseo seu quid ab ore fluit.
Præcipue cum tu dextram coniungere dextræ
Clam cupis, & tacito das mihi signa pede.
N unc notat ora rubor, sarrano qualis in ostro,
Nunc pallor functis qualis inesse solet.
O, ego quàm timui, ne dum grauis incitat ardor,
Me renuente, sinus tangeret ipsa manus.
N ónne vides, vt sæpe tuis defixus ocellis,
Nil loquar, aut nullo pondere verba cadant?
T unc varium siquis velit obseruare colorem,
Ni vetet alma Venus, conscius ignis erit.
Quò vereor, nequis nostros manifestet amores,
Dein rea perfidiæ sit mea lingua tibi.
Et mihi nunc dixit tacita Philomusus in aure,
Non bene quisquis amat, dissimulare potest.
E rubui, rubor ipse dedit noua signa caloris,

Et timui ne me diceret esse tuum.
I d nunquam mihi parce, negem, quo iure negarem?
Ipsa hæc cum munus sit mea vita tuum.
F unus eram, tu Diua meis das sensibus auram,
Cunctáq; luminibus fers alimenta tuis.
A c velut igne suo reficit Sol aureus orbem,
Me mihi restituit lumine vita tuo.
E t quoties absis, vires mihi corporis absunt,
Nunc mea vita tuam penè secuta ratem est.
Quo te cunq; rapis, sequitur mens anxia cursum,
Et propè te nulli conspicienda sedet.
E cquid in his nostri tibi mutua cura lacunis?
An solitus toto pectore fluxit amor?
M ulta tuam possunt auertere gaudia mentem,
Dum cita piscosis cymba recurrit aquis.
R emige cirratas sequeris per stagna volucres,
Et pingui segneis corpore læta capis.
H inc & onocrotali moles offertur, & albus
Carmina qui fati præscia cantat Olor.
P lanipedes miraris aueis, miraris, & vnde
Det Nereo vastos terra benigna sinus.
T ótq; vides clausos angusto carcere pisceis,
Quos valeat cauda prendere nuda manus.
F orsan & horum aliquem dextra dignaris honora,
O, ego iam captis piscibus inuideo.
T um tibi perspicitur nassæ irremeabilis error,
Circuat & quantum canna operosa lacus.
P lurima Vergilijs anguilla orientibus, vnde
Exeat, & quali sit cápienda dolo.

Hinc vicina potes placidi super æquora ponti
Currere, & Adriaci visere monstra sali.
Cœrulaq; ingenti noctu populare sagina,
Nam mare prædanteis sidera fusca iuuant.
Sidera fusca iuuant, sed opacas abdicat vmbras,
Dátque diem lucis pars quotacunq; tuæ.
Ignibus vsa tuis fugient examina fatum,
Præda nec hinc dabitur retibus vlla tuis.
Fallimur, ipsi vltro venient in retia pisces,
Ibit & in laqueos turba petulca Deum.
Vtq; salax Glaucus, velox antedona linquet
Gramina, siqua tibi porriget illa, caue.
Fabula nota mari, sed non bene nota puellis
Dicitur, & testeis res habet illa Deos.
Hic mortalis erat, lini moderator, & hami.
Retibus, atq; hamo nunc timet ipse capi.
Gramina crimē habēt, quibus induit inguina piscis,
Hac modo mutari quemlibet arte velit.
Despectus magicæ petit impia carmina Circes,
Hinc latrat in Siculo carmina scylla mari.
Hæc fuge monstra, truci neu te cōmitte profundo,
Non seruant ratibus pontus, & aura fidem.
Tutior est tellus, eadem quoq; gratior vndis.
Hic tibi securos viue puella dies.
Et memor vsq; mei, suspiria pacta remitte,
Irrita non mittes, sit via longa licet.
Credula me tantum spes nutrit, & occulit igneis,
Ni redeas, nec alet, nec tua tela teget.

IN TVNICARVM MVNVS PRO MARIO AEQVICOLO.

n On sic Oeteo furialis in Hercule sæuit
Illita quæ Nessi sanguine vestis erat,
V t tunicæ tua dona meas rapuere medullas,
Dædala quas triplici gratia pinxit acu.
Móxq; sub Orchomeni bene olẽtibus abluit vndis,
Pulchráq; Acidalio lauit in amne Venus.
S i tibi tale aliquid Iuno sopire volenti,
Spectantem è phrygio vertice bella Iouem,
N on erat, vt peteres tibi præmunire Dionen
Ambrosios cesto versicolore sinus.
H is habet illecebras Cythereia zona minores,
Nec tantas animis inijcit illa faces.
N on Phryges, aut Babylon nõ cõferat æmula Circe,
Non radij vireis Lyda puella sui.
N ec, siquid docta Tritonia texuit arte,
Quod gereret festa Iuppiter ipse die.
Non meliore fuit velata Cytheris amictu
Cypria cum nudo contigit arua pede.
N abat Erythræa materna per æquora concha,
Qualis erat spumis edita, nuda Venus.
S emidei assiliunt circum tritonẽs, & vnca
Permulcent hilares littora festa tuba.
O ceanúsq; pater, longæuáq; Thetis, vtrinq;
Æquoris alta iubent subsiluisse vada,
Vtq; natant propius, propiúsq; tuentur alumnam,
It magis inde nouus cana per ossa calor.

Nullus adhuc sterili degebat in æquora piscis.
  Tunc gelidum memorant incaluisse salum.
Protinus orta ferunt immani corpore cete,
  Quæq; latet magno squamea turba mari.
Prima sed vt tetigit concha fluitante Cythêra
  Æquore cœrulei prosiliere Dei.
Excipiúntq; manu, primóque in littore sistunt,
  Purpureisque ferunt oscula mille genis,
Atque aliquis presso Diuæ ore proteruior hæret,
  Clámque terit nudum nudus & ipse latus.
Ver erat, & tepidi flabat leuis aura fauoni,
  Flore nouo ingreditur, quà dea vernat humus.
Prima Venus florum carpsit decus, & sibi serta
  Texuit, effusis imposuitq; comis.
Tum sibi quisque Deæ de more micantia legit
  Germina, & impexo texta dedit capiti.
Inde leui Zephyro Cipron Dea fertur in altam,
  Cœrula gnosiaci per vada vecta maris.
Hinc illam auricomæ tunicis radiantibus horæ,
  Quas simul arte noua composuere, tegunt.
Hinc Irene auro textam, gemmisq; coronam,
  Hinc torquem collo donat habere Dice,
Auribus Eunomie geminas appendit in aureis,
  Hæcque magis certat comere, & illa Deam,
Non secus, vt se ornare solêt, loca summa parâtes
  Visere, & æternos ante sedere Deos.
Mox adeo excultam cæli super ardua templa
  Ante torum magni constituere patris.
Numina cuncta nouæ mirantur munera formæ,

Et sibi quisque Deam clámque, palámque petit.
Hanc vnam censent meritam, cui pareat æther,
Et mare, & affuso perflua terra mari.
Hæc horis accepta refert Venus, hoc magis vno,
Munera tam raræ quòd dederint tunicæ,
Nuda per herbosos, & adhuc ingloria campos
Fors traheret segneis Cypria Diua moras.
Non illi imperium terræ, non æquoris esset,
Non daret in summos iura timenda Deos.
Nec mihi dulce iugum, nec dulcia vincla parasset
Egregia in nostrum nata puella decus.
Quæ mihi præ superis, & siquid honestius illis,
Quæ simul vt viuam, dispereámque facit.
Cuius acum tenuem toto magis æstimet orbe,
Iudice me, quisquis mente potente sapit.
Illam præcipue, taleis quæ finxit amictus,
Qualeis non homines, non habuere Dei.
Quas tibi tentet acus mea musa rependere grates,
Improbus ingenium si minus vrat amor.
Vror vt Ætna, graueis sed non meus ore querelas
Edit, vt Herculeus igne minore dolor.
Ille vbi virus atrox squalenteis occupat artus,
Incusat summum voce dolente Iouem.
Sic tua progenies prò Iuppiter inquit obibit?
Herculeæ'que author fœmina mortis erit?
Nil ego tale queror, sic sic iuuet ire sub vmbras,
Vnica sit leti causa puella mei.

DE NATALI DOMINAE.

Addite thura focis, Idus venére Decembres,
Semper habenda mihi multo in honore dies.
Vagijt his primum mea Cynthia, déq; parentis
Ventre recepta tuo gratia pulchra sinu est.
Os tibi legisti, genulas decor, ignea blandus
Lumina amor, pectus Cypria, Iuno manus.
At celsæ insiluit maiestas regia fronti,
Quósq; amor, & Paphie pellicit, illa fugat.
Cætera quid sequar? & cælo data signa sereno?
Astráq; veridicis lapsáq;, & orta polis?
Quid te fatiferi quicquam scrutator Olympi,
Natalíq; super, sideribúsq; rogem?
Magna fides, superis micuisse fauentibus igneis,
Qui formam, & mores, ingeniúmq; darent.
Iúsq; homines supra, Venerémq;, Deúmq; volucrē,
Inq; ipsum (si non sidera falsa) Iouem.
Non aliena loquor, venturi certus aruspex
Hos dedit euentus, matre petente, meos.
Infelix, felixq; Puer, modo fata tulerunt,
Perpetuam Dominam, seruitiúmq; tibi.
Cynthia es illa, tibi longos seruire per annos
Destruor, hoc magnis par reor esse Deis.
Libertas iam prisca perit, nec obire recuso
Imperiosa licet, iura potentis Heræ.
Quin iuga ferre iuuat, seu me vltima littora Thules
Visere, seu rigidos malit adire Getas.
At tua cum videas quæcunq; in iussa paratum,

Ne ſine me lateri longius ire tuo.
Te ſequar vſq;, tuis non obſequioſior alter
Imperijs, nec qui ſit mage fidus erit.
Et diſcedenti, reduciq; iterare licebit
Oſcula, quæ pretium ſedulitatis erunt.
Ipſe ego ſæpe locum Veneri meditabor, & horas,
Aut ego ſi nequeam, tu mihi vtrunq; dabis.
Quid meditanda tamen Veneri loca? quælibet apta,
Ipſe oculos hebetat prætereuntis amor.
Siquis & aſpectos non occulet, illita multo
Felle laceſſiti ſentiet arma Dei.
Blanda Venus, nec acerbus amor, ſi quis tamen illos
Lædat, acerbus amor, nec bene blanda Venus.
Nos Veneri morem, morémq; geramus amori,
Nunc quoniam nobis ille, vel illa fauet.
Dicantur bona verba, Deis reddantur honores,
Præcipua hæc ſacris, cælitibúſq; dies.
Te dedit hac Genius, ſacrum Geniale paramus.
Quiſquis ades, nexas flore perunge comas.
Nunc proferre decet, quos miſit Eous, odores,
Quóſq; Hiſpana nouo puppis ab orbe tulit.
Nec quiſquam incedat pulla ſub veſte, ſed albis
Ad ſacra contendant fœmina, virq; togis.
Nec gregibus, ſed thure litent, & flore repoſto,
Innocuus nullo ſanguine gaudet amor.

HERCVLIS STROZAE TITI FILII EPIGRAMMATA.

Quòd duas pariter amet.

a N mihi chara Nape magis? an mage cara Neæra?
Chara Nape mihi est, chara Neæra mihi.
V traq; chara æque est, ipse æque charus vtriq;,
Illa, vel illa meis charior est oculis.
N unc ego totus in hac viuo, nunc totus in illa,
Viuo in vtraq; simul, vtraq; mi vna, eadem est.
B asia iunge Neæra, Nape quoq; basia iunget.
Quódq; Nape dederis, pulchra Neæra dabit.

De Calliroe, quæ viua sepulta est.

b Is vixit semel orta, bis hoc cōposta sepulchro
Post sua Calliroe funera facta parens. [est
F œta erat, exanimis tumulatur, at excita partu
Poscit opem, eruitur, mox parit, atq; perit,

De amore osculante Lauram cum matrem crederet.

v Idit amor Laurā & matrē ratus, oscula iūxit,
Oscula quæ misto toxica melle ferunt.
V ssit, & exarsit, flammæq; haud gnarus acerbum
Fleuit, & in pharetra credidit esse dolos.
C onuoluit calamos. nullus reus. a rea dixit
Mater, in hoc omneis vulnere es vsta faces.

Ad Lauram.

i N me dum vixti, vixi in te Laura, sed in me
Cum iam non viuas amplius, emorior.

In Pana, & amorem certantes.

p An & amor quondam Lucta certare volentes
Deponunt Calamos ille, vel ille Sacros.
H ic onus alarum, villosæ Nebridos ille,
Proijcit hic arcus, proijcit ille pedum.
T um liquido exutos artus perfundit oliuo,
Cecropiæq; modum seruat vterq; Pales.
C onseruere manus totis conatibus ambo,
Robore Pan fidens, dexteritate Puer.
A spera pugna fuit, primisq; assultibus anceps,
Nunc Pana aiebant vincere, nunc puerum.
A t demum elato prensauit cornua saltu,
Panáq;, qui vincit omnia, vicit amor.

Ad diuam Lucretiam Borgiam Ferrariæ Ducem.

a N tibi larga parum Lucretia fata videntur?
Borgia quòd prima sit data sorte domus?
Quòd patre Alexãdro, fratre inclyta Cæsare, quódq;
Sis Venus ore, opibus Iuno, Minerua manu?
Quódq; fauis Lepor hyblæis tibi dulcior? & quòd
Tantam ipsæ Charites non habeant charitem?
Quòd socer Alcides, quod te Ferraria adoret?
Quòd fluat in laudes Castalis vnda tuas?

Ni quoq; te Phœbo, Phæbiq; sororibus addas?
O tot inexpletum dotibus ingenium.

De Venere victa.

d Vm Venerem propriæ Lucretia cõscia formę
Vel phryge conferri iudice nolle videt.
O ccuĺuit roseos ficta sub imagine vultus,
Vt pauidam alliceret Cyprida pulchra minus.
P ublica sed formæ simul in certamina vẽtum est,
Exeruit latitans conspicienda iubar.
Vix se prodiderat, vincor, Venus inquit, & hosti
Personam, vt frontem conderet, eripuit.

De Hippolyta & Callimacho.

r Vperat Hippolytę data fœdera patre coactus
Æmiliam vxorem ducere, Challimachus.
I lla furit, sed dissimulat, noctémq; cupitam
Pollicita, incautum transadijt gladio.
E t spectante illo, (quid non muliebria cogit
Corda amor?) vsa sua dextera, & ense perit.
Non graue obire proco, sed non obijsse repente.
Non doluit proprio vulnere, sed Dominæ.

De Laocoonte.

n On temere antetulit statuis prisca oĩbus ætas
Cælatum triplici Laocoonta manu.
E n geminus natis patrem implicat anguis, & vnus
Sibilat, & sæuit, flétq; gemitq; lapis.
S i fabor hoc ausus mortali excudere ferro,

Mirum tam longo non senuisse situ.
Sin dedit hoc Pallas, quid adhuc phrygas angit? Iulo
Præside, fásne ulli lædere Roma tuos?

De diua Lucretia Borgia.

Sit licet ignis edax, flammis furẽtibus æquet
Tecta solo, & syluas urat, & urat agros,
Pérq; immensa licet sol interualla iacentem
Calfaciat nimijs ignibus altus humum:
Si qua tamen distant, spatijsq; decentibus absunt,
Fomenta innocui blanda caloris habent.
At simul argutos intendit Borgia ocellos,
Nil, licet intersint terra fretúmq;, iuuent.

De eadem.

Siquis Apollineos perferre diutius igneis
Lumine tentarit, lumine captus erit.
Et qui saxificæ conspexerat ora Medusæ,
Mutato rigidum corpore marmor erat.
At quicunq; tuos miratur Borgia uultus,
Fit primo intuitu cæcus, & inde lapis.
Móxq; uelut Sypili cautes lachrymosa madescit,
Viuit & in saxo (quis putet) usq; dolor.

De Rosa eiusdem.

Lecto nata solo, dextra Rosa pollice carpta,
Unde tibi solito pulchrior, unde color?
Num te iterum tinxit Venus? an potius tibi tantũ
Borgia purpureo præbuit ore decus?

De diua Borgia canente.

q Vale Pericleo manabat nectar ab ore
Quale suo recinit funere carmen Olor:
Quale melos Siculo tenuit cita vela profundo,
Tale refers, sed & hoc Borgia dulce magis.

De illustris viri capite.

h Oc caput in gyrũ quod nũc puer incitat, olim
Pars erat illustris, magnaminiq; viri,
C ætera mors tulit, atq; eadẽ hæc ludibria liquit,
Mortaleis sortis commonitura suæ.

Ad Lodouicum Pictorium Poetam.

e T Phœbum, Castásq; doces Lodouice sorores
Salsa verecundo verba lepore loqui.
V lla nec in toto prurit lascinia libro,
Pagina non minus est quàm tibi vita proba.

Ad eundem.

q Vis posthac adeo procax, vt ausit
Affirmare ἐπιγραμμάτων libellos
Ridentis Genij carere fruge?
Ni lusus, Veneres, facetiásq;
Narret pagina pruriente vena?
C um nostri lepidos, venustulósq;
Pictori legat, approbétq; versus,
Et casto sale delibuta sensa,
Quæ non dissimulet, sed aure blanda

Sanctarum chorus hauriat sororum,
Et Regina chori, decúsque Iberæ
Gentis, Delitiæque agri Latini,
Vultu Borgia personet sereno.
Iam liuor taceat, diúque viuat,
Liuori grauior, tacere, mors est.

Ad Lodouicum Tessiram Lusitanum.

O Ccidui noua fama soli, cui pectore sacro
Purpura callaica relligione micat,
Quique refers doctas bifido de monte Sorores
In Lusitanæ regna beata plagæ,
Quique aperis leges rerúmque elementa, sagáxque
Quolibet explicitæ mentis acumen agis,
P arce, per Hercynios dum me rapit incita saltus
Musa, breui si vix carmine nomen habes.
Non Tessira tuo locus illic æquus honori,
Tanta sibi intégrum gloria poscit opus.

Ad Cœliam.

t Am cito dissidium post gaudia Cœlia nobis,
Tam cito post ipsum gaudia dissidium,
Ut mihi sit metuenda tui magis aura sereni,
Quàm perturbatæ nubila frontis hyems.
S perat enim à grauibus pacem mens anxia rixis,
At mala de placida iurgia pace timet.

Ad diuam Lucretiam.

t Am bene quòd teneas numeros nō Borgia mirū
Vnica si numeros, vnde elemēta facis. [est,

Muneris est iubar omne tui, sistisq;, ciésq;
Cum libet è magno semina nata chao.
Causarum tu causa, in te deprehenditur ipse
Iuppiter, vna creas omnia, & vna beas.

De eadem trophæis aureis ornata.

b Orgia cũ capto spolia ampla referret amore,
Inq; triumphali staret honora toro,
Mœsta Venus, lacrhymisq; oculos turbata nitenteis
Sæpe vbi pulchra graui perculit ora manu,
Constitit ante Ducem, & ne tu ne, ait, inclyta sæui,
Prona ego, & ipse tibi sponte dat arma Puer.

In obitu Hippolytæ Tassonæ.

c Oniugis Hippolytæ gelidos cũ conderet artus
Marmore Tassonæ gentis Iulus honor,
Si, neq; tot bona, nec proles septena, meæq;
Fata mouent lachrymæ: quæ satis, inquit, erunt?

Epitaphium eiusdem.

h Oc tuus Hippolyte posuit tibi marmor Iulus
Tassonæ primus nobilitatis honor.
Méq; ait, hoc non te coniux tego, mens mea busto
Clausa tuo, membris viuis at ipsa meis.

In Cupidinem marmoreum super Leonis spolio dormientem, ad diuam Lucretiam.

e Cce cleonei substrata pelle Leonis
Languidus in duro marmore torpet Amor.

Eſtq; impune faces propè cernere, teláq;, & arcus,
Tangeréq; appoſita pectora nuda manu.
Segnitie nec cauſa ſopor, ſed in Hercule, dum ſe
Iactat, & ora feræ ſanguinolenta refert,
Riſit, in elatum detorquens ſidera frontis
Borgia, queis animi vis domita illa trucis,
Procubuitq; Puer, faſſus nihil eſſe quod obſtet,
Arma vbi iuncta, decens forma, pudórq; mouent.

In eundem.

BOrgia nil mirum, ſi laſſus ab Hercule victo
Victus & in fulua pelle quieſcit amor.
Alcidem grauis hirſuto ſpoliaſſe leone,
Et grauior tecum dimicuiſſe labor.

In eundem.

PArcite ſopiti tractare cupidinis arma.
Borgia cuſtodit, próq; iacente ferit.

In eundem.

GOrgone quid mirũ Libycus ſi duruit Atlas?
Lumine Borgiados ſaxificatus amor.

De eodem.

HErculeis ſuper exuuijs, & marmore duro
Cum face, cum telis te prope dormit amor,
Et torus, & decora ampla docent ꝙ fortis, & aſper:
Cætera, te curam Borgia habere Dei.

De eodem.

f Orte Cleonei substrauerat horrida monstri
Hercule quæ victo terga gerebat Amor.
Sẽq;, facésq; super spolio, calamósq; locarat,
Victrici recolens parte trophæa manu.
(Res noua) Borgiados cum luce potentis ocelli,
Terga, puer, faculæ, teláq;, facta lapis.

De eodem.

b Orgia dilecti tibi viua cupidinis ora
Iliaca supplex mittit ab vrbe Venus.
Nec satis est muto, pharetrámq;, arcúmq;, facémq;,
Iuncta dare, Herculea dat quoque terga feræ.
Scilicet vt liqueat, se cedere muneri, & arma,
Quicquid & antiqui maius honoris habet.

Ad Bembum.

t Ecũ habita, vt viuas. alibi quicũq; moratur,
Non viuit: vita est viuere Bembe sibi.

Ad Carolos Agnellos,

o Chari mihi Caroli sodales,
Agnelli pariter, paréśq; amore,
Vultu, moribus, eruditione,
Æque si mihi charus, hic, & ille,
Plus meis oculis, meáque vita,
Imò plus oculis meæ puellæ,
Quam præ lumine, præ'que vita amamus,
Adsitis precor, & simul vocate

Scalonámq; meum, meúmq; Ianum
Qui Mantus merito tuetur arcem,
Gonzagámq; Aloiſium, ſenémq;
Carmelæ, & Clariæ patrem cateruæ.
Adſitis ſimul, aduocatéq; omneis
Quotquot noſtis Apollinem colentes,
Et quantum eſt hominum eruditiorum.
Atq; hinc pellite peſſumum poëtam,
Qui veſtri numeros Maronis audet
Permutare licentius, palámq;
Hoc defendere ſyllabas labantes,
Erroréſq; ſuos, ineptus, excors,
Inſtar qui pueri ſapit quadrimi,
Quem mater rudis educarit inter
Setoſum pecus, hiſpidóſq; ſenteis,
Nunc ò, nunc Aries vterq; fiat
Agnellus meus, & potente cornu
Veſanam fuget vſquequaq; peſtem,
In malámq; crucem, malóſq; cornos.
Ne tam bella malus Poeta poſthac,
Vt ſe protegat, inquietet orſa.

Epitaphium.

n E breue mireris marmor, breue corpus habebã
Alter ab vndecimo vix mihi menſis erat.
N il Violanta, nihil præ me Lodouicus amabat,
Séq;, & opes, rapto mutet vterq; parens.
M atris imago patri, genitoris imago parenti
Vnus eram, talis forma, vigórq; fuit.

Francisciq; meum nomen referebat vtrinq;
Principis, vnde illis résq;, decúsq; venit.
Atropos eripuit, Guerreria ne domus olim
Me crescente Deis inuidiosa foret,
Sed mihi quos rapuit, sinat illa parentibus annos,
Vita erat vnde mihi, mors sit & inde, iuuet.

Ad Maximilianum Cæsarem.

tE nihil est maius, regno nil maius auito,
Nomine nil maius Maxmiliane tuo.
Vix totidem mundum vaga gloria peruolat alis
Facta, quot ingenio sunt meditata tuo.
Non minus illustrem gens Austria iactat alumnũ
Quàm celebret magnum Gnosia terra Iouem.
Qui specimen Clarij, Getici qui pectus, & arma,
Menaliiq; velit noscere corda Dei.
Ille tuam aspiciat faciem, dextrámq;, salémq;
Treisq; vno cernet corpore Cælicolas.

In Meretricem.

pAsiphae Taurum Vacca decepit acerna,
Flammeolo, plus est, decipis ipsa homines.
Lena tibi es, statuisq; locum, tempúsq;, modúmq;,
Inde vice alterius gaudia falsa subis.
Tum cata dissimulas, vocémq; genúsq;, domúmq;,
Et pauidæ vultus Virginis instar agris.
Vt dolus est dispar, dispar tibi Dædalus, illi
Cum boue, res cum homine est callidiore tibi.
Græcia suppositam sileas pro Virgine ceruam,

Vacca hic pro pura Virgine ſuppoſita eſt.

In Inuidum.

i Nuide, quid noſtræ adlatras præconia famæ?
Tantillum in vatem non cadit inuidia.
Hunc pete, qui vigili noctem terit vſq; lucerna,
Et gracili præfert corpore grande ſophos.
Mi neq; nictantes ſomno fraudantur ocelli,
Nec ſtudio macies ora ſeuera notat.
Nil dignum inuidia meditor, ſed fama ſuſurrat,
Neſcio quid de me, quod facit, inuideas.
Aut hoc diſſimula, aut famā argue, quæ mihi tantū
Arrogat, & de te nil ve, parúm ve refert.

Ad Amicam.

s I modo ſauiolum ſineres me ſumere, & inde
Dulce magis dulci ſumere ſauiolo.
Pollicitus ſum magna tibi, quæ parua putaſti,
Noſtra ferens nullam verba habitura fidem.
Quare age, iā rurſum tibi cōſule, quæ mihi nec ſint,
Nec fuerint, poſſent & minus eſſe, dabo.

Ad Cælium Calcagninum.

c Æli, qui numeros Catullianos
Calles tam bene quàm Catullus, iſtum
Qualemcunq;, precor, fuges timorem,
Ne noſtrum metuas ſubire naſum.
Tam ſcitam, & lepidam locutionem
Auſit nemo loquax, dicaculúſq;

Roncbis persequi, & inquinare morsu.
At quanto minus Hercules timendus?
Nulli noxius, omnibus benignus?

De Beatrice Nolana, quam Ambrosius
Leo Nolanus adamauit.

v Nica quæ fuerat, nūc est mihi trina Beatrix,
Hăc Deus, hăc vates, hăc dedit arte manus.
Quæ formata Deo, cum nostris aspera votis
Staret, ab Aonio est altera picta choro.
Hac augente magis sine corpore corporis æstus,
Tertia Palladio est pacta magisterio.
Hæc mihi tota datur Paphijs licet oribus ora
Nectere, & ambrosijs pectora pectoribus.
Vox caret vna, sua quòd si respondeat Echó,
Naturæ hoc rarum nemo negarit opus.
Sed vox nulla iuuat, rigida nam voce petenti
Non daret. at si vox non erit vlla, dabit.

In Polycarmum.

n Vnc Arabū lapidē, nūc dentiscalpia quæris,
Commagena magis nunc tibi galla placet,
Frigida disparibus numeris nunc colluis ora,
Nunc leporem poscis, nunc Polycarme lupum.
Mercarísq; nihil, nisi quod sit dentibus aptum,
Et tibi dens nulla pro statione sedet.
Hoc facis, vt quiuis denteis tibi indicet esse,
Sed fatuos produnt singula verba dolos.

Epitaphium pro Ioanne Pico Mirandula.

i Oannes iacet hic Mirandula, cætera norunt
Et Tagus, & Ganges, forsan & Antipodes.

Pro eodem.

h Ic situs est Picus, cuius si cuncta perissent,
Virtutum septem vix sat erant tumuli.

Pro Angelo Pulitiano,

q Vis Lycias sortes? quis Phthię carmina vatis?
Transmissos Deli quis neget huc Tripodas?
Quippe hic assidue Phœbus, Musæq; parentant,
Et charos lachrymis sæpe lauant cineres.
Quin si fata velint, tegerentur numina, sub qua
Angelus obdormit Pulicianus humo.

In Ronticum.

s Omniculosus homo es, cũctisq; superbior idẽ,
Nec tibi cor viuit Rontice, nec cerebrum.

In volantem Lygurem.

d Eseris arma volans vno perterritus ictu,
Et fugere armigerũ, non pudet, & Lygurem.
Quo tandem vt pigeat, quondam quæ dixerit, audi,
Cum Clypeum nato Spartias indueret.
Hunc tibi semper ait genitor seruauit ab hoste,
Quare hunc, vel serua tu quoq;, vel morere.

In Tongilianum.

VIbrissas quoties Volsellis Marsya vellit,
Offensum vibras Tongiliane caput,
Et tamen ad vomitum curris, nasumq; subinde
Sollicitas, mollis dum tibi glabra placet.
Quòd nisi cessaris, fieri dum glabrio tentas,
Piscator fies putidus atq; olidus.

Ad Maurum Mediolani Ducem.

DVm forte Hesperij Neptunus vasta profundi
Mulcet, & vndisonæ murmura Trinacriæ,
Qua Lygurum insano Pelagi contunditur æstu,
Ingestis moles condita marmoribus.
Audijt armigeris pontum insonuisse carinis,
Atq; tuas sensit Maure fuisse rateis.
Hinc geminum tritona ciens, vade ocyus, inquit,
Sforcigenæq; refer talia dicta duci.
Te iubet acciri Deus æquoris, est tua terris
Cognita fama satis, iam volet illa mari.

In Heluonem.

SÆpe bibis, quò sæpe vomas, & sæpe voracem
Distendas miseri corporis ingluuiem.
Quin si forte tenax stomacho cibus hæserit, hūc vel
Dextra, vel in fauces indita penna ciet.
Tanquam sis genitus perdenda ad vina, nec vlli
Te natura alij finxerit officio.
O dignum laqueo facinus, quodcunq; voratur,
Turpiter ingeritur, turpius egeritur.

In Auitum.

a Epe, iterúmq; rogas, vt Saturnalibus vnctis
Interdum tecum discubuisse velim.
Cum tamen indico cœnam tibi, plurima fingis,
Causandóq; meam ludis Auite famem.
Te semel inuito, ter prandia nostra reposcis,
Non inuitabo, tu licet vsque roges.

In amorem furem.

d Vm Veneris puer alueolos furatur Hymetti,
Furanti, digitum cuspide fixit apis.
Indoluit grauiter, puerilíaq; ora rigauit
Fletibus, & matri spicula questus, ait.
Vnde hæ tantillis vires animantibus? vnde
Exili possunt lædere aculeolo?
Cui Dea subridens, inquit, non tu quoq; Nate
Corpore non magno vulnera magna facis?

Epitaphium pro Lucretia infante.

i Nuitæ absciderant tua fila Lucretia Parcæ,
Dum celeri properant ducere pensa manu.
Cúmq; eadem vellent subito connectere nodo,
Quod semel abscissum, mors ait atra, meum est.

Ad diuum Herculem Estensem.

d Vm furor Ausonio sæuit mauortius orbe,
Gallorúmq; timet terra, fretúmq; minas,
Quilibet in te oculos princeps clarissime seruat,

Téq; suis castris flagitat esse Ducem.
Oblati imperij sceptrum ne despice, tandem
Aureus vt sedeat Marsya in vrbe tua.

In Lycarmum furem.

S Vspendendus erat Phœbo redeũte Lycarmus,
Furcam alius sero vespere fur rapuit.
Quid sonti sperare nefas? si turpia furta
Quod dederant laqueo surripuere caput?

Ad Balneum.

P Arua rogas, nostræ donẽ vt tibi germina Lau
Obsequerer votis Balnee docte libens, [ri
Illa sed annexis cordi radicibus hæret,
Huius & auelli non sine parte datur.
Quòd si forte meæ fata immatura iuuentæ
Quæris: age, efficiam quod petis, & moriar.

Ad Timotheum Philomusum.

L Vx micat ex oculis nostræ Philomuse puellæ
Vnica, quæ in Scythico temperat astra Die.
Cogit & æstiuam minimum feruere Syenam
Raráq; fert miti secula temperie,
Esse gelu, flammámq; mihi, tamen aspice longa
Tempora, quæ tali crescere luce vident.
Ignara est vtrum cupiat mens ante resolui
Æstus causa grauis, causa maligna gelu.

In Paulum mendacem.

q Vi te Paule refert frontẽ amiſiſſe,quod audes
Hiſcere,quæ nemo comprobat,aut patitur,
D ecipitur,non fronte cares,ſed frons ita lingua
Diſtat,vti linguam frons premere haud valeat.

Epitaphium pro Oppia.

h Eu caue dũ miſeris propius fers q̃ſtibus aureis
Pondere adhuc viuam me grauiore premas,
E t ne forte putes gemitus Acheronte remitti,
Triſtia ſubſiſtens diſcere fata velis.
V eſtalis virgo læſi damnata pudoris,
Contegor hoc viuens Oppia ſub tumulo.

Ad Thebaldeum.

t Hebaldee tibi nimis importunus,& audax
Dicor, & accepti vulneris impatiens.
V era refers,ſed quis magno ſe opponere amori
Auſit? crede mihi, nemo amat, atq; ſapit.

Pro Ioanne Pico Mirandula.

d Vm ſtat Ariſtoteles cum magno rixa Platone
Et ſedet Actæi muta caterua chori,
N uper ad Elyſios qui venerat Angelus,inquit,
Tantum(fabor enim) ponite diſſidium.
H aud procul à noſtro Picum modo liquimus Arno,
Qui veſtras Latio ſoluit in orbe vices.
Quare age,ſi fas eſt,hunc ocyor,aduocet Arcas

Vltro auet hæc inter agmina disserere.
A pplausere omnes, exoratáq; sorore,
Virtutis nobis eripuere decus.

Epitaphium pro Armina catella.

a Rminæ tumulum vides Catellæ,
Quam plus luminibus suis amabat
Fernandus, Ducis Herculis propago.
Hæc, cum gallica permearet arua
Saxosas Dominus vagans per Alpeis,
Atque inuiseret vltimos Britanos.
Tam longi comes affuit laboris,
Somno peruigil excubans herili.
Adde & blandicias, sagáxq; rostrum,
Seu vellet lepores citare lustris,
Seu perquirere phasias volucres.
Istis pro meritis Herus benignus
Muli verbere sæuientis ictam
Deflens marmorea locauit vrna.

In geniali prandio ad Merimiscum.

i Mmortale mihi fundas Merimisce falernũ,
Sutilibus vernent pocula grata rosis.
O mnia lætitiæ, sint omnia plena lyæi,
Omnia sint cantus, omnia plena ioci.
N unc Bacchum celebrare decet, Bacchóq; furenti
Promere fumosis Massica vina cadis.
F unde iterum calathos, iterum numerare labora,
Expetit vndenos Parthenopæa scyphos.

T orqueat exhaustas cum sicca canicula fauces,
Nunc dominæ nomen grandius esse velim.
D extantem numeras, ceu nullum poscat honorem
Quæ, grauat afflatu quarta elementa suo.
Quid cyatho fraudare sitim? meritóq; figuram
Quæris? & insanos fundis inepte sono?
Quid tibi cum dapibus, Varróq;, macérq; citantur?
Censorem nescit libera mensa pati.
C um mihi præstiteris totum exhaurire deuncem,
Sit tibi pro sterili spiritus ille nota.

Hæc Elegia Impressis cæteris inuenta est, cum quod sequitur disticho. Quamobrem digna visa est, vt adiungeretur.

D eserit aligeri damnosa Cupidinis arma,
Lis sit magna licet cum ratione Deus.

i Mprobe cũ solita careãt mea pectora flãma,
Quid nocturna mihi bella minaris amor?
S it satis Hyberni glacialia frigora cæli
Non semel ad duras sustinuisse fores.
S int probrosa satis obscuræ iurgia noctis,
Tótq; mihi vacuos præterijsse dies.
P ubentésq; satis tibi sit potuisse per annos,
Pressa sub immerito colla tenere iugo.
I procul, haud tanti fuerint tua dona Cupido
Vt mihi non pluris sit superesse diu.
E t satius fuerit veterum monimenta virorum
Voluere, quàm turpi velle in amore mori.

Me piget igne meo quẽquam torquere, pudétque
Me dominæ, & populo sæpe fuisse iocum.
Turpia præteritæ cognoscere facta iuuentæ,
Nunc, licet inuitus, præstitit acer Amor.
Vindice me varios liceat tibi quærere amanteis
Cognita carminibus Parthenopæa meis,
Mutua ne dubites nutu dare signa loquaci,
Et miseros verbis detinuisse procos.
Me coram liceat missas tractare tabellas,
Pluráque riuali munera ferre meo,
Cessit enim solitus tepefactis sensibus ardor,
Nec me, qui demens egerat error, agit.
Frigidus est, calor ille, cinis, licet æstuet intus,
Qui me sollicitum fecerat esse, Deus.
Hinc Deus, hinc Ratio dubijs sub sensibus hærẽt,
Viqz simul certant ille, vel illa pari.
Sed tamen incumbet stabili ratione Cupido,
Si datur ætherios vincere posse Deos.

De marmorea eiusdem Beatricis Nolanæ imagine, quã Ambrosius Leo Nolanus adamauit.

Qvis putet hos crineis? taleis quis credat ocellos?
Ora quis artifici scalpta magisterio?
Sibilat aura comis, nitida dant lumina lucem,
Ipsáque, si nequeunt, dixeris ora loqui,
Vnde fuit duro tam magna potentia cælo?
Huic natura nihil tradere plus poterat,
Sed roseæ Ambrosi dum te pius Oluiopœiæ
Tentat Amor raris credere delitijs,

Idalia nineam descripsit arundine ligdon,
Quæ ferat interea gaudia magna tibi,
Hinc auidos explere oculos, hinc frigida fas est,
Haud semel hausta labris labra calere tuis,
Hinc animi flammas poteris releuare tuendo,
Ni tamen hoc flammas addere sit potius.

De eadem.

QVi rigidi pars mõtis eras, nũc pulchra puellæ
Ora refers, debes iam lapis artifici.
Sed formosa tibi debet magis ille Beatrix,
Cui data de vultu gloria tanta tuo.
Artifici non parta manu tibi fama, sed illi
Nomine parta tuo, debet & illa tibi.
Enthea turba tamen tantum subiungit honoris,
Vt non prisca magis secla canant Iopen.
Iam superata Gnidos, velatáq; forma Diones,
Iam quocunq; silet marmore Praxiteles.
Plus igitur de te, qui confert plura, meretur:
Plus bona victuræ carmina laudis, habent,
Vincere quis tentet spirantia signa dipœni?
Et tamen illa situ longa senecta premit.
Carmina ni fuerint, Ephyreia quis sciet æra?
Quis te, si taceat, Tyndari, Mæonius?
Semper inextincti diuino carmine vatis
Quod peritura tulit dextera, viuet opus.

Dialogus.

HÆc quã cõspicio, nũquid Dea Cypria? nũquid
Candia Phidiaco marmore Pasithee?
Neutra quidem, alterutram nemo mihi deneget esse,

Tam placet, ore, genis, lumine, fronte, comis.
Non Venus hæc, nō vlla charis, sed pulchra Beatrix
Quæ meruit fausti nominis augurium.
Scilicet Ambrosi, quo Nola superbit alumno,
Hæc data carminibus concelebranda tuis.
Hanc Venus, & nati simul effinxere volucres,
Esset vt Aonio concupienda viro.
Ergo tot vna tenet mortali corpore dotes,
Vix quot in astrigeris axibus vlla tenet.
Hic mortalis adhuc, sed cum se membra resoluent,
Æternum viuet, nectare, & Ambrosia.

Imago loquitur.

CVm tibi sic placeam, ꝙ sim licet aspera tactu,
Hos nequeas vultus credere marmoreos,
Quid nitidos veri spectes si luminis orbes,
Tela quibus nostro cessit amor lateri?
Sed procul hinc abscede, solet mea sæpe Cupido
Pectora frustatis figere arundinibus.
O quoties dixit, vincet manus ista puellam,
Quæ styga, quæ terras, quæ mare, quæ superos,
Hic licet assideas, & marmora surda fatiges,
Nil tibi quod prosit, saxea forma dabit,
Qui faciem finxit voluit simul addere mores,
Et duram duro marmore composuit.

Eadem.

qVid lapidē spectas? quid mutua verba mora-
Naturæ ne putas, quod fuit artificis? [ris?
Ne stupeas, propria Maluicus luditur arte,

Et viuam iurat, dissimilémq; suæ.
Miraris si fallo homines? Deus ipse Deorum
Factus ob hanc formam, bos, equus, imber, olor.

Ad Thebaldeum.

t Hebaldee meo cum te mutasse tuum cor
Nosceret, iniecit Flauia pulchra manus,
Et mihi num demens aliena tenere putasti?
Qui dedit hoc, rapuit perfidus ante mihi.
Sic ait, atq; tuum cor abstulit, inde secuta est
Cor anima, vt faciat corpus inane meum.
Quare, aut redde meũ, aut tu contrà, iure repugna.
Res sine lite mea est, litigiosa tua est.

In Castricum.

s I te amo, me quoq; ames: & si te dicis amare,
Iste tamen non est, si bene quæris, amor.
Tantum velle, & nolle, velit, nolit quod amicus,
Est amor: at non vis quæ volo, nolo, ea vis.
Non amor hic, verum effigies, & nomen amoris,
Sic nec ames potius Castrice, te nec amem.

In Gargilianam.

m Orosis nondum squalent tibi tempora canis,
Nec labat annoso pendula ruga situ.
Et iam nulla tuo vernant in limine serta,
Nec crebris teritur ianua dissidijs.
Te iuuenes, te odere senes, desertáq; langues,
Quæ fueras procerum publica cura prius.

Lydia Santonico mutasti stragula velo.
Et toga vix corpus sutilis omne tegit.
Quódq; in te nulla licuit sperare senecta,
Ducis honorata lurida pensa manu.
Hoc tantũ superest, vt ceram, aut crustula vẽdas,
Nam, male habet, cum nent Gargiliana lupæ.

In Glyceren.

n Te dicere bellam & integellam,
Per quodcunq; hominũ, & locorum vbiq; est,
Nil prodest, Glycere, decus coemptum
Præfers, & Venerem vsquequaque turpem
Nouit tam bene quicquid est procerum,
Frustra vt candidulam vocem, probámq;.
Quare ascitus eat color lauatum,
Et mores Sybariticos venustes,
Si vis bella mihi, & pudica dici.

In Gelliam.

n Vnquid referat Idibus seueris
Indulgere Cupidinum Lucello,
Tute exposta probris sub Angiportu
Nosti Gellia, quæ rudeis, putreisq;
Lanas ducere tutius putasti,
Canens Luciferos inominaleis.

Ad Glyceren.

q Vãtũ erat ĩ me animi, addictũ est tibi, viuit &
Quo sapim⁹ male, quę nos op⁹ est sapere, si te,

Nec tantum male nūc sapimus, sed viuimus ægre,
Absq; animo Glycere debilis est anima.

In Auitum arithmeticum.

q Vi bene scit nūeros nūerare Platonis, & Orphei
Hic scius, insciolus, qui scit Auite tuos.

HERCVLIS STROZAE TITI FIlij Gigantomachia ad diuam Lucretiam Borgiam Ferrariæ Ducem. quam inchoatam reliquit morte præuentus. Hanc ipsam & Claudianus infeliciter inchoauit. vix enim viginti supra centum compositis versibus, excessit è vita. Gigantum hoc cum Dijs bellum scribere supra vireis suas esse, fassus est Ouidius secūdo de Tristibus his versibus.

At si me iubeas domitos Iouis igne Gigantas
Dicere, conantem debilitabit onus.

a Nguipedum vireis, immaniáque arma gigantum,
Assertósq; polis monteis, sedémq; Tonantis
Affectatam homini, disiectáq; ab æthere monstra
Sicania æternas subter iuga pendere pœnas,
Lætitiámq; Deum domitæ post prælia phlegræ
Est animus memorare, veni mihi dexter Apollo,
Túq; mihi, & Clió, Cliúsq; sororibus, omneis
In numeros oranda magis, da Borgia vireis

Carminibus, longósque abscondita bella per annos
Diua refer, seniúmque meo concede labori.
Iuppiter vt sæuis trepidare Gigantibus astra
Cernit, & hos humeris montem superaddere monti,
Peruius vt fiat congestis molibus æther,
Imperat acciri Diuos, coit omnis Olympo
Turba Deum, sedet ipse toro sublimis in aureo.
Vt'que oculos circum, quibus omnia conspicit, egit,
Sic exorsus. eo dicente volumina cæli
Hæserunt, siluitque æther, & olympica Seiren.
Di, quibus astra datū colere, & loca summa tueri,
Quos volui æternos mecum regnare per annos,
Quósque habui fidos comites Titania contra
Arma, decennali superos vrgentia bello,
Nūc opus est animis, quibus est defensus Olympus.
Immanes cum iam Titanēs ad aurea cæli
Ostia, victrices agerent sine more phalangas,
Terrigenæ audaces nostro detrudere cælo
Et me, vósque parant, iámque altum tollere adausi
Ossan, & æmathij molem conuoluere Olympi,
Quæ'que extrema Deum nocturno munere fungi
Luna negat, si non propere auxiliaribus armis
Adsimus, nubésque sua statione pauentes
Iam retro cessisse refert, nec in aere quenquam
Nostrorum iam posse datis consistere signis.
Quòd si adeo castris palantibus occupet hostis
Lunaris conuexa globi, nil proximus Arcas
Nil Venus obstiterit per inane furentibus altum.
Quare agite, in mediū quod quisque probabile sentit

Consulite, & patrio vnanimes succurrite cælo,
Quin vobis potius, neq; enim dubitabile cuiquam
Extrema immanem nostro de sanguine gentem
Supplicia hausuram, si nos agat impia pessum,
Enceladi manifesta satis, satis agnita Cæi
Mens, & sæuorum tumefacta superbia fratrum.
Iam tenebras nobis, iam vincla sæua minantur,
Atq; erebi pœnis, pœnis grauiora Promethei.
Dixerat hæc. magni fremuere palatia cæli,
Iámq; omnes bellare volunt. certamina Mauors
Prima petit, renuitq; moras, vrgétq; tonantem.
Cum subijt Cybele genitrix iustissima Diuum
Maternæ dudum pietatis imagine tacta.

Quid non cælicolæ potius compescere tantos
Bellorum strepitus, inimicáq; fœdere castra
Iungere tentamus nobis, & ducere cælo?
Fors, nec erũt regno indecores, nec inertibus armis
Obfuerint nobis, siquis belli exiget vsus,
Expulerat, memini, vos & meminisse potestis
Briareon, Cottumque, Gygénque in tartara cælum,
Natorum horrẽdam molem, & tot membra perosum.
Hi tamen è tenebris ad regna superna vocati
Quantum opis attulerint vobis, nouistis abunde,
Nec minus his, vesana Deos tunc arma premebãt.
Astra metu pallére, vndisque occumbere vidi
Præscriptos longe ante dies, nec velle Triones
Stare loco, vetitóque fugam sibi quærere ponto.
Quǽq; sub Oceano semel abdita, rursus in auras
Surgere, cælesteis bello tremefacta negabant.

Nec prius ausa polis ad munera sueta reverti,
Quàm scirent imo monstra impia clusa Barathro,
Atq; illis certus victoria nuntius esset.
Adde quod hoc non est genus espernabile Diuis
Sanguine enim adiuncti cælo, iuuet esse parente,
Quà cælum exortos, miseræq; ignoscite matri,
Si dedit hos taleis ira irritata Deorum,
Non ferat vlla æque natorum funera mater.
Quid contrà non ipsa parem, siquem ægra iacẽtem
Aspiciam vestri cœtus? sed tristia longe
Omina, & horrendi plaga immemoranda doloris.
Sæuitum satis est, sat eam titania flesse
Funera, adhúcq; oculos luctu stillare recenti.
A persiqua Deis pietas, miserescite matris
Infelicis, & hos potius frenare furenteis
Quàm punire reos libeat, per & vbera nostra
(Vberáq; ostendit) quæ vos suxistis, & aluum
Oro per hanc, in qua creuistis numina, pacem.
Fingite me sontem, veniam precor, an quoq; vestræ
Oranti abnuitis dextram, pacémq; parenti?
Talibus & lachrymis superos commouit obortis,
Extemplóq; minæ, atq; animorum elanguit ardor,
Sedatiq; probant canæ pia dicta Cybeles.

Ipse Deum rector volucrem iubet Arcada cælo
Delabi in terras, offerréq; munera pacis.
Nate ait, Emathios pernix allabere campos,
Terrigenisq; meo hæc fer nomine fratribus orsa,
Quãquam ingens excire odium, atq; vltricia bella,
Vestrum immane nefas, visq; hæc temeraria possit,

Usqueadeo tamen æterna pietate mouemur,
Vt si pertesum admissi, mentisq; superbæ
Maluerim amplecti, quàm debellare merentes,
Ponite humi elatos monteis, tumefacta residant
Pectora, & in nostrum læti contendite regnum.
Ambrosiáq; dape, atq; æterni nectaris haustu
Cælitibus misti, mecum omneis viuite in annos.
Sin obduratæ mentes, fastúsq; maligni
Et superis bellum, exitiúmq; inferre paratis,
Spe vana elusos, rapidi Phlegethontis ad vndas
Detrudam obnixus partem, partémq; sub alta
Saxorum mole, atq; iniectis montibus abdam.
Hæc vbi percepit Maia satus, explicat alas,
Paciferámq; capit virgam, cui sedulus addit
Signum oratoris ramum pacalis oliuæ,
Descenditq; polo, pauidǽq; vt forte cohortes
Occurrunt, sperare iubet, pacémve, nouúmve
Præsidiū, atq; animos celerās trepidantibus addit.
Est locus, Æmoniam dixere, niualia lætos
Undiq; nunc vallāt cāpos iuga, Pindus & Othris,
Pelion, & media vix tunc plus parte tenebant,
Quippe erat ex imis moles Ossæa cauernis
Eruta, diuulsiq; patebat hiatus Olympi.
Montibus ingesti montes, iam Pelion Ossan,
Ossáq; frondosi graue onus gestabat olympi.
Fessus Atlantiades super alta cacumina Pindi.
Sedit, & oppositæ admirans fastigia molis,
Penè Ioui, superisq; timet, primósq; per ausus
Ingentes animos, & inexuperabile robur

Terrigenæ ſobolis ſecum putat, arduáq; illi
Apparent longe capita, atq; immania membra,
Forte ingens nutabat onus, ſeu Pelion altis
Verticibus, gemináq; oppreſſum rupe labaret,
Seu male Peliacis humeris conſideret Oſſa,
Siue hæc impoſitum tergo male ferret Olympum.
Ergo per aërias ſyluas, præruptáq; ſaxa
Anguineas voluens ſpiras, caudáſq; tremendas
Planitiem veſana cohors raptarat ad imam,
Necteret vt ſolida molem compage labantem.
Collectiq; ſimul verba inconſulta ſerebant
Sub diuo, & belli inter ſe de rebus agebant.
Strata dabāt ſpelæa toros, dabat integra ſceptrum
Ornus, & ingentes velabant tempora quercus.
Idem honor, atq; animus cunctis, eadémq; poteſtas
Neſcia ferre minas regni, arbitriúmq; prioris,
Quot ſteterāt, totidē eſſe prius iuga credidit Arcas,
Mox vbi deprendit ſæuorum ingentia fratrum
Corpora, vix motis celſo de vertice pennis
Fertur aui ſimilis, fractáq; crepidine ſaxi
Conſtitit, & dextra ramum prætendit oliuæ.
Illi autem vt medium aſpiciunt, inſurgere contra,
Stringeréq; arma, ſimúlq; horrendum attollere cælo
Clamorem, & prælata inſignia temnere pacis.
Enceladuſq; prior, quiſquis, mihi fare, Deorum
Quid venias, neq; enim noſtros accedere cœtus
Quenquam audere hominū per multa pericula noui.
Horruit his monſtris Tegeæus inermis, & alto
Mallet adhuc cælo, & patria in ditione morari.

Post tamen intrepido similis sic ore locutus.
Accipite æquo animo quæ nuntius ipse Deorum
Vobis iussa fero non contemnenda Gigantes.
Talibus arrexere aureis, animósque parumper,
Atque auidas cædis dextras tenuere, iubentes
Diceret, atque ollis ita farier incipit Arcas.
Quanquam ingens excire odium, atque vltricia bella
Vestrum immane nefas, vísque hæc temeraria possit,
Usqueadeo tamen æterna pietate mouetur
Rex hominum, diuúmque pater, cui sidera parent,
Vt si pertesum admissi, mentísque superbæ
Amplecti malit quàm debellare merentes,
Reddite humi hos mõteis, tumidósque reponite fastus.
Cætera dicturum furiata mente Typhœus
Occupat, imbelleis Solymos, & inertia corda
Castiget pater iste Deum, quos segnis ab alto
Terreat vsque polo, iubeátque absistere cœptis.
Ius proprium nobis, & nescia cedere cuiquam
Pectora, degenerique à matre infensa pauori,
Tantum & abest vt nos pigeat loca summa, Deúmque
Affectasse toros, libeátque extructa timore
Saxa remoliri, & cum Ioue quærere pacem,
Ut maiori etiam strue sidera adire paremus,
Vósque omneis toto superos depellere cælo.
Lanea iam non vincla manent, sed ahena tonãtem,
Cúmque tonante Deum vulgus, mihi debita cæli
Regia, & imperium terræ, Pontique, Erebique,
Dic, venia, quam mittit, eget. dic brachia supplex
Porrigat, alternásque vices me euoluere rerum

Cuiuis maior ineſt ſinat, atq; ea corriget vltro,
Ni faciat, peiora manent ipſúmq;, ſuóſq;
Cælicolas, magniq; rotantia mœnia mundi
Sternemus, rurſumq; igni miſcebimus vndas,
Aeráq;, & terram ſimul his confuſa trahemus.
Téq; niſi hinc abeas, tuáq; hæc inſignia tecum
Aſportes, fruſtra veniam miſerande petentem
Abreptum pedibus ſummum trans æthera mittam.
Imò quid in pœnas ſegnes cunctamur Echion
Sæuus ait, luat iſte ſui commiſſa parentis,
Si nil fraudis habet, ſed & hunc ſpectaſſe recordor
Obuium, & audaci dextra contra arma ferentem.
Non illi imbellis fuerat tunc virga, ſed enſis
In falcem flexus, galeæ & munimen ahenæ.
Quin volat huc illuc, terráſq;, æquórq; profundum,
Explorator obit, nigráſq; adit impiger vmbras,
Nilq; eſto obfuerit, ſatis eſt genus eſſe Deorum.
Titanáſne adeo ſemper patiemur inultos?
Talia vociferans, ingentem conijcit ornum
Mercurium contra, nec ſe temerare veretur
Sanguine legati, ſed & his ſcelus aggrauat orſis.
O, cur non omnes vna datur arbore diuos
Proterere, atq; ipſum in primis cōſternere Regem?
Ille videns longe vulnus, celer exit, & alis
Emicat, vt trepidans tela ad ſtridentia cornix.
Quæ ſimul intento Gortinia vidit in arcu
Spicula, prædonem obſeruat, celerémq; ſagittam
Nec prius emiſſæ procul audit arundinis ictum
Quàm leuibus liquidas pennis cita fertur in auras.

Vnà omnes ruere, & mortem intentare videres,
Hic sceptrum iacit, hic raptam de vertice quercum
Intorquet, vulsis agit ille molaribus hostem.
Littora dissultant strepitu, reboántque cauernæ
Altorum nemorum, & vastis clamoribus omnis
Emathia, & rapidos cohibent vada territa cursus,

HERCVLIS STROZAE EPITAPHIVM PER ALDVM ROMANVM.

Hospes, licet aliò hinc propere eundum tibi,
Rogo hoc legas tamen. scio miserebere,
Humanitas quæ est tua. poetæ hic sunt sita
Ossa Herculis Strozæ, poëta qui satus
Patre est Tito. Quòd si cupis cognoscere,
Qualis poëta vterque, queis honoribus,
Quantisque præditus fuerit in patria,
Quámque inclytis Stroza orta gens maioribus,
Longum foret narrare. id è libris potes
Cognoscere hospes, quos pater, quos filius,
(Nam excusi habentur) fecit excultis modis.
Cantauit Anthiam, atque Phylloroen pater,
Quósque tulit heroas familia Estensium,
Inuisáque arma matribus. Lucretiæ
Hic Borgiæ laudes, decúsque heroidum
Quot sunt, fuere, quótque erunt. Hic & Deos

Canebat & Gigantas, & bella horrida,
Ac multa alia, cum rapitur. Heu fata impia.
E gisset integram vel ætatem alteram,
Non sua minus gauderet hoc Ferraria,
Quàm aut Mantua Marone, aut Catullo nobilis
Verona, Venusiúmve Oratio suo.
Heu ter, quater crudelia, heu fata impia.
Monimentum & ipse exegit ære perennius,
Atque altius pyramidibus Regum, Iouis
Quod ira nunquam diruet, tempúsve edax,
Aut Aquilo impotens, malive ignes, virum
Nam sibi dicatum oppetere, Pierides vetant.
S ed muliërum quæ est gloria, & honos Barbara
Taurella coniux quam pientissima, viro, &
Vnà vt quiesceret ipsa, donec corporum
Erit excitatio, sibi hoc viua posuit.
H oc te volebam scire, iámque abi, & vale.

TITI VESPASIANI STROZAE EROTICON LIBER PRIMVS AD DIVVM HERCVLEM ESTENSEM FERRARIAE DVCEM.

ADLOQVITVR LIBRVM.

V Ade liber, diui securus ad Herculis ædeis,
Nam facileis aditus Regia mitis habet.
Nec vereare, licet magnis ego vatibus impar,
Sandalias biberim non Heliconis aquas.
S cis tamen, vt nostras viridis Venus aurea myrti
Non dedignetur cingere fronde comas.
V ade igitur, nec te properãtem proxima tardent
Atria, magnanimi nobile Regis opus.
N ec tot clara tuos teneant palatia cursus,
Singula dum cupidum cernere pulchra iuuat.
I uncta foro delubra petes, superósque rogabis,
Vt cœptæ præstent omnia fausta viæ.
P rotinus ingentis trasgressus limina templi
Magnorum statuas treis venerare Ducum.
A lberti à læua tibi erit senioris imago,
Qui tenet augusta sceptra paterna manu.
I lle suas, Vrbisque simul firmauit, & auxit
Pontificis claro munere dignus, opes.

Cælatúsq; Patris magni venerabile donum
  Ciuibus ostendit, partáq; iura lapis.
Pars aduersa fori, quæ proxima cernitur aulæ,
  Non minus ornatu conspicienda suo est,
Nicoleos ibi marmoreo sublimis in arcu
  Insidet aurato pacis amator equo.
Grandibus hic meritis hominũ sibi pectora vinxit
  Certus amor populi, delitiæq; sui.
Filius hunc iuxta solio spectatur in aureo
  Borsius, illustreis maximus inter auos.
Ille nouum primus nostræ Decus addidit vrbi,
  Altáq; iam fama contigit astra sua.
Hos pietate pari colimus, sempérq; colemus,
  Hos omneis patriæ sensimus esse patres.
Quos vbi transieris, postésq; intraueris altos,
  Incipe marmoreos dexter adire gradus.
Occurrent spaciosa tibi cœnacula, per quæ
  Ad magni thalamos Herculis ire datur.
Sed caue, ne pictis radians laquearibus aurum
  Spectanti longæ sit tibi causa moræ.
Ad dominum propera, quem postq̃ videris, illi
  Cætera postpones, quæ pretiosa putas.
Fac valeas animo, diuini luminis ardor
  Ne visus hebetet cordẽ stupente tuos.
Ille quidem facilis, nec te (nisi fallor) euntem
  Despiciet, placida suscipiétq; manu.
Sed licet auratos tibi purpura vestiat artus,
  Sit bene compositis littera picta no[t]is,
Et quamuis cultu possis non vilis haberi,

Haud tamen id ſatis eſt, ni meliora feras.
Non ebore & gemmis, non auro vera paratur
Nobilitas, aliquid maius habere decet.
Nam virtutis opes tantum ornamenta putantur,
Quas fortuna ſua dátq;, rapitq; manu.
Hæc igitur nequeunt generoſum reddere quenquam,
Cauſam in ſe virtus nobilitatis habet.
Quare, ne ſimilem Princeps te iudicet vmbræ,
Quæ norit nullos edere muta ſonos.
Oſcula cum dederis felici debita dextræ,
Sis memor hæc Regi dicere verba meo.
Summe Ducum, quo non alius vel nomine maior,
Vel bello melior, vel pietate prior,
Strozius hæc iuſſit me limina Titus adire,
Qui tua non ficta numina mente colit.
Cuius certa fides, varijs tibi cognita quondam
Caſibus, extremum ſtabit aduſq; diem.
Ille ſub auſpicio, primis quæ luſerat annis
Hæc prodire cupit qualiacunq; tuo,
Maior vt accedat ſcriptis ex nomine tanto
Gloria, qua tecum viuat, & ipſe diu.
Nec velut egregiam me rem tibi dedicat author,
Quæ veſit Herculeo digna ſupercilio,
Sed potius, ne quot meritis, & qualibus illum
Proſequeris, memorem ſe minus eſſe putes.
Sume libens animus quicquid tibi deditus offert,
Non data, mens dantis reſpicienda tibi.
Non aſpernatur ſyncero corde ferenteis,
Supplice cum voto munera parua Dei.

Tu quoq; terrarum, atq; hominum cui lata potestas,
Penéq; cælitibus par, imitare Deos,
Et licet imperij te moles occupet ingens
Assiduis curis, detineátq; sibi,
Fronte tamen placida, siquid præstabitur oci,
Respice ad hæc præsens quæ tibi dona fero.
Inuenies aliquid teneros hic præter amores,
Iudicio damnes quod minus ipse tuo.
Téq;, tuáq; leges clarissima nomina gentis,
Ac celebreis fama quos canit ille viros.
Addita sunt etiam pedibus nonnulla solutis,
Texta sit vt varia nostra corona rosa.
Vtq; reor proprium, quod postera forsitan ætas
Sit lectura, tibi nunc meditatur opus.
Talia magnanimi per te referantur ad aureis
Herculis, ò Domino chare libelle tuo.
Sedulus hæc postquam mandata peregeris, vt nos
Diligat, hoc nimium ni putat esse, roga.

QVOD DIE SOLENNI DIVI Georgij amare Anthiam cœperit.

Candida lux aderat Maijs vicina Calendis,
Quam festam veteres instituistis Aui.
Quam pia solenni celebrat Ferraria cultu,
Aurea cum admissis præmia ponit equis.
Cúmq; frequens tardos populus spectator asellos
Increpat, & plausum turba iocosa ciet,
Cum rapido certat iuuenum manus æmula cursu,
Vitta retroflexam cui premit alba comam.

Tempore quo Zephyrus viridanteis euocat herbas,
Et vario pictam flore colorat humum
Purpureo cum vere nouus redit annus, & ales
Plurima frondosis garrit in arboribus.
Hic dum sollicito spectarem lumine cursus,
Ante mea arcitenens constitit ora puer.
Aurea cui læua pendebat parte pharetra,
Nudus, & aspectu blandus & acer erat.
Isq; vbi collegit celeres, quibus vtitur, alas,
Deprompsit niuea splendida tela manu.
Atque ait, ô Iuuenis volucrum mirator equorum,
Quod mirēre magis, nunc mea dextra dabit.
Dixerat, & pariter sonuit cum voce sagitta,
Inq; meo subitum pectore vulnus erat.
Tum calor insuetus venas penetrauit ad imas,
Et magni patuit vis manifesta Dei.
Dum stupeo, conórq; nouas extinguere flammas,
Subridens pennis euolat ille suis.
Acer vt insolitæ calabri domitoris habenæ
Pugnat equus campis, qui modo liber erat.
Post tamen audacem discit tolerare magistrum,
Et fractus docta concidit arte furor,
Haud aliter mentis constantia victa seueræ,
Et mea corripuit plurimus ossa Deus.
Colláque submisit domito luctantia fastu,
Et dominam victor, seruitiúmque dedit.
Tum monuit, teneræ valeat quid gloria formæ,
Quid faciles oculi, virgineúsque pudor.
Nec mihi consilio, nec prodest viribus vti,

Et bene libertas ante retenta, perit.
Felix, qui sacros tutus contempsit amores,
Nec dominæ insanum pertulit imperium.
Sed felix nimium rursus, nimiúmq; beatus
Si cui se facilem præbuit ipsa Venus.
At mihi si legem Parcæ imposuistis amandi,
Si nostris hæc est meta petenta rotis,
Lætor siderei vultus quòd imagine carpar,
Qualem non ætas viderit vlla prius.
Hoc vireis natura suas effudit in vno,
Et mirata, suum vix opus esse putat.
Si Paris hanc faciem Phrygia vidisset in Ida,
Illo non isset iudice prima Venus.
Huic merito potuit Iuno inuidisse figuræ,
Sub Ioue si primis nata fuisset anis.
Hanc tu, si sapias potius pro Gnoside velles
In cælum curru Bacche tulisse tuo.
Cætera cum dederint superi tibi, deerat amator,
Qui caneret dotes chara puella tuas.
Ipse ego tale aliquid modo si promittere possum,
Castalióq; bibit si mea fonte sitis,
Ingenium, mentémq; tibi formosa dicabo,
Et nostris fies nobilis ipsa sonis.
Vos, quibus aspirat flatu fortuna secundo,
Nec resides virtus alta iacere sinit,
Vos decet æternæ præconia quærere laudis,
Sublimi eloquio, belligeráve manu.
At mihi formosam satis est cecinisse puellam,
Hæc studia, has arteis, hæc ego bella sequar.

C œrula rostratæ proscindunt æquora classes,
Proxima sed radit littora parua ratis.
S ic ego cui tenue ingenium, nimis ardua linquam,
Et satis est, si me culta puella probet.
T u modo nympha velis paribus contendere flāmis,
Quæ facie præstat, conuenit esse piam.
O dimus Iasidem, quoniam crudelis amanti,
Asperiórq; suis rupibus illa fuit.
T yndaris Iliaco si dura fuisset amanti,
Non ita mœonio carmine nota foret.
Cynthia clara minus, Nemesisq; obscurior esset,
Sed facilis Nemesis, Cynthia mitis erat.
T u quoq; dulcis Anus tali dignissima prole,
Incipe nos inter connumerare tuos.
M e tibi vel generum, vel natæ suscipe fratrem,
Quicquid in hac fiam, iuuerit esse domo.
N on vigil ærato dubitem me affigere posti,
Et fessa in gelido ponere membra solo.
N ec minor est rerum mihi, quàm tibi cura tuarum,
Haud natæ custos aptior vllus erit.
E ste procul iuuenes, non hic corrumpitur auro
Ianitor, officio fungitur ipse suo.
Vos quoq; nocturni procul hinc discedite fures,
Insomnis custos excubat in foribus.
A quoties, cum me patientem cuncta videbis,
Ipsa etiám dices, non amat iste, perit.
N ec poteris nostro non ingemuisse labori,
Dignáq; pro meritis præmia ferre meis.
N on ego Sidonias vestes, non aurea tecta,

Fertilis aut agri iugera mille petam.
Vna satis fuerit regno mihi charior omni
Anthia, qua felix coniuge semper ero,

Qualis visa Anthia sedens sub vmbra in Coppari agris.

Qualis erat roseis in odore vallibus Ætnæ
Virgineo lusu languida Persephone,
Qualis apud Xanthum nemorosa sedit in Ida
Oenóne socias inter Hamadriadas,
Qualis pinifero confecta cæde ferarum
Procubuit Cynthi fessa Diana iugo,
Talis Coppāri peragratis Anthia campis,
Lassa sub vmbrosis concidit arboribus.
Tum mihi visa decens, tam se formosior ipsa,
Ignea quàm cedunt sidera Phœbe tibi.
Vidi ego flauenteis auro certare capillos,
Oráque purpureas exuperare rosas.
Vidi ego sideribus nitidos contendere ocellos,
Candida Sithonias vincere colla nineis.
Ipsa suo varios disponens ordine flores,
Texebat facili mollia serta manu.
Quam circunfusæ dictabant carmina Nymphæ,
Et querulæ folijs obstrepuistis aues.
At vos felices, fortunatæque puellæ,
Virginei comites, consiliúmque chori,
Dicite siqua dedit mutato signa colore,
Dicite qui vultus me veniente fuit.
Num discedentem argutis spectarit ocellis,

Illius an fuerit nomen in ore meum?
A quàm ne fieret Zephyri noua præda verebar,
Flamine cum molli blandior ille foret.
Quid sit amor venti Borea didicere magistro,
Quaq; petunt omnes, non bene tuta manet.
A quàm purpureis inuidi floribus amens,
Sedula quos niuea legerat ipsa manu.
Pertimuiq; Iouem, ne se mutasset in illos,
Fallere qui varijs nouit imaginibus.
Europen tauro, Danaen deceperat auro,
Atq; Deum niuea dissimularat aue.
His mea vita dolis ne tu caperere timebam,
Sollicitúmq; tuus me facit esse decor.
Nam tibi vix similem veteres cecinere poetæ,
Nec videt immenso Phœbus in orbe parem.
Qui vult humano cælestem in corpore formam
Cernere, de facie cogitet ille tua.
Nec minus ingenio, & morum candore probaris,
Atq; sibi talem quisq; venire cupit.
Ergo prius tellus alimenta negauerit orbi,
Et nouus hesperio surget ab axe dies,
Ante Pado Tagus, atq; Athesi miscebitur Hister,
Pectore quàm vultus defluat iste meo.
Felices, quibus & charam retinere puellam
Semper, & in tuto viuere amore licet.
Quos neq; turbarit vigilans in lumine custos,
Dulcia nec tristis gaudia norit anus.
Nec quibus insidias obscura nocte pararit
Exiliens tacitis aspera turba locis.

Hæc mihi sæpe nocent, hæc sunt mihi sæpè timẽda,
Me tamen in primis callida torquet anus.
Illa meos aditus seruat, timidámque puellam
Territat horrendis imperiosa minis.
Hanc tibi cum dabitur ludendi copia, falle
Anthia, nec placidum tempus abire sine.
Nam non semper eris, quà nunc formosa iuuenta,
Iam veniet celeri curua senecta gradu.
Ut violas, roseúmque vides cessare decorem,
Squalet vt amissis horrida sylua comis,
Candida sic etiam facies abeuntibus annis,
Deficit, & nil tunc pœnituisse iuuat.

Laudat Anthiam à forma, & moribus.

O Bene conueniens capiti velamen honesto,
Sidereos oculos, aurea fila, comas,
O teneram, leuémque manum, cui Iuno, Venúsque
Inuidisse queant, & tua Phœbe soror.
O niueos artus pulla sub veste latenteis,
Et non humanis edita verba sonis,
O dulceis risus, habitum, moresque venustos,
O nulla læsam labe pudicitiam,
Uos in me insolitum, vos in me accenditis ignem,
Imáque furtiuus corripit ossa vapor.
Vos mihi sollicito rapitis de pectore sensus,
Et votis alitur spes animosa suis.
Aspicite, vt vero pro corpore restet imago,
Et nisi fertis opem, mox ego nullus ero.
At tu naturæ decus, exemplúmque potentis,

Quæ non est Latio pulchrior ulla solo,
Tu nitidos in me conuerte parumper ocellos,
Queis potes obscura reddere nocte diem.
Tu precibus non dura meis, præsénsque faueto,
Et mihi (si fas est) dicito, noster eris.
Mortaleis æquat superis clementia Diuis,
Et miseris rebus consuluisse pium est.
Si dedit egregiam faciem natura puellis,
Non adamanteum pectus habere iubet.
Nec iubet exitio tristi lætentur amantum,
Fallitur, id suadet siqua puella sibi.
Sed placidi mores, & rusticitate carentes
Cum tibi sint, nimium mens mihi casta nocet.
Mens mihi casta nocet, qua tu formosa triumphas,
Et qua summa tuum sidera nomen adit,
Non tamen inuenies in nostro crimen amore,
Non animum turpis, sed pia cura mouet.
Nósque precor societ placidos hymenæus in annos,
Atque maritaleis præferat ipse faces.
Hoc si contigerit, nec dedignata recuses,
Despiciam magni ditia regna Mydæ,
Nec magis assyrij, quæcunque est gaza sepulchri,
Aut opus optarim nobile Pyramidum,
Nudus amor non curat opes, discedat ab illo,
Sollicitæ quisquis seruit auaritiæ.
Quem potius pretium quàm culta puella mouebit,
Dignus cum censu est ille perire suo.
Non animum nobis adeo tribuere tenacem
Fata, nec ingenium sordida cura premit.

Cui tantum superest, vt videre possit honeste
Gaudeat, hos fineis præterijsse nefas.

De discessu Anthiæ ex vrbe Ferraria.

Postquam Ferrariæ discedens mœnia liquit
Anthia, Ferrariam liquit & ipsa Venus.
Mollis amor simul hetruscas migrauit ad vrbeis,
Secum blanditias, delitiásque tulit.
Sed licet ad Tanaim, rapidúmque feratur Hydaspen
Herculeas quamuis transeat illa vias,
Quáque rotant fluctus alterno vortice Syrtes,
Per mare, per terras subsequar ipse tamen.
Nunc vtinam sumptis imitarer Persea pennis,
Nunc vellem ingenium Dædale docte tuum.
Nunc ego Medeæ, quo fugit Iasona currum
Optarim, volucres Triptolemique rotas.
Scilicet vt dominæ subito improuisus adessem,
Duceret ingratas neu via longa moras.
Quò propero infelix? pergámne per aspera saxa?
Per gelidas alpeis, perpetuásque niueis?
Quid si latronum occurrat manus impia, raptis
Vestibus immitti quæ petat ense caput?
Aut nemorum latebris, aut alto monte ruentes
Dilacerent rabidæ membra cruenta feræ?
Nouimus infaustos casus, discrimina amantum,
Fata obstant lætis inuida principijs.
Pyramus exemplum præbet, miserandáque Thysbe,
Quos rapuit simili mors violenta modo.
Testis adest, animos cui conscia virgo natanti

Sæpe in arenoso littore visa dedit.
Ille per insanas medijs aquilonibus vndas
Ibat, vt optata posset amante frui.
Nec reuocare minis genitor, nec flectere mater
Blanda potest, vltro sed periturus abit.
Iámque procelloso positurus in æquore vitam,
Hei mihi congeminat Sesta puella vale.
Sesta puella vale clamabat, & ecce loquentem
Præruptus vastæ supprimit agger aquæ.
Præterea iam forte nouum suspirat amorem
Anthia, nec fidei, nec memor ipsa mei.
Rara quidem fida est, oculus nisi nutriat ignem
Fœmina, iuratos vix timet vlla Deos.
Perfida securum sic te Menelaë fefellit
Externa ad Troiam vecta Lacæna rate.
Arsit in Ægistho furiosi mater Orestis,
Dum gerit Atrides vindice bella manu.
Multæ etiam, quarum veteres meminere poëtæ,
Deseruere viros, legitimámque fidem.
His fortasse meam poterunt numerare puellam,
Atque ideo, doleam cur ego, semper erit.
Me miserum, quónam dominæ fiducia cessit?
Quid queror? & uano terreor ipse metu?
Parce precor mea lux, siquid male lingua locuta est
Omnia magnus amor tuta timere iubet.
Sic Deus ille mihi stimulum sub pectore fixit,
Raráque cum casto forma pudore venit.
Sed tua Penelopen superat constantia, quamuis
Illa sit Argolicæ fama pudicitiæ.

Ibo igitur, nec me certum tardabit eundi
Tristis hyems, segneis impiger odit amor.
Illius aerias pennis tranabimus alpeis,
Atq; aderit nostræ dux Cytherea viæ.
Thuscus at incolumem postquã me acceperit Arnus,
Et dominam dabitur posse videre meam,
Tunc ego velatus myrto viridante capillos,
Persoluam magnis debita vota Deis.

Amica potitus, gloriatur.

DI superi, Venus alma, puer venerãde Cupido.
Nox hesterna mihi gaudia quanta dedit?
Clara sub oscuris latitabant nubibus astra,
Condiderat vultus candida Luna suos.
Ad dominam furtim superato culmine tecti,
Conscia me iusso tempore duxit anus.
Mollia quis varijs amplexibus oscula mista
Narret? & in teneris dulcia verba iocis?
Aquoties esset cum iam lassata voluptas
Mutua, blanditijs est reuocata Venus?
Quàm me præteritos casus meminisse iuuabat?
Et fusum in niueo multa referre sinu?
Ite procul segnes, atræ quos tempora noctis
Terrent, & multa nubilus auster aqua.
Præcipiti quibus ad dominam timor ire fenestra
Obstitit, ite procul, linquite signa ducis,
Fortibus intrepidi sunt castra cupidinis apta,
Et iuuenum audaces adiuuat ille manus.
Siue nouos aliquis furtim tentabit amores,

Seu fallet segnem cauta puella virum,
Ipsa Cytheriaco despectans vertice terras
Annuit, ac ridet dulcia furta Venus.
At mihi, si tecum taleis perducere nocteis,
Téque meo liceat vita tenere sinu,
Congerat ò quantum cupiat sibi quilibet auri,
Me satis est duram pellere posse famem.
Æstinámque sitim sedare fluentibus vndis,
Et satis est humileis incoluisse casas.
O quàm me in viridi tecum recubare iuuaret
Gramine, fagus vbi funderet alta comam.
Mille rigans flores nitidis vbi riuulus vndis,
Per vicina leui serperet arua sono.
Illic & volucrum sub opacis abdita ramis
Continuat querulos garrula turba modos.
Syluarúmque comas tenui mouet aura susurro,
Gratior & mulcet languida membra quies.
Crimen apri formosus Adonis, & ipsa Dione
Sæpius in solis delituere locis.
Sic Paridi Oenone, sic cæli sede relicta
Dignata est tenero Luna coire proco.
Montibus ante Iouem iuuenes, paritérque puellæ
Errabant, viguit tunc sine labe pudor.
Pace tua gens prisca loquar, sic credere oportet,
Durus in hoc ego sum, subdubitóque tamen.
Atque vtinam nobis iterum mos ille rediret,
Nunc melius scirent commoditate frui.
Non ego sæpe graueis perferrem mente dolores,
Humida nec lachrymis lumina nostra forent.

At tibi qui facilem custodis dure puellam
 Ianitor, exitium numina triste ferant.
Sit Domino suspecta fides tua, teq; perosus,
 Insidias vitæ præparet ille tuæ,
Vt vigiles semper, nunquam tamen omnia cernes,
 Decipit astutos ingeniosa Venus.
Io non Argus, Danaen non ferrea clausam
 Ostia seruarunt, Acrisiúsq; pater.
Tu, cui pro meritis oculum despecta iuuentus
 Euulsit, demens cuncta videre putas?
Si mihi credideris, aditum dabis vsq; petenti,
 Aduentu nec erit ianua clausa meo.
Tunc ego te propter vitæ discrimen adire
 Non dubitem, & patrijs me spoliare bonis.
Ferre nec ista tua pro libertate recusem
 In me translato vincula seruitio.
E heu quid precibus fluctus placare tumenteis
 Conor, & iratis perdere verba notis?
Illum monstrifera genuit Polyphemus in Ætna,
 Inq; truci durum pectore marmor habet.
Fraude mea capiendus erit, mihi nanq; futuri
 Composuit magicum præscia carmen anus.
Illa soporiferum liquido cum melle papauer
 Miscuit, & varijs gramina secta locis,
Hæc docuit Baccho diffundere, dicere verba
 Queis sopor inuitis eliciendus erit,
Multáq; de cælo quibus ignea sidera ducit.
 Et rapidi ad fontem fluminis vnda redit.
Illa annos adimit senibus, labefactáq; mira

Arte, cupidineas mittit in ossa faces.
Cum libet, insolito iuuenes inflammat amore:
Cum libet, extincto deficit igne calor.
Illa iubet fractis manes prodire sepulchris
Nigráq; terrifica tartara voce mouet.
Carmine longinquos messem traducit in agros,
Et cantata suum deserit herba solum.
At vos Cælicolæ nostris ignoscite cœptis,
Non mea contemnit numina vestra fides.
Nec soror hos Phœbi metuant, nec sidera cantus,
Hac domina tantum quærimus arte frui.

Ad annulum quo donatus fuerat ab amica.

ANnule dulce mihi dilectæ munus amicæ,
Annule delitias inter habende meas.
Tu licet excellas auro pretiosus, & apte
Gemma sit artifici clausa magisterio,
Est aliquid, mihi quo meruisti gratior esse,
Scilicet in niuea te tulit illa manu.
Illa etiam, dono cum te mihi tradere vellet,
In primis monuit, q̃ sibi charus eras.
Mecum igitur semper noctésq; diésq; manebis,
Mille tibi amplexus, oscula mille feram.
Inq; sinu ponēre manus dum nostra lauentur,
Inuida ne nitidum te mihi lædat aqua.
Tu modo læua caue commissum perdere pignus,
Si qua hoc mandantis gratia tangit Heri.

AD IANVM PANNONIVM POEtam antiquis Vatib. cõparãdum, qui postea creatus est quinqueecclesiensis Episcopus, vt sinat se placito indulgere Amori.

Q Vis nouus ille sacri vates Heliconis in antro,
 Cuius Apollineum carmen ab ore sonat?
Dicite Pierides vbi primos egerit annos,
 Quæ tener insueto presserit arua pede.
Quo duce lauriferæ peragrauerit Auia syluæ,
 Sub quibus ille vagans luserit arboribus.
At nisi mens fallit videor cognoscere vatem,
 Hunc Heliconiades vos aluisse, ferunt.
Vos canere arcano puerum docuistis in antro,
 Pulsáq; fila leui sollicitare manu.
Ipse sacris adhibere choris dignatus Apollo,
 Iussit honorata cingere fronde caput.
Per q; pias duxit sedeis, & amœna vireta,
 Plurima Pegaseos qua tegit vmbra lacus.
O nimium felix, ò fortunate Poeta
 Ingenio priscis æquiparande viris
Ecce tibi faciles donant sua carmina Musæ,
 Nec negat Aoniam pulcher Apollo lyram.
Iam tibi pallenteis ederas, Thyrsósq; merenti
 Præbuit, & currus Euchius ipse suos.
Nec tibi deficiunt vbi vis intendere vires,
 Ardua siue libet, seu leuiora sequi.
Quid formæ decus, & mores, sanctúmq; pudorem,
 Quid referam vitæ candida facta tuæ?

Omnia præsentes superi tibi Iane dedissent,
Ni vacuum dulci pectus amore foret.
Immeritas, nec iam satis est odisse puellas,
Tristia sed tetrico carmine bella paras
At mihi seruitium capto, Dominámque ferenti
Obijcis extremæ crimina desidiæ.
Quódque diu fuerim mordaci fabula vulgo,
Nec patrijs humilis tollar imaginibus.
Nec quòd amans rectum videã, cũ plurima cernas
Subiectus nullis ipse cupidinibus.
Incautúmque vocas, & sanæ mentis egentem,
Cuius sit dubio credita cymba mari.
Munera quinetiam charæ pretiosa puellæ,
Vt suspecta mihi despicienda putas.
Sæpe refers dulci sub melle venena latere,
Et placitis hamum sæpe subesse cibis.
Quanta puellari leuitas in pectore regnet,
Quàm cito consuerint credere falsa, mones.
Quid valeant herbæ, quid noxia carmina narras,
Et quodcunque Venus monstret iniqua nefas.
Multáque fœminei memoras exempla furoris,
Transuersas olim quas malus egit Amor.
Acrior his vt me redimam rationibus vrges.
Vtque velim ex humili tollere valle caput.
Tum positis leuibus curis, & amore relicto,
Regia sublimi condere bella pede.
Non equidem aduersor tibi me nunc Iane monenti,
Atque meæ fateor crimina nequitiæ,
Nec te Thersiten, potius sed Nestora dicam,

Tam bene qui noris, tam grauitérq; loqui.
Sed tamen aut fatis, aut longo impellor ab vsu,
Optima cum videam, deteriora sequar.
Non secus assiduis confectus febribus æger,
Inuisam medicæ despicit artis opem.
Tum succos omneis, medicamina cuncta perosus,
Negligit infirmi corporis auxilia.
Forsitan huic poteras olim succurrere morbo,
Cum primo illatum nec graue vulnus erat.
Nunc sero medicina datur, nec inania posthac
Proderit amisso claudere septa boue.
Non ita præcipites agitantur in æquore cymbæ,
Cum Notus Ionijs fluctibus insonuit.
Vt me versat amor pectus populatus, & omne
Ius animi, atq; suo me regit arbitrio.
Talis permultos tulit exitus, hic quoq; Titum
Auferat, hoc noster limite currat equus.
Mortaleis omneis, neq; enim trahit vna voluptas,
Ingenio sequitur proxima quisq; suo.
Hunc rapit armorum sublimem gloria cælo,
Proferat vt domitis gentibus imperium.
Lucra petens mercem fuscis vehit alter ab Indis,
Alter ab Oceano flaue Britāne tuo.
Ille sacris cœlebs superum se dedicat aris,
Hic notat astriferi lucida signa poli.
Hunc iuuat occultas naturæ discere vireis,
Et procul à vulgo condita mente sequi.
Ille Machaonias animum conuertit ad arteis,
Versat hic antiquum sedulus Hippocratem.

Hunc iuris lassant numerosa volumina, at illum
 Nobilibus studijs docta Minerua tenet.
Me mea sors tenero voluit succumbere amori,
 Et mihi pars huius credita militiæ est.
Non vt rere tamen (liceat mihi vera tueri)
 Desidiam castris dux habet ille suis.
An tibi cum vigilet totas ad limina noctes,
 Anxius in dominam segnis amator erit?
Quem labor haud vllus, quẽ non via longa fatiget,
 Ignaui turpem sustinet ille notam?
Strenuus oppositos audet transcendere monteis,
 Horrida nec Boreæ frigora curat amans.
Nec rapidi tardant vndis spumantibus amnes,
 Cum fluit ex altis nix resoluta iugis.
Lentus erat Iuuenis, cum sæua per æquora nabat,
 Quem tepido fouit Sesta puella sinu,
An Turni solitas vireis, animósq; Cupido
 Fregit? an ignauum reddidit Æaciden?
Ferre famem, tolerare sitim, contemnere somnos,
 Dura pati didicit plurima, quisquis amat.
Sed non, quæ deceant positi sub nubibus atris
 Cernimus, & vobis purius ista patent.
Semiuirum didicit monstrante Cupidine Theseus
 Qua voti compos perderet arte bouem.
Incolumis nunquam patriæ tetigisset Iason
 Littora, phryxeæ vellere clarus ouis,
Ni bene suadus amor vitare pericula tanta,
 Poscere virgineam ni monuisset opem.
Ille dat ingenijs vireis, animiq; vigorem

Excitat, ille rudeis præficit arte viros.
Ast incerta sequor te iudice, nec mihi fas est
Noscere quem mea sint vota habitura modum.
Hæc quodcunque hominum fruitur vitalibus auris
Sors habet, & fati nescia iura latent.
Téne putas nostris exceptum legibus esse?
An tua sors melior sorte putanda mea est?
Si mihi difficileis casus memorabis amantum,
Sunt quibus indulsit non inimica Venus.
Haud semper vultu perstat fortuna minaci,
Non omnis rabido est agna dicata lupo.
Cæde Neoptolemus patria si territus esset,
Liquisset turpi Dorica castra fuga.
Cum toties fuerint infidæ puppibus vndæ,
Creber in æquoreas nauita fertur aquas.
An quia Cadmeum iuuenem lacerauerat olim
Montibus Aonijs effera turba canum,
Segnior Hippolitus syluis, canibúsque vacauit?
Venandi Cephalo cura minórne fuit?
Nec tu Palladias ideo nunc despicis arteis,
Hæ licet intulerint plurima sæpe mala.
Docta licet quondam magni Demosthenis ora
In Dominum fuerint perniciosa suum.
Exitium ingenio quanuis sibi triste pararit,
Gloria Romani Tullius eloquij.
Causáque Nasonem similis procul vrbe fugatum
Impulerit Getici littus adire maris.
Munera cur spernam gratæ mihi pignora mentis?
Quæ summo quæri digna labore forent.

Gemma erit in pretio, quam se mercator auarus
  Finxerit à rubri littore ferre maris?
Anulus artis opus miræ mihi vilis habendus,
  Quem tulit in digito dia puella suo?
Cui neq; nostra parem, neq; prisci temporis ætas
  Vidit, nec similem secla futura ferent.
Quam suauis placido comitatur gratia vultu,
  Tristis vbi nullum vendicat ira locum.
Quæ me non dubitat nitidis præponere ocellis,
  Quæ mihi vel proprio corpore chara magis.
Hæc in nos igitur magicas medicabitur arteis?
  Miscebit timida toxica dira manu?
Thessalicos esto ritus, herbásq; nocenteis
  Nouerit, atq; ausit quæq; nefanda sequi.
Quo reus admisso merui sperare venenum,
  Immerito miseram cur paret illa necem?
Quid metuam inuitus ne carmine cogar amare,
  Cum nostræ cedant carmina cuncta Deæ?
Hac Laërtiaden facie Phœbeïa Circe,
  Phasias hac potuit detinuisse virum.
Hac mea difficili vinxit præcordia nodo,
  Illius vt nulla soluar amore die.
Quòd si credentem nimium mutare puellam
  Criminibus fictis improba lingua valet,
Imminet hoc alijs etiam commune periclum,
  In fera quos eadem prælia lingua ciet.
Illa propinquorum communia iura resoluit,
  Fœderáq; antiquæ rumpit amicitiæ.
Conditio hæc multos, non solos tangit amanteis,

Hæc te sollicitum reddere cura potest.
Non sæui (vt scribis) Catilinæ fœmina mentem
Compulit in facinus, dux fuit ipse sibi.
Nam furor immitis, quo perdere cuncta parabat,
Egit, vt in prolem verteret arma suam.
Tarquinum rapuit dominandi cæca libido,
Materiam sceleri quæ dare sæpe solet.
Si Danai proles cognato sanguine ferrum
Tinxit, securis insidiata viris,
Causa fuit genitor iussis metuendus acerbis,
Vt formidatas tolleret ipse manus.
Lemniadum menteis agitauit numinis ira,
Nec sontes reliquas impia Scylla facit.
Thesiden contempta Venus, non cressa peremit,
Vlcisci offensas sic solet illa suas.
Amphitryoniades non crimine Deianiræ,
Fraude sed occubuit perfide Nesse tua.
Molle dedit teneris pectus natura puellis,
Quas tamen impellit iustus in arma dolor.
Audierat partim, partim delicta mariti
Viderat, Ægisthi graia secuta fidem.
Læsáq; natorum maculata est sanguine Colchis,
Et Progne infidi coniugis vlta nefas.
Cur omneis igitur sceleris tua carmina damnant?
De tot paucarum crimina siqua vides?
Extulit hunc etiam celeberrima gloria sexum,
Et monimenta suæ plurima laudis habet.
Virginitas vltro seruata, & bellica virtus
Magnum Orithyæ contribuere decus.

Lampedon, Hippolyten, Menalippen, Iane videmus
  Illustreis inter nomen habere viros.
His quoq; se comitem merito Marthesia iungit,
  Nec caret Anthiope laude, nec Harpalice.
Magnanimam Tomyrin, fortem propone Camillā,
  Et subeat menti Penthesilea tuæ.
Adde & Amazonia reliquas de stirpe sorores.
  Respice Carmentam, respice Penelopen.
Vlta nefas animo, propriáq; Lucretia dextra
  Inuicto occurret clara pudore tibi,
At rapidum nando transmittere Chlœlia Tybrim
  Ausa, suis animis præmia digna tulit.
Quid te commemorem vestalis Claudia virgo?
  Quà stetit attoniti vindice fratris honos.
Quisve tuum dignis nomen Cornelia tollat
  Laudibus? aut animum Porcia casta tuum?
Quis te prætereat generosi pectoris Hester
  Non bene damnatos protinus vlta Syros?
Quisve Palæstina genitam te stirpe virago,
  Spem taceat patriæ, subsidiúmq; tuæ?
Te duce libertas Moseæ reddita genti,
  Assyriúsq; tua concidit arte furor.
Si fortasse petes exempla recentia, nónne
  Cognita perpetua laude Mathildis erit?
Sponte opibus spretis regnum Violanta reliquit,
  Séq; sacri sociam maluit esse Chori.
Nec tamen hanc illi vel inanis gloria mentem,
  Vel præceps studium, simplicitásve dedit.
Sed ratio constans haud turpi obnoxia voto,

Ac vitæ tendens ad melioris iter.
Harum ingens numerus terras florere per omneis
Cernitur, hac cælo queis datur ire via.
Legibus his etiam multas numerare solutas
Possumus insigneis moribus, atq; fide.
Sed procul à cœpto videar discedere, si tot
Insistam exemplis, quæ bene nota tibi.
Deniq; seu belli, seu pacis munera quæris,
Seu noua, seu prisci temporis acta leges
Plurima, quæ laudes muliebria facta videbis,
Vix plureis titulos fama virilis habet.
Turpiter his hostem cum te fatearis amice,
Ac fugias vitæ quæ tibi nota comes,
Ede quid esse velis, quem te mihi dicere fas sit,
Aptáne quærendis laudibus ista via est?
Obscœnum læso vitæ candore relinquis
Iudicium, verbis proditus ipse tuis.
Atq; aliquid licuit mihi credere, ni bene nossem
Ingenuos mores, Socraticámq; domum.
Ipse ego naturæ ducentis iura sequutus,
Pergam, quo cœpi tramite, ferre pedem.
Nec tamē immerito, quid enim præstantius vnquā
Pacifico Genius mitis amore tulit?
Ille decus cæli, & superum iucunda voluptas,
Hoc absente, Iouis regia tristis erit.
Illius aduentu gaudent volucrésq; feræq;,
Quicquid alit tellus, æquora quicquid alunt.
Hic pacis Deus est, & amabilis optat amari,
Spernit opes, odit turpia, pulchra cupit,

At quæ bellipotens exercet vitricus arma,
Non probat, & nulla est cæde cruenta manus.
Si quis amans aliquid sine lege, immane, nefandum
Molitur, nullum hic crimen amoris erit.
Nam male compositæ præceps insania vitæ,
Mortaleis animos in scelus omne trahit.
Implacidas hominum docuit mansuescere menteis,
Dulciáque obiecit pabula mollis amor.
Ille truces fastus, violentáque pectora lenit,
Nec regnum claris cedit imaginibus.
Æneámque suum, ne non foret omnibus idem,
Accendit vultu candida Elisa tuo.
Nil sua facundum solertia iuuit Vlyssem,
Nec magno virtus profuit Æacidæ.
Pauper adhuc luxu penitus dum Roma carebat,
Sceptrifer Ægeriam fertur amasse Numa.
Aurea progenitum diuino sanguine Cæsar,
Spicula cognati te petiere Dei.
Ille ferum Hãnibalem domuit, regémque superbum,
Area cui totus paruula mundus erat.
Sensit & Atrides vim numinis huius, & arma.
Concidit Argolica, quo duce Troia manu.
Pectora quinetiam magni incaluere Platonis,
Cuius tam celebri carmine notus amor.
His comes accedit Caluus, mollisque Catullus,
Atque Anser, flammas qui cecinere suas.
Abstulit ardentem Gallum formosa Lycoris.
Carmine amatoris Cynthia clara sui est.
Viuit ab insigni Nemesis celebrata Tibullo.

Viuit Pelignis nota Corinna sonis.
Ille sacri vates operis Iesseia proles,
Præfecit populo quem Deus ipse suo,
Bersabeæ captus forma tibi magne Cupido
Cessit, nec Salamon tutior ipse fuit.
Quiq; Philistæos subita oppressisse ruina
Dicitur, & certam non timuisse necem,
Succubuit victus, teneróq; vacauit amori,
Nec puduit domina multa iubente pati.
Nil magis horrendum Polyphemo senserat Ætna.
Sæuior indomitis fratribus ille fuit.
Dum tamen æquorea siccas in rupe capillos
Exarsit visa te Galatea Cyclops,
Admonitq; preces blandus, studioq; placendi
Insolita rigidam pexuit arte comam.
Iam tibi poma legit, tibi pastoralia cantat
Carmina, lanigeras iam tibi seruat oueis.
Quem neq; proposito pietas humana nefando
Arcebat, magni cura nec vlla Iouis,
Leniit hunc blandæ Veneris placidissima proles,
Quæ valet æternos sollicitare Deos.
Suspice quàm nitido mutata effulgeat astro
Frigida veliferas, quæ regit Vrsa rateis.
Suspice Sidonij radiantia cornua tauri,
Florida cui simplex serta puella dabat.
Suspice Atlanteam Maiam, geminásq; sorores,
Ab Ioue quæ cælum pignus amoris habent.
Quis vero innumeros Alcidæ nesciat igneis?
Et quot sæua manu monstra subegit amans?

Tu quoq; amator eras, cum Thessala rura tenenti,
Præstabat Citharæ fistula Phœbe vicem.
Quid Steropen, Veneréq; sequar? quid Pallada, quidve
Ilian hic referam Mars placuisse tibi?
Persea quid memorem, dubiæ qui præmia pugnæ
Andromeden subito saucius igne tulit?
Quidve triumphato dum victor ab orbe redires,
Lyncibus avectam Gnosida Bacche tuis?
Arsit in Halcione gelidarum rector aquarum,
Cæpit Aminone, Laodicéq; Deum,
Illi cura fuit Tiro, & formosa Celæno.
Anguibus & nondum cuncta Medusa caput?
Sic licet oceanus spatiosis obsitus annis,
Flagrat in extincto Tethyos igne suæ.
Tithonúsq; pater cano venerabilis æuo,
De dea venturæ præmia lucis amat.
Hippotaden rapido ventorum turbine lassum,
Pulchra fovet niveo Deiopeia sinu.
At Zephyrum Chloris, quæ floribus arva coronans
Efflat odoratis lilia mista rosis.
Quò me sæve feres Aquilo? num te quoq; victum
Credibile est vllas sustinuisse faces?
Horridus ille licet superis, terrísq; minetur,
Æquora terribili concitet alta sono,
Littore ab Actæo placitam rapuisse puellam
Dicitur, & votis consuluisse suis,
Nec tamen à Latio, gelidæ, sed rupibus arcti,
Et patriæ rigido venit ab axe tuæ.
Arsit & implacidus stygij dominator Averni,

Duráq; permulsit pectora blanda Venus.
Virgineámq; ferens sub regna latentia prædam,
Noctifero pauidam terruit axe diem.
Deniq; cuncta videt subiecta cupidinis armis
Æthere prospiciens Phœbus vtrunq; polum.
Nec mare, nec terras, nec sidera summa moueret,
Ni quiddam egregium, ni Deus esset amor.
Omnia cum nullo superet discrimine, quidnam
Mirum est in tanto si grege Titus amat?
Nam mea Nestoreos ætas nondum attigit annos,
Nec me Tithoni longa senecta premit.
Nunc Venerem tractare decet, nũc dicere cantus,
Nunc dare flauenti mollia serta comæ.
Tu quoq; quid faceres taleis sortitus ocellos?
Qualeis non Iò, non tulit Anthiope.
Nempe tibi caderent tam fortia verba, nec vllam
Scæuola, vel Cicero tradere posset opem.
Ille licet iuris fuerit, legúmq; peritus,
Alter Palladio nouerit ore loqui.
Desine velle meos abrumpere durus amores,
Et sine me placito viuere seruitio.
Quisquis ab hoc vitæ poterit me auertere cursu,
Ille auidam Titij pectore pellet auem.
Tantaleámq; sitim fugitiuis leniet vndis,
Atq; tuum infelix Sisyphe sistet onus.
Clarus erat bello, bello quoq; concidit Hector.
Et perijt notis Tiphis in æquoribus.
Ast ego, quem certo iampridem perculit arcu,
Aligeri semper miles amoris ero.

Et tibi quem curis vacuum respexit Apollo,
Grandisona linquam bella canenda tuba.
Despice parue liber morsus liuoris edaces,
Iam tibi Cæsareo contigit ore legi.
Maxima perpetuæ referes præconia laudis,
Carmina iudicio si probat ille suo.

TITI VESPASIANI STROZAE EROTICON LIB. SECVNDVS.

De lépore dominæ fugitiuo.

d
Icite Iò Nymphæ nemorum secreta colentes,
Candidus effugiens quà lepus egit iter.
Perfidus auratæ subduxit colla catenæ.
Ipsáq; cum sancta vincula rupta fide.
Dicite, sic vestro faueat Dictynna labori,
Præbeat innumeras sic locus iste feras.
Florida semper humus zephyro, syluǽq; virescãt,
Nec liquidam turbet cum grege pastor aquam.
Cynthia sic penitus vestros ignoret amores,
Nec placidum furtis antra cubile negent.
Quid tacitæ spectatis? & ingens pectora vobis
Occupat apposita risus ad ora manu?
Ne lachrymas, gemitúsq; meos, ne verba puellæ
Temnite, consilium ferte, & opem misero.
Illum equidem reor hos saltus, hæc lustra petisse,

Signa canum late turba secuta dedit.
Ullàne de comitum numero quæ retia tendunt
Fallaces timidum compulit in laqueos?
Reddite Hamadryades, nostrúmq; leuate dolorem.
Nec miserum tristi sollicitate mora.
Reddite, vósq; mihi me restituisse putabo.
Lusus erat dominæ, delitiæq; meæ.
Hunc ego per virideis vmbras cũ matre vagantẽ,
Ad ripam excepi Sandale amœne tuam,
Paruus erat, totóq; nitens in corpore candor,
Mæandri niueas exuperabat aueis.
Hic ego quamprimum, dixi, mittatur amicæ,
Nulla quidem tali munere digna magis.
Paulatim positóq; metu mitescere cœpit,
Et dominæ teneros accubat ante pedes.
Et modo protenta virideis ceruice corollas
Accipit, ac tergum molliter aure premit.
Et modo formosæ lambens fert oscula dextræ,
Porrectas auido nunc capit ore dapes.
Illa puellari studio de pectore sueta,
Securum nitidis sæpe lauabat aquis.
Gratus erat nimium dominæ, nunc luget ademptũ,
Et cupit insano victa dolore mori.
Per superos oro Nymphæ, castámq; Dianam,
Reddite si vestros incidit in laqueos.
Aut nobis, saltu si se tulit obuius isto,
Dicite, quò celerem corripit ille fugam.
A quam ne trucibus timeo sit præda molossis,
Et viridem lacero corpore tingat humum.

A demens in aperta ruis discrimina vitæ,
Improbe quid dominam, notáq; tecta fugis?
H umano cultu assuetus pascêris amaro
Gramine, nec semper copia fontis erit.
S ed qua tarda graues agitabunt Plaustra Iuuenci,
Sordida vix auidam leniet vnda sitim.
S æpe leui strepitu folij labentis ab vlmo,
Anxius in duro cespite somnus erit.
H uc ades, & veniam supplex pete, pone timorem:
Si redeas, parcet protinus illa tibi.
N oui animum, noui ingenium, quod molle, piúmq;,
Nesciat irasci, nesciat esse ferum.
S ed quid verba iuuat, quæstúsq; effundere inaneis?
Nec prece, nec lachrymis perfidus ille redit.
F orsitan, aut viridi ludit lasciuus in herba,
Aut nouus inuenta coniuge gaudet amans.
O nimium felix, generoso pectore digna
Libertas, cunctis anteferenda bonis.
N on te solliciti congestum diuitis aurum
Torquet, & immensas candida temnis opes.
T e propter ferus hic illectus, spreuit herileis
Blanditias, gratum quicquid & ante fuit.
N on tamen vsqueadeo nobis optanda videris,
Quin malim dominam, seruitiúmq; pati.

Ad Cytheridem, quòd eius causa mittatur
in exilium.

e Heu q̃ miseros spes credula fallit amãteis?
Quàm leuis instabili vertitur orbe rota?

I Ille ego, qui placido felix in amore ferebar,
Quem facili toties audijt aure Venus.
N unc dominā iubeor, patriásq; relinquere sedeis,
Et procul immeritum pellor in exilium.
H oc mihi non facinus peperit, sed me mea lingua
Perdidit, ausa nimis libera verba loqui.
O vtinam miserum pietas me nulla Cytheri
Mouisset, lacera cum traherere coma.
V el tua pressissent anima fugiente parentes
Lumina, quo fatis tristibus orta die es.
T e propter pœnas dabimus, tu maxima nobis
Non expectati causa doloris eris.
A t quocunq; feret me fors inimica, sequendum est,
Sæuitiem donec temperet illa suam.
P ræcinctum nactus lapidosis rupibus antrum
De domina solus conquerar ipse mea.
E ffundam quoscunq; premo sub corde dolores,
Et quæcunq; diu non patienda tuli.
D icam etiam teneræ quanta inconstantia formæ
Iuncta sit, vtq; meis gaudeat illa malis.
T um referam nimios fastus, ingratásq; facta,
Et tuto quicquid sentiet ira vomet.
V os modo Hamadryades, miseros ne prodite questus
Nec vos ruricolæ turba benigna Dei.
S ic vobis syluæ secreta cubilia præstent,
Sic vobis nunquā non sit amicus amor.
I pse meam rebar portum subijsse carinam,
Nunc agitor medijs naufragus æquoribus.
A t tu quid tanto contendis acerba furore?

Quid iuuat è nostris nomen habere malis?
Nil toties formæ facies æquata Dearum,
Nil prosunt laudes, nil benefacta mihi?
Sed caput hoc quamuis ferro insecteris, & igni,
Non potero tibi non deditus esse tamen.

Ad Hieronymum Castellum medicum.

SIc Venus insanos Hieronyme leniat igneis,
Vt miser assiduis vror amans facibus.
Illa tamen læto spectare incendia vultu
Sustinet, ac nostris ridet iniqua malis.
Sed quo dura magis misero aduersatur amanti,
Hoc magis attonitum me noua forma rapit.
Atq; vbi nox terras gelidis circumuolat vmbris,
Non leuis insurgit pectore cura meo.
Ante oculos nigri dominæ referuntur ocelli,
Colláq; rhiphæa non minus alba niue.
Miror vt incedat gressu veneranda superbo,
Fulgeat vt nitido pressa adamante coma.
Siue lyram increpuit, seu carmina dixerit, vror,
Siue agileis docta mouerit arte pedes.
Singula dehinc vigilans voluo, sensúsq; labanteis,
Et mentem implicitam vexat acerba Venus.
Tum magis, atq; magis noctes deflentur amaræ,
Nec mihi Pierides, nec mihi Phœbus adest.
Iámq; tuis valeas musis comitatus Apollo,
Si minus hac dominæ frangitur arte furor.
Alphonsi non arma cano victricia Regis.
Quantáve sit domita gloria Parthenope.

Nec refero, quæ sint Leonello in principe laudes,
Quem velut Augustum secula nostra colunt.
Non Sigismundum bellóque, armisque frementem,
Qui Maletestigenas nomine vincit auos.
Nec te, quem Latias iam nũc Federice per vrbeis,
Extollit forti gloria parta manu.
Non Venetos canimus, terra, pelagóque potenteis,
Tyrrhenásve acies, Sforzigenámve ducem.
Non acreis Insubrum animos, tandémque subactos
Marte graui, aut regem Mantua clara tuum.
Hæc ego non ausim nostris intexere libris,
Vna puella mei carminis extet opus.
Quæ nisi se reddat nobis laudata benignam,
Bellerophontei gloria fontis abi.
Ecce per obscuram ingredior miserabilis vmbram,
Et dominæ immitis tecta superba peto.
Hic me cogit amor lachrymas, suspiria, questus,
Mistáque cum multa fundere verba prece.
Oscula do foribus, veluti sit sensus in illis,
Vtque aditum ad dominam dent mihi, multa rogo.
Limina complector, per quæ vestigia ponit,
Et veneror quicquid contigit illa pede.
Inde meos frustra incipio memorare labores,
Nec flectit duros vana querela Deos.
Quid miser incuso reliquos, ignoscite diui,
Solus enim tanti est causa furoris amor.
Ille feros animos dominæ contundere cessat,
Quæ nimium forma facta superba sua est.
Verum vbi iam cælo stellas aurora fugauit,

Et redit exorto lucida Sole dies,
Non exoratos postes, & tristia linquo
Limina, méq; dolor, & male torquet amor.
Impius Ixion fatali voluitur orbe.
Tantalus in media stat sitibundus aqua.
Immensúsq; lapis defessum Sisyphon vrget.
Natáq; mox Tityi viscera tundit auis.
Ni commissa luunt scelerata crimina vitæ,
Ipse insons pœna non leniore premor.
A te cum mea sit mens non aliena Dione,
In me tarda tamen, difficilísq; manes.
Et sinis, infelix vt lento carpar amore,
Nec lachrymas curat dura puella meas.
Quòd mihi si facilis fueris, votúmq; secundes,
Perscribam laudes inclyta Diua tuas.
Aligerúmq; canam natum, & penetrabile cælum.
Imperióq; Deos succubuisse tuo.
Quid moror? ite pedes, dominę parete, superbas
Formidate minas, pergite in exilium.
Linquimus hic animam, diuellere corpus ab illa
Cogimur, heu vitæ fata sinistra meæ.
An quisquam miseros, & iniquo sidere amanteis
Viuere, si tamen hæc vita putanda, neget?
Tu Castelle mei saltem miserere laboris,
Atq; mihi interea, quà potes, affer opem.
Sed quia laudatæ coniuncta superbia formæ est,
Quódq; videre iuuat, sæpe in amore nocet,
Tu caue formosis penitus te credere, si nos
Hæc eadem expertos recta monere putas.

Ad Iouem, vt tristia auertat insomnia.

Q Vid votis aduersa meis fortuna minatur?
Quid superum tristis deferet ira noui?
Parce Deum rector, non me duce dura iuuentus
Titanum regnis intulit arma tuis.
Non ego Solis equos mutato limite duxi,
Cum timuit rapidas regia vestra faces.
Non ego mactato crudeliter hospite dicor
Humanos artus apposuisse tibi.
Auratas vesteis Siculi non more tyranni
Dextera de sanctis traxit imaginibus.
Haud vlli per me contempto numine diuum
Sacrilega ablata est aurea barba manu.
Nec veluti Xerxes Neptuno vincla minamur,
Classibus insolitum cum patefecit iter.
Non per me Elysio rapta est Proserpina regi,
Nec triplici latrans impius ore canis.
Ergo quid insontem crudelia somnia terrent?
Et duræ volucres, terribilésq; feræ?
Nónne satis fuerat, chara quòd pulsus ab vrbe,
Sollicita vigilans tot mala mente feram?
Nocturnam turbent nisi tristia visa quietem,
Quæ vel rara solet, vel breuis esse mihi.
Dij cohibere iras, miseris ignoscere, vestrum est,
In celeres abeant somnia dira notos.
Tu quoq; sancte puer generosi rector amoris
Sæuitiæ finem constituisse velis.
Nam tua non vnquam contempsi tela Cupido,

Nec doleo imperij crescere iura tui.
N ec Veneris nostri indicio cognouit amores
Deprensæ mira callidus arte faber.
N empe ego te quondam felix duce miles habebar,
Inuidit nostris sors inimica bonis.
O mnia nunc contrà coniurant, nulla facultas
Iam mihi vitandi tot fera tela datur.
Quòd si supplicium superest, si pœna perennis,
Hæc precor vt vitæ sit mihi summa dies.
P rotinus expediet tristeis compescere luctus.
Nam satius miseris est perijsse semel.

Ad Amorem.

a Demens quisquis sylvas, latebrosáque rura
Credit amor telis non adeunda tuis.
T u nemus vmbrosum, tu ripas fluminis alti,
Et liquidos fonteis, & iuga montis adis.
Quæ nitidi primum radiantia lumina solis,
Quæ videt occasum, subiacet ora tibi.
Quásque tenent sedes Boreas, & nubilus Auster,
Indeuitatas sustinuere faces.
A quoties grauibus cupiens me soluere curis,
Desertos saltus, & loca sola peto?
S iue vrbeis adeam, nemorum seu deuia lustrem,
Siue ego cœruleum per mare puppe vehar,
T u mea furtiuo sequeris vestigia passu,
Et iacis immiti spicula certa manu.
P arce Puer sæuas in me torquere sagittas,
Ardenti infixum pectore vulnus alo.

P arce puer, quid me extremum ſentire furorem
Cogis? an hæc vllum vindicat ira nefas?
O quàm te decuit potius domuiſſe puellam,
Quæ me, quæq; tuum deſpicit imperium.
N i fruſta ex humero ſonat aurea diue Pharetra,
Ni micat ex oculis irrita flamma tuis,
H uc ades, & facibus celeres Amor adde ſagittas,
Noxiáq; vltrici pectora fige manu.
F ac tamen inſignis pereat ne gloria formæ,
Nec ducat roſeo pallor in ore notam.
H oc ego non cuperem, nec ſum me iudice tanti,
Signa mihi ſatis eſt, ſi qua caloris erunt.

Non, niſi à Domina ſanari poſſe.

h Ei mihi nil prodeſt menti Podalyrius ægræ,
Non mea ſanaret vulnera Phillyrides.
N unc licet Æſculapi redeas, redeátq; Machaon,
Optatam poterit tradere neuter opem.
N ec rapidos Hebri reſtingueret vnda calores,
Nec qui ſepteno gurgite Nile fluis.
H inc medicas arcete manus, ſuccóſq; miniſtri,
Pæonia non hoc indiget arte malum.
S pes erit, vt viuat, Dominæ ſi gratia Tito
Redditur, hanc præter, nulla relicta via eſt.

Ad Antonium.

a Ccipe inauditi formam maris, & mea quaſi
Cymba ſit Antoni ſtructa magiſterio.
V nda hic ſunt lachrymæ, venti ſuſpiria, remi

Vota, error velum, mens male sana ratis.
Spes Temo, curæ comites, constantia amoris
Est Malus, dolor est Anchora, Nauita amor.
Adde, quod est portus reliquis maribus, mare nostrū
Non tantum portu, sed statione caret.

Somnium.

n Ox erat, & varias agitabam pectore curas,
Cum tandem oppressit lumina sera quies.
Hic mihi per somnum mista formidine certam
Spem dedit, atq; animos sumere iussit amor.
Nanq; mare ingressus portu prodire videbar,
Quiq; ratem regeret nauita nullus erat.
Littore constiterat iaculis armatus, & arcu,
Et pharetra accinctus versicolore puer.
Huius erat facies, qualis cum luteus ora
Exerit eoo Delius Oceano.
Myrtea cingebant auratos serta capillos,
Nulláq; in aligero corpore vestis erat.
Ille ducem mihi se, moderatorémq; carinæ
Obtulit, & cœptum tendere iussit iter.
Tum leuis insilijt puppim, clauúmq; magistra
Arte regens, Zephyris vela ferenda dedit.
Prouehitur pelago cita crebrescentibus auris
Pinus, & immensum protinus æquor arat.
Ipsa videbantur vario discurrere lusu
Agmina Nereidum, quę freta salsa colunt.
Hic Ephyre, Drymo, Cydippe, Arethusa, Gryopis,
Xanthia, Cymodoce, Lysis, & Opis erant.

Ponè ſequebantur Cyrene, Glaucia, Doris,
Lyriope, Cloto, Pſychia, Lemothoë.
Quas inter vix dum poſito Galatea timore,
Narrabat flammas trux Polypheme tuas.
Nomina ſed longum eſt tot cõmemorare Dearum,
Tótq; ſimul nandi connumerare modos.
Pars alterna iacit pulſato brachia ponto,
Et vix parte mouet poſteriore ſalum.
Pars maris ima ſubit piſcantibus æmula mergis,
Pars niſi quod ſupereſt vertice tota latet.
Hæc veluti in modium duplicato poplite fertur,
Remigat hæc pedibus, dum reſupina iacet.
At male diſſimulans ardorem his miſta Deorum
Spumiferas ingens turba ſecabat aquas.
Hic ego Arionium Delphinem ludere vidi,
Tempora cui pietas viuere longa dedit.
Et varij tremulo nabant in marmore piſces,
Ægæum quales, Ioniúmq; ferunt.
Hic mihi quàm tutum fragili confidere ligno,
Oſtendére breui ventus, & vnda mora.
Nanq; ea dum miror pelago proueᴄtus aperto,
Decreſcunt montes, littora diffugiunt.
Poſt vbi conſpectu tellus ſummota receſſit,
Hinc Notus, hinc Boreas, Africus inde ruunt.
Vndiq; conuulſum feriunt mare, dúmq; tuetur
Quiſq; ſuas parteis, diripuere ſalum.
Inuoluere diem nubes, cæcæq; tenebræ
Inſurgunt, & nox ingruit atra mari.
Intonat horriſono cælum ſe murmure miſcens,

Et ſua terribilis Iuppiter arma ciet.
Ignea diſcuſſis erumpit nubibus æthra,
Deucalioneæ præcipitantur aquæ.
Nunc ferit immenſo Neptunus ſidera fluctu,
Et nunc diductis terra aperitur aquis.
Tollitur in cælum, ſummóq; in gurgite pendet,
Tartara mox præceps fertur ad ima ratis.
At puer inſanis agitari vt fluctibus æquor,
Terribileiſq; poli ſenſit adeſſe minas,
Euolat, & ceſſæ reſidens in vertice rupis,
Euentum ſæui proſpicit inde mali.
Deficit auxilio ſpoliata carina magiſtri,
Atq; proceſſoſis ingemit icta notis.
Dilacerata furens Aquilo fert vela per auras,
Et celer eoos concitat Eurus equos
Correptámq; ratem ſcopulis illidit acutis,
Latáq; per rimas eſt via facta ſalo.
Talia cernenti gelidus tremor oſſa pererrat,
Sollicitant noſtræ numina ſancta preces.
Ipſum quinetiam, mea qui modo vela regebat,
Naufragus imploro, cœruleóſq; Deos.
Nec iam reſtabat miſero ſpes vlla ſalutis,
Ante oculos ſpecies plurima mortis erat.
Cum ſubito triſteis compeſcuit Æolus iras,
Atq; reluctanteis traxit in antra Notos.
Tum rapidos fratres latebroſo carcere clauſit,
Et rediit pulſa nocte ſerena dies.
Ipſe tridente ſuo pelagi rex temperat vndas,
Lapſus cœruleis per maria alta rotis.

Quem medium vasti comitantur numina ponti.
Humida roranteis implicat alga comas.
Hic puer ad nauem leuibus redit impiger alis,
Sollicitósq; iubet ponere corde metus.
Exoptata procul monstrat mihi littora dextra,
Atq; inquit ridens, hæc tua Tite fides?
Exiguámne adeo spem nostro in numine ponis?
Quid dubitas? quid nunc vult timor iste sibi?
An paterer, si me fueras duce creditus vndis,
Dicerer vt mortis causa fuisse tuæ?
Ille ego sum, quem tu nosti Deus author amoris,
Qui tibi nunc dominam conciliare paro.
Quæ nunc difficilem quamuis se præstet amanti,
Perfer, erit mitis protinus illa tibi.
Nec te formosæ pigeat seruire puellæ,
Quid non Alcides ipse in amore tulit?
Prætereo mortale genus, diuósq; minores,
Perdomui Phœbum, magnanimúmq; Iouem.
Ista tuos volui prædicere somnia casus,
Ne curæ credas te minus esse mihi.
At tu marmoreis referas pia munera templis,
Quæ cum siderea matre Cupido tenet.
Hæc ait. Interea nauis petit anxia portum,
Somniáq; excussit nuntia lucis auis.

Ad poëtam, qua se dignum scripserat, dignum gloria.

Non mea Pegaseos tenuis libare liquores
Ausa, nec Aonium musa subire nemus.

Limosas inter potius sed nata paludes,
Incultis didicit stridere arundinibus.
Cui neq; conueniunt citharæ, nec laurea serta,
Gloria quæ doctis contigit ingenijs.
Illius apta magis Nonacria fistula collo,
Populea sat erit cingere fronde comam.
Ille, meos summis versus qui laudibus effert,
Clarus & ingenio est, clarus & eloquio.
Sed nobis nimium fortasse indulsit, & illud
Castelli superat gratia iudicium.
Tu quoq; parce leueis nugas extollere tantum;
Non petit ingenteis paruula musa sonos.
Illa mihi tristeis fastus, animósq; puellæ
Molliat, & teneris oscula det pedibus.
Et placidam exoret felici carmine pacem,
Rideat alludens, eliciátq; iocos.
Te quem bella iuuant acri referenda cothurno,
Clara poëtarum munera ferre decet.
Nam quà me dignum censes, tibi gloria parta est,
Et noua Basinij carmina nomen habent.

Ad Ianum Pannonium.

a Rbiter idæus quamuis sua præmia nondum
Viderat, & qualis Tyndaris ipsa foret,
Dicitur absentis tepuisse cupidine formæ,
Æquarat victrix quam Cytherea suæ.
Ut Menelaéos subit ratis hospita portus,
Obuiáq; est Phrygijs facta lacæna viris.

Acer in extremis Paridi calor ossibus hæsit,
Atq; ipsas Helene vincere visa Deas.
Sic ego iudicijs hominum te Iane probari
Accipiens, cœpi nomen amare tuum.
Longáq; de studijs quoties oblata facultas,
Lætabar tecum ducere colloquia.
Sic veluti quoddam fatis præsentibus ortum
Principium inter nos huius amicitiæ.
Vel lecta est Tomyris, necnon Cõstantia Trottæ,
Quas immortaleis diue poëta facis.
Vidimus & postquam tua carmina amore relicto,
Grande quibus suades aggrediamur opus,
In te creuit amor meus, & noua gloria famam
Transgressa est, dextro numine parta tibi.
Tanta ibi dicendi grauitas, facundia tanta est,
Reddar vt incertus quid magis ipse probem.
Et tibi Phœbus adest elego seu carmine laudas,
Siue canis paribus grandia facta modis.
O dilecta Deis, ò felicissima Tellus,
In qua tu fausto sidere progenitus.
Nos quoq; felices, ad quorum limina sacros
Pieridum cantus ex Helicone refers.
Tu tamen in primis noua concipe gaudia, nostri
Temporis egregium clare Guarine decus.
Nam liquor ille tuo manans de flumine, latum
Per terras omneis iam sibi quærit iter.
Optima sic fructus generosos educat arbor,
Sic radios spargit Cynthius ipse suos.

Querela vxoris occiso principe.

HEu nimium viridi coniux erepte iuuenta,
Heu vitæ quondam spésq; salúsq; meæ.
Háncne tuam faciem video? pectúsq; decorum?
Hæc tua, quæ geminum lumina sidus erant?
Vix laceros vultus, & sparsos sanguine crineis
Agnosco, & diris membra cruenta modis.
Occidis heu manibus coniux miserande tuorum,
Vulneráq; in tenero corpore sæua patent.
Vnde mihi speranda salus, regniq; fidele
Præsidium fuerat, prodijt inde nefas.
Deneget iratus populo sua lumina Titan,
Impiáq; auersis mœnia damnet equis.
Cur me fata sinunt tanto superesse dolori?
Cur tua summe Deum dextera cessat iners?
Nec ducis immerito maculatos sanguine ciueis
Horrida phlegræi fulminis ira petit?
Non genitor, non forma tibi, non profuit ætas,
Iunctáq; cum multa brachia ferre prece.
Nil hominum iuuat, atq; fidẽ implorasse Deorum,
Impia sed cæco est acta furore manus.
Me me vtinam læto comitem tibi dextra dedisset,
Quæ pectus duro pertulit ense tuum.
Ne quam iunxit hymen, diuelleret Atropos à te,
Sed coniuncta forent funera nostra tuis.
Nunc sæuos inter gemitus, lachrymásq; relinquor,
Nec sine te grata est vita futura mihi.
Nunc mea ferali mutantur serta cupresso,

Aſpicióq; tuos vix bene nupta rogos.
Quam modo feſtus Hymen tædã geſtauit ad aras,
Illa ſepulchraleis ponitur ante focos.
Felix natorum Niobe poſt fata fuiſti,
Eripuit ſenſum ſaxea forma malis.
Felix quæ dominam Cyane dum luget ademptam,
Sicelidem ſubito fonte rigauit humum.
Felices etiam viridi quæ cortice clauſæ
Fletibus Heliades impoſuere modum.
Ipſa dolore graui nimium confixa reſeruor,
Fortunámq; timent iſta ſubire meam.
Et mihi vir tecum moriendi iura negãtur,
Parcáq; non gratam prorogat vſq; diem.
Vos precor ô ſuperi ſiquid pietatis, & æqui eſt
Si flectunt vllæ numina veſtra preces,
Ante oculos veſtros inter penetralia cæſi
Principis, iniuſta fraude piate necem.
Et ſcelerum vltores merito punite nocenteis
Supplicio, & factis præmia digna date.
At tibi per facinus, vitam cui funere acerbo
Abſtulit ante annos impia dextra tuos.
Elyſij placidas liceat cognoſcere ſedeis.
Et memor Elyſiæ chare marite vale.

De Raccini formoſiſſimi pueri miſerando interitu.

q Viſquis eras, certe felix Raccine fuiſti,
Doctiloquo vates quem ſacer ore canit.
Scilicet Arctoæ decus admirabile gentis,

Æternum Ianus dat tibi nomen Herus.
E xprimit ille tuas præclaro carmine laudes,
Et faciem, & mores, ingeniúmq; probat.
T e quanti faceret, miris affectibus ardens,
Indicat ipse pio captus amore tui.
N ec secus allato casus rumore sinistri
Concidit attonitus mente abeunte pater,
Quàm solet indigno morientis funere nati
Collabi amissis sensibus orba parens,
V t dolor exuperans animum, vocémq; reduxit,
M ulta gemens homines inuocat, atq; Deos.
P róq; tua dilecte puer non parua salute
Illum cura tenet, præcipit, vrget, agit.
P ro te vota facit, celeres properare ministros,
Ac de te subito certa referre iubet.
S pémq;, metúmq; inter dubius sic pendet, vt ægræ
Occurrat menti nil nisi triste tamen.
E heu nulla valet fugientem sistere vitam.
Henrici admotis ars medicaminibus.
N anq; ferox quadrupes stimulis agitatus, & ira
Concitus, huc illuc dum sine more ruit,
E xcuteris dorso loris Raccine relictis
Pronus, & ad duram præcipitaris humum.
H eu crudele nefas, fracto sors impia collo
Protinus extinxit te miserande puer.
T alis & vt perhibent anima fugiente per auras,
Qualis purpureus flos vbi languet, eras.
V idit equum procul excusso rectore furentem
Corripere incerto tramite Ianus iter,

Vidit, & hinc sumpsit miseri præsagia leti,
 Leuáq; funereum questa volauit Auis.
Anxius huc vates dum lumina voluit & illuc,
 Dum cupit, ac metuit damna videre sua.
Ecce simul iunctis manibus per mutua, magno
 Cum gemitu famuli corpus inane ferunt.
Neruorum compage labans caput ille soluta
 Sustinet, & lachrymis os puerile rigat.
Neu raptentur humo per candida colla fluentes,
 In nodum longas colligit ille comas.
Hic dextrã, ille tenet læuam, hic pendentia crura,
 Labentem hic tunicam subleuat, ille pedes.
Sanguine adhuc tepido, roseóq; manente colore,
 Assueti facies signa decoris habet.
Ianus vt hac visa, sensus amisit, vt illi
 Maxima cum puero vota fuere mori,
Quos gemitus, & quas lachrymas, & qualia verba
 Fudit & in Parcas quæ maledicta dedit?
Multa minans grauiter Raccine irascitur illis,
 Tristiáq; obiectat facta, tuámq; necem.
Et cupit vltorem tanti se criminis esse,
 Si modo fas, canas & lacerare comas.
Hinc queritur tecum nequicquam sæpius acreis
 Quòd formidandos præmonuisset equos.
Atq; exempla refert, quibus hæc animalia mõstrat
 Exitium multis antetulisse viris.
Non audituro sed dum tibi talia narrat,
 Ipse alias sedeis iam leuis vmbra tenes.
Si periturus eras, tamen hoc solamen habebis,

O puer ætherias digne habitare domos.
Quod non Narcisum magis, aut Phryga, nõ Hiacyn-
Aut magis Herculeũ fama loquetur Hylan. [thũ

Ad Pisanum pictorem, statuariúmque antiquis comparandum.

Quis Pisane tuum merito celebrabit honore
Ingenium præstans, artificésque manus?
Nã neque par Zeuxis, nec par tibi magnus Apelles,
Siue velis hominem pingere, siue feram.
Quid volucres viuas, aut quid labentia narrem
Flumina, cúmque suis æquora littoribus?
Illic & videor fluctus audire sonanteis,
Turbáque cœruleam squammea findit aquam.
Perspicuos molli circundas margine fonteis
Mistáque odoratis floribus herba viret.
Per nemora, & saltus Nymphæ venantur apertos,
Retiáque & pharetras, & sua tela gerunt.
Parte alia capreas lustris excire videntur,
Et fera latranteis rostra mouere canes.
Illic exitio leporis celer imminet vmber.
Hic fremit insultans, frenáque mandit equus.
Nare lacu ranas, syluis errare leones.
Ima valle truces ire videmus apros,
Se profert antro catulis comitantibus vrsa.
Martius ad plenum tendit ouile lupus.
Quis non miretur gestúsque, & sancta virorum
Corpora? quæ penitus viuere nemo neget?
Quisve Iouis faciem pictam non pronus adoret,

Effigiem veri numinis esse ratus?
Deniq; quicquid agis, naturæ iura potentis
Æquas diuini viribus ingenij.
Nec solum miro pingendi excellis honore,
Nec titulos virtus hæc dedit vna tibi,
Sed polycleteas arteis, ac Mentora vincis,
Cedit Lysippus, Phidiacúsq; labor.
Hæc propter toto partum tibi nomen in orbe,
Te præsens ætas, posteritásq; canet.
Ast opere insigni nostros effingere vultus
Quod cupis, haud parua est gratia habenda tibi.
Si longos aliter mea non exibit in annos,
At saltem viuet munere fama tuo.

Ad Ariadnam puellam formosissimam.

Ut prior est ætas faciem mirata Lacænæ,
Sic formam laudant nunc Ariadna tuam.
Tyndaris hoc vno fertur superasse, quòd illa
Difficilis blandis nescijt esse procis.
Tu pietate carens, & fastus plena superbi,
Formæ corrumpis maxima dona tuæ.
Nec magis Euryali gemitu, lachrymísq; moueris,
Quàm prece turbati flectitur ira sali.
Quid faceres si Nestoreos hic vinceret annos?
Et tegeret crispas horrida barba genas?
Exemplo tibi sit pharetrati mater amoris,
Dignata est puero iungere diua latus.
Illo etiam fertur lachrymas fudisse perempto,
Et solitus roseo fugit ab ore decor.

Abstulit Endymion tenera Latoida forma,
Dum patrio niueas monte reducit oueis.
Ipsa licet Dea sit, noctisq; aurora tenebras
Pellat, in amplexum non pudet ire Senis.
Inuidisse Deos perhibent, cum mollia cano
Oscula Tithono culta puella daret.
Tu iuuenem, quo non formosior alter in vrbe
Spernis, & insano cogis amore mori.
Si sapis, ipsa tuæ fructum decerpe iuuentæ,
Respice, iam properans terga senecta premit.
Quod si nec facies qualem Narcisus habebat,
Nec mouet antiquo sanguine clara domus,
Te saltem moueant generosæ Palladis artes,
Queis inter Priscos hic numerandus erit.
Huic tu si faueas, hunc si digneris amare,
Cantabit laudes dia puella tuas.
Atq; immortalis famæ tibi quæret honorem,
Et tua post obitum forma perennis erit.

In Maledicum.

i Lle igitur Cambi de me mala verba loquetur?
Et læsum toties ora aperire vetas?
Taurus in aduersum cornu ruit obuius hostem,
Atq; lacessitus dente minatur aper.
Molle pecus quacunq; potest defendere sese
Certat, & accipitri parua repugnat auis.
Ille mihi verbis petulantibus insultarit?
Et lapis, vt visa Gorgone, mutus ero?
Non ego sum iusta patiens, ac segnis in ira,
Vrenteis flammas & meus ignis habet.

C riminibus fictis infamem quisquis amantem
Reddit, sacrilegos inter habendus erit.
L æsus amor bello genitas non segniter vltus
Impia lethæa colla fatigat aqua.
A lbus erat quondam volucris Phœbeia coruus,
Nunc importunæ præmia vocis habet.
T u quoq; ne dubita, solues mihi perfide pœnas,
Et quod mentita est inuida lingua, luet.
S tulte quid insanis? male cautas nouimus arteis,
Et tua non vlla retia fronde latent.
R umperis, atq; meo frustra insidiaris amori,
Nec tibi successus improba vota dabunt.

De Amore dormiente sub arbore.

m Aterna caperet dū forte sub arbore somnū,
Armáq; securus deposuisset Amor,
I ncidit in puerum, neq; amico lumine vidit
Antiquum repetens Cynthia mente odium.
M ox conata faces extinguere, frangere tela,
Fataleis perhibent id vetuisse Deas.
S opito certant innectere vincula Nymphæ,
Ipsa leueis pennas vellere diua parat.
E xcutitur somno puer, & miserabile luget.
Audit, & ad vocem fert Cytherea gradum.
Mars quoq; in auxiliū accelerat, cū Pallade Phœb9
Dictynne se addit, nec bona verba sonant.
Quòd nisi funestam properasset tollere litem
Iuppiter, exempli res erat illa mali.
S oluite ait puerum, funestáq; ponite diui
Iurgia, fungatur munere quisq; suo.

De Pado concreto frigoribus.

q Vi Phaëtonteos extinxit plurimus igneis,
Penè gelu absumptis nunc Padus aret aquis.
Atq; repentinos borealia frigora ponteis
Struxere,& sicco peruia lympha pedi est.
Quáq; rates varijs oneratæ mercibus ibant,
Nunc plaustris iunctos cernimus ire boues.
Ad noua concurrit spectacula vulgus,& audax
Turba per insuetum fluminis errat iter.
Mira quidem sunt hæc, sed te mirabile princeps
Optime,nil ætas protulit vlla magis.

De musis à Leonello principe acceptis Ferrariæ.

a Rmorum strepitu Latijs fugiebat ab oris,
Territa cum sacro Calliopæa choro.
Excipit hanc diuus placida Leonellus in vrbe,
Officijs homines hic ligat,atq; Deos.

Ad musam suam,vt intrepida petat benignissimum principem.

n E vereare sacros mea Musa subire penateis
Cæsaris,ingenijs ille fauere solet.
Quinetiam placidis animos tibi vocibus addet,
Ad se si trepido viderit ire gradu.
Nec leget inuitus duro tua carmina vultu,
Tempora tu tantum non aliena lege.
O nimium tali Ferraria principe felix,
O princeps hominum gloria,cura Deum.

TITI VESPASIANI STROZAE EROTICON LIBER TERTIVS.

Laudat Ferrariam ab exilio rediens, cum diu iussu amicæ exulauisset.

TAndem flaminiæ nemorosa reliquimus arua,
Iam datur optatam cernere Ferrariam.
Hic mihi blanda Venus primum inspirauit amorem,
Raptáq; libertas, seruitiúmq; datum.
Hinc ego in exilium Domina damnãte profectus,
Quas peperit pœnas improba lingua, lui.
Omnia nunc tandem in melius præsentia Diuum
Rettulit, & facta prælia pace fugat.
Spargite odoratos instructa per atria flores,
Debitáq; antiquo sacra parate lari.
Quisquis adest votis faueat, vicinia rixas
Ponat, & exultent compita lætitia.
Ipse Dionæa redimitus tempora myrto
Imponam tepidis grana sabæa focis.
Ferte pedem placata Venus, mitisq; Cupido,
Nec vos fortunæ spernite dona meæ.
Vobis magna satis superi sunt munera parua,
Si modo mens nigra candida labe caret.
Vos patriæ Turres, patrij saluete Penates,
Vrbs faustis salue condita sideribus.

Tu superúm templis, domibúsque ornata superbis
Finitimis effers inuidiosa caput.
Diues agri, atque auri Leonello principe flores,
Et populi turbam vix capis ipsa tui.
Iam tibi pierios Phœbus largitur honores,
Viuida nec desunt artibus ingenia.
Te fœcunda Ceres immensis frugibus implet,
Nec tibi Lenæus dulcia musta negat.
Læta saginati depascunt prata iuuenci,
Lanigeræ carpunt fertile gramen oues.
Te pater Eridanus sinuoso flumine cingit,
Et vetat hostileis pertimuisse minas.
Martia securi contemnunt classica ciues,
Nulláque sunt, nisi quæ prælia fecit amor.
O felix nimium tellus, nimiúmque beata,
Tu modo cælicolas relligiosa cole.
Hic tibi perpetuum ver floreat, ipsáque nullo
Exercente sinum Gargara vincat humus.
Non lupus insidias stabulis meditetur apertis,
Et cum rore cadant nectar, & ambrosia.
Tum gens secura exactis feliciter annis,
Elysias sedeis, & loca sancta petat.

Ad Parthenopæam.

QVid prodest varium vestis mutare colorem?
Quid iuuat in nitidis Indica gemma comis?
Perfidus heu nostra Siculus discessit ab vrbe,
Abstulit & sensus Parthenopæa tuos.
Difficile est cultu, & verbis celare dolorem,

Frons aperit quicquid dissimulare cupis.
Sed ferus ille fuit, tantos qui rupit amores,
Nec dominæ miseris fletibus ingemuit.
Tu tamen exemplo leuibus potes esse puellis,
Quælibet vt fidos discat amare viros.

Ad Isottam.

HAnc Sigismundi tibi fert Isotta salutem
Nomine, sollicita littera facta manu.
Scribere difficile est, quàm me noua cura fatiget,
Quàm mihi mors fuerit patris acerba tui.
Eius enim nobis nimium iactura dolenda est,
Qui præstans factis, ingenióq; fuit.
Et quamcunq; illi patriam fortuna dedisset,
Illam ortu potuit nobilitare suo.
Sed quamuis nostræ summum decus adderet vrbi,
Clarus & innumeris esset imaginibus,
Virtutésq; viri quamuis ego semper amarim,
Te propter nobis charior ipse fuit.
Nec minus hunc colui, quàm dux Troianus Achaten,
Quàm rector Graiæ Nestora militiæ.
Sed fortuna diu gressu non pergit eodem,
Spésq; hominum vanas insidiosa facit.
Inuidisse mihi crudelia fata videntur,
Iniecitq; feras impia Parca manus.
Ille iacet, cuius dulci sermone fruebar,
Quo potuit curas sæpe leuare meas.
Cuius recta fides, ingens prudentia, fidum
Consilium, grauitas digna Catone fuit.

Ast ego dilecti casu cum vexer amici,
Me cruciat luctus chara puella tuus.
Et tristes lachrymæ, & sæui sine fine dolores,
Dilacerant miseris pectora nostra modis.
At mihi siue libet castris educere turmas,
Signáque in aduersos Martia ferre duces,
Siue per hostileis latum diffundere campos
Agmen, & in victo castra locare solo,
Seu placet obsessis inuadere mœnibus vrbeis,
Oppida seu victor capta subire parem,
Protinus ante oculos tua sese ostendit imago
Flebilis, & curas excitat illa meas.
Nec sic erepta Æacides Briseide, nec sic
Orpheus amissa coniuge mœstus erat.
Quòd si nostra tibi virtus, & gloria cordi est,
Desine nos fletu sollicitare tuo.
Ecce meo afficitur mœrore exercitus omnis,
Próque suo nimis est anxia turba duce.
Et pariter fremit, atque aliquid putat esse sinistri.
Quid tamen, ignorat, veráque causa latet.
Sæpe mihi comites quid dux fortissime, dicunt
Tristis es? ac vultus quid petit iste sibi?
Si bene fortunámque tuam, præclaráque facta
Nouimus, & laudis tot monimenta tuæ,
Te potius gaudere decet, quem magna tuentur
Numina, cui Mauors, Iuno, Minerua fauent.
Talibus, atque alijs conantur demere curas,
Conueniens morbo nec medicina meo est.
Protinus vna potes tantum lenire dolorem

Spes mea, ſi gemitus comprimis ipſa tuos.
Manibus officium pietas immenſa paternis
Præſtitit, iſte modum debet habere dolor.
Aſpice poſt nimbos nitidum quàm ſæpe reducat
Vectus lucifero Cynthius axe diem.
Æquora placantur, quæ nunc Aquilone tumebant,
Et cedit fratri roſcida Luna ſuo.
At pluuialis hyems Zephyro ſpirante recedit,
Omniáq; alternas conſtat habere vices.
Hanc natura potens ſtabili tulit ordine legem,
Deſinat vt quicquid cœperit eſſe ſemel.
Metas cuiq; ſuas dat inexorabile fatum,
Et nil morte homini certius eſſe poteſt,
Illa malis requiem, finémq; laboribus affert,
Quorum ſi ſpectes agmina longa, ruunt.
Viderat hoc celeber Samiæ telluris alumnus.
Hoc & magnanimus ſenſit Anaxagoras.
Hoc Xenophon ſenſit, quem non reuocauit ab ar
Filius extinctus, nec doluiſſe ferunt.
Ergo quid incaſſum prodeſt tot fundere queſtus?
Nil caſus nobis attulit iſte noui.
Natus enim mortalis erat, cui tempore paruo
Etſi nunc maneat, mors obeunda fuit.
Defuit haud quicquam dum viuere fata dederunt,
Quo felix dici debeat ipſe minus.
Cætera ſi deſint, fortunatiſſimus eſſet,
Cum tu illi talis filia contigeris.
Adde quòd ad ſuperos aditum mens æqua, fidéſq;,
Et virtus præſtans, relligióq; dedit.

Non igitur grati, nec amantis signa videntur,
Illius tantis ingemuisse bonis.
Et siquis remanet post fata nouissima sensus,
Ægre fert lachrymas vmbra paterna tuas.
Quod te per cineres, animámq; parentis, & illum,
Qui nos iunxit amor, per Venerémq; rogo,
Per quæcunq; tibi paruæ dedit oscula mater,
Per spem fraternam, per faciémq; tuam,
Per Sigismondi (siqua est tibi gratia) nomen,
Te præter cui non vlla placere potest,
Nil profuturas oro compesce querelas,
Queis tua concutitur flore iuuenta suo.
Desine sidereos lachrymis corrumpere ocellos,
Et rigido roseas vngue notare genas.
Parce precor formæ, qualem prælata duabus
Valle sub Idæa, mater amoris habet.
Si tua chara minus, nostræ succurre saluti,
Quæ nisi desieris, nulla futura breui est.
Si pater occubuit leto, mœstámq; reliquit,
Affines adsunt, frater, opésq; tibi.
His quoq; me, cui non obscurum nomen in orbe
Clara dedit virtus, connumerare velis.
Quem crines flaui rapiunt, oculiq; loquaces,
Quiq; caret dura rusticitate pudor.
Qui tibi frater ero, genitórq;, & fidus amator,
Dum mea torquebit fila secunda soror.
Ipse loqui coràm potius, quàm scribere vellem,
Otia siqua mihi Martia bella darent.
Est aliquid veras voces audire precantis,

Exorant lachrymæ quod fera corda negent.
Auxilium tulit Æsonidæ Medæa roganti,
Ante aras flentem viderat illa virum.
Supplicibus præsens Theseus Minoida verbis
Flexit, vt implicitam solueret arte viam.
Spem tamen hãc, & amor tuus in me Isotta, fidésq;
Dant, vt adesse putes cum mea verba legis.
Et simulac nimio pectus mœrore leuaris,
Augebit vireis firmior illa suas.
Quòd si vera monent, nec amãtem insomnia fallũt,
Quæ sopor obscura candida nocte tulit,
Te fore quamprimum lætam, faciéq; serena,
Fatidico cecinit Delphicus ore Deus.
Phœbe faue, & votis bonus annue, nuntia lucis
Ante tuos currus, sic Dea semper eat.
Ætheriúmq; tibi sternens iter, increpet atræ
Humenteis vmbras noctis, & astra fuget.
Sic formosa tibi Eunomie, cœtúsq; sororum
Pareat, & vigili seruiat officio.
Sic cum permenso laberis ab æthere cursu,
Doris Atlanteis læta receptet aquis.
Sic leuiter Phaëthonta tegat lapis, & tua Delos
Perpetuo maneat non agitata notis.
Semper & intonsos cingat tibi laurea crineis,
Et semper tibi sint carmina, sintq; lyræ.
Longa sed afflictam ne lasset epistola mentem,
Cogimus inuitam sistere diua manum.
Illa quidem nollet, mihiq; aduersata repugnat,
Sponte operam tribuens officiosa suam.

Et veluti tecum præsens nunc ipsa loquatur,
 Gaudet, & hæc scriptis addere pauca monet.
Ut memor usq; mei nullis exercita curis
 Viuas, hoc poterit gratius esse nihil.
Sic ego securus viuam, sic me tibi custos.
 Insignem multa laude remittet amor.

Ad Luciam Barziam.

i Mmortale decus Perusinæ Barzia gentis
 Quàm bene conueniens Lucia nomen habes?
Lucet enim late morum nitor ille tuorum,
 Rara nec ingenuo forma pudore caret,
Inq; oculis Charites habitant, & grata venustas,
 Quos super, & circum blandus oberrat amor.
Inde faces, ac tela iacit, furtimq; latenteis
 Tendit ibi laqueos, multiplicesq; plagas.
Cernere nec cuiquam fas est ardentia tuto
 Lumina, tantum illic ars, geniusq; valent.
At tu cuius abit nunquam de fronte Cupido,
 Nulla cupidinei signa caloris habes.
Nec facit hoc (neq; enim rudis, & tã nescia rerũ est)
 Mentis inurbanæ rustica simplicitas.
Verum innata tibi constantia, qua nihil optas,
 Aut humile, aut quod te dedecuisse putes.
Da veniam, tibi si nimium temerarius esse,
 Audacterq; aliquid dicere visus ero.
Me nisi certus amor formosæ ferre puellæ
 Vincula iussisset, quæ mihi culta diu est,

Nil non tentarem, studióq; anniterer omni,
Ne nostram abnueres noscere velle fidem.
Forsan & assequerer, ne saltem hoc dicere nolles,
Hic amat, & certe est dignus amore meo.

Ad Franciscum Philelphum.

t Ot Fráci sce mihi tribuũt tua carmina laudes,
Sic mihi præsenteis scribis adesse Deos.
Vt cuiq̃ si tot pars rerum obuenerit vlla,
Felicem hunc merito quilibet esse putet.
His me aliquid studijs operæ impendisse fatebor,
Pierijq; sacrum nomen amasse chori.
Sed non hæc propter sic efferor, vt mihi primum
Esse locum inter vos docte Philelphe rear.
Vestra sequi satis est vestigia, dummodo dicar
Non dominæ penitus displicuisse meæ.
At mihi si quicq̃ princeps indulget, vt ipse
Asseris, & siquid gratia nostra valet,
Forsitan in nobis aliquid se iudice dignum,
Vel saltem quod non improbet, esse putat.
Cætera si desint, studium perspexit, & huius
Pectoris egregiam non sine amore fidem.
Borsius in primis recti optimus author, & æqui est
Arbiter eximius, præsidiúmq; bonis.
Quem mire exemplum cælo virtutis ab alto
Demissum his terris contribuere Dei.
Hunc apud vlla mihi si spes non vana fauoris,
Efficiam, votis vt patiare tuis.

Ad Ludouicum Carrum medicum.

N Ota mihi Pholoë Laurentis proxima tẽplo,
Vendit in arguto roscida mala foro.
Callida, secretiq; tenax, fideiq; probatæ,
Et quácunq; velis aula subire domum.
Cuius victa foret constans Lucretia verbis,
Fractáq; mens rigidi cederet Hippolyti.
Cum volui, totam subito volat illa per vrbem,
Ingenti pretio sæpius empta mihi.
Et modo fert violas, modo fert serpilla puellis,
Et modo arundineas officiosa colos.
Matre solet corám semper sermone pudico,
Nil nisi de sancta relligione loqui.
Cum vacuas, omniq; videt custode carenteis,
Vtitur astuti viribus ingenij.
Nec sic fallaci pisces captantur ab hamo,
Nec sic Nyctimenæ decipiuntur aues,
Vt quocunq; velit dubias impellere menteis
Nouit, & in proprium vendicat arbitrium.
Hæc Ludouice tuo succurret idonea voto,
Nam nihil est precibus quod neget ipsa meis.

Ad eundem.

S Æpe aditũ dedit ad dominã mihi adultera cla[nis,
Aduentũ expectat dũ Ludouice meũ.
Me conata semel simulato ludere somno est,
Nec bene successit, lusa sed arte pari est.
Vix lectum attigeram, detracto nudor amictu,

Et quod amor suadet, munus obire paro.
O scula do frustra, frustra illã amplector, & ad rẽ
Spectante haud vti sedulitate iuuat.
P erstat enim cœpto veluti deuicta sopore,
Atq; silet, quãquam mille petita modis.
A t me non latuit dolus, & ceu rumpere somnum
Non ausim, iacui mutus inérsq; toro.
S ubrisit tandem, & niueis mea colla lacertis
Implicuit, lectus cætera, nóxq; sciunt.

In Inuidum.

n Il ego te metuo quãuis mihi multa mineris
Inuide, quid frustra fortia verba iacis?
H æc vbi nota minus tua sit socordia perfer.
Nos sine concordes, qua sumus, ire via.
T u ne illam demens lenibus corrumpere donis?
Déq; meo speras eripuisse sinu?
I am tibi nunc faciam rumpantur vt ilia tristi
Inuidia, si me prouehet ira magis.
E t faciam, mea cum spectaris gaudia, dicas,
Tiresiæ grauior, quàm mea pœna malis.

Ad Ludouicum Carrum Medicum.

i Am deformis Hyẽs Rhiphæis venit ab antris,
Squallida cui sæuo frigore membra rigent.
C uius & albenteis glacies innexa capillos.
Asperat, & gelidis imbribus ora fluunt.
I am spolia arentes posuere virentia syluæ,
Iam tegitur multa candida terra niue.

F loribus amissis lugent sua rura puellæ,
Nec solitus iuuenum mentibus ardor inest.
N unc sine amore feræ vacuis cōduntur in antris,
Mutáq; neglecto carmine torpet auis.
S ed licet alterna tempus vice singula mutet,
Non animi feruor languit ille mei.
N ec minor antiquo versatur in ossibus ignis,
Sed validus vireis vsq; resumit amor.
A t velut accensis acies vulcania syluis
Spargitur, & rapiunt proxima quæq; faces,
N on aliter venis quondam Ludouice receptus
Hæsit, & in capta mente triumphat amor.
M agna tamen rerum mutatio facta, quòd ante
Semper in assiduis mœstus eram lachrymis.
Quinetiam curis torquebar tristibus amens,
Cum mihi despecto crebra repulsa data est.
N unc, postq̄ facilis toties reseratur amanti
Ianua, mutato sidere luce fruor.
E t fortunatis felicior omnibus vnus,
Excelsæ teneo culmina summa rotæ.
N ec leuis est placidæ sortis meminisse voluptas,
Quam tamen haud veram sæpius esse puto.
A tq; hæc falsa reor mihi gaudia, fingere somnos,
Et videor votis credulus esse meis.
A st vbi mens curis agitata quiescere cœpit,
Ante meos oculos omnia certa patent.
N am mecum repeto promissa occurrere, qualis
Nocte solet pauido clàm taciturna gradu.
E t memini, quàm multa roget num forte morantem

Præteriens aliquis viderit ante fores.
An veniam solus, comitum num turba sequatur,
Multáq; dehinc subeunt, quæ meminisse iuuat.
Et mecum referens, illic consedimus inquam.
Hos habuit cultus, is color oris erat.
O scula sic sumpsi, collo sic brachia iunxi,
Sic manus in niueo nostra morata sinu.
Sic luctata mihi, sic dulceis improba rixas
Inseruit, victum sic dedit illa latus.
Mutua quid memorē, sine fine, sine ordine verba?
Et quæcunq; meus plurima nouit amor?
Nulla quidem hæc poterit delere obliuio, quanuis
Exuperem Pylij secula longa ducis.
Et nisi mutarit cœptum fortuna tenorem,
Vlterius nihil est, quod mea vota petant.
Si fortasse aliquid nobis optare necesse est,
Non Asiæ cupiam diuitis imperium.
Cum possim nigro vitam liuore carentem
Contentus paucis ducere iugeribus.
Hortulus, angustiq; lares, tenuisq; supellex,
Exiguúmq; pecus, maxima Gaza mihi.
Quis Venere aduersa pretioso gaudeat ostro?
Copia tum curas demere nulla valet.
Nil ebur, aut gemmæ, nil auri pondera prosunt,
Nil iuuat artifici structa labore domus.
Tunc onerosa toro iactantur pallia, tum nox
Longior, ingratus liber, amara Ceres.
Nec sic, quæ retinet demersa nomen ab Hella,
Spumea collisis æstuat vnda fretis.

Ut grauibus miseri stimulis agitantur amantes,
Tristia si durus corda fatiget amor.
Non tamen è facili nobis victoria parta est,
Quippe ego multa meo dura in amore tuli.
A quoties, dominam cum deuia rura tenerent,
Æstibus in medijs rura petita mihi?
Non me nocturnis vetuit timor ille tenebris.
Nec iuuenum audaces ad fera tela manus.
Et potui totas Hyberno tempore nocteis,
Fixus ad ingratas peruigilare fores.
Nec mihi sum questus Boream nocuisse, nec imbrē
Cum grauis vrgeret frigida membra dolor.
Quid tibi nunc referam, quoties irata fenestras
Clauserit, haud toto mense videnda mihi?
Aut quid in immeritum magnis coniecta querelis
Crimina, cum possem iustius ipse queri?
Omnia perpessus, vix quarto admittor in anno,
Ardoris cum sit fabula trita mei.
Et digito demonstrer amans, dicántque per vrbem,
Hunc regit ad nutus vna puella suos.
Forsitan hæc aliquis leuia, & spernenda putarit,
Vtendúmque aliter duxerit ingenio.
Cum fieri clarum liceat bellóque, togáque,
Et sit honoratæ laudis aperta via.
Scribendi modo cum digna argumenta pararit,
Magnanimi virtus officiosa ducis.
Nam tua quem lateat, quæ sit clementia Borsi?
Gratia facundi quanta sit eloquij?
Quantū animo, quantū præstas pietate, vel armis,

Tantum iustitia, consilióq; vales.

Et nisi cum vindex Mauors accendit in hostem,
Otia tranquillæ dulcia pacis amas.

Hos igitur merito populus tibi mandat honores,
Inuitóq; libens obtulit imperium.

Hisq; opibus dignum nostram cum venit ad vrbẽ,
Sensit, & hinc Cæsar grandia dona tulit.

Insigneisq; tibi titulos, quæ gloria raro
Principibus latijs contigit, ante dedit.

Salue cura Iouis, patriæ rectórq;, patérq;,
Gloria, Atestinæ præsidiúmq; domus.

Salue læta dies, qua nulla beatior, & qua
Non visa est oculis gratior vlla meis.

Vndiq; cum populi resonaret plausibus æther,
Et meus in niueo Borsius iret equo,

Non fora, non homines capiebant tecta, viæq;,
Tantis visendi principis ardor erat.

Hoc decus, hæc magnæ sunt præmia laudis, & in se
Non dubium veri pignus amoris habent.

Quæ Ludouice vides clarum sibi poscere vatem,
Non cui sit venæ pauperis ingenium.

Plura etiam superăt, quæ cum videámq;, probémq;,
Non minus assueta me iuuat ire via.

Non facile ex ima tellure reuellitur arbos,
Quæ bene radices egerit alta suas.

Quo quisq; in studio primos exercuit annos,
Serus idem post hæc dedidicisse solet.

Is sum, cui Paphie teneros afflauit amores,
Cum primum grauidæ sarcina matris eram.

Ille ego sum, cuius versata in amore iuuenta,
Ille ego, mox ætas vltima cuius amet.
Tu quoq; suspiras, & eodem saucius arcu,
Carre soles mecum talia sæpe loqui.
At varios quanquam motus, & sidera cæli,
Et rerum causas quæ latuere tenes,
Sisq; licet studijs musarum excultus, & arte
Pæonia, ac dulci præditus eloquio:
Non potes aligeri vitare Cupidinis ictus,
Ornatus tantis dotibus ingenij.
Cum vero nostras liget inuiolabile menteis
Iampridem captæ fœdus amicitiæ:
Hæc mihi nunc tecum libuit conferre vicissim,
Ne mea non tibi sit cognita conditio.

Ad Cambium philosophum.

Desine me grauibus toties obtundere dictis,
Et vitæ Cambi facta notare meæ.
Nil agis, ac certum frustra mutare laboras,
Nec potes à cœpto me reuocare meo.
Lintea tota dedit rapidis vbi Nauita ventis,
Et cita iam medio gurgite cymba volat,
Non facile ad portus retro conuertere cursum
Quos modo discedens liquerit, ipse valet.
Sic ego, qui cupidi pelago male sanus amoris
Iactor, ab hac nequeo vela referre via.
Et mihi iam dulce est in amaro viuere luctu,
Tantum mens cæcæ perdita noctis habet.
Hæc qui mira putat, vitas ignorat amantum,

Nescit & vt cupiant sæpe in amore mori.
S tabat in abruptis vates miserabilis antris,
Eurydicen lugens nocte, dieq; suam.
I smarus, & Rhodope nequicquam, & thracius Ebrus,
Quærebant solitæ carmina blanda lyræ.
S æpe etiam Nymphas duri ad solatia casus,
Hæc illi solitas dicere verba ferunt.
P one graueis Orpheu curas, neu crede gemendo
Tartareos iterum posse mouere Deos.
Quod semel amissum nullo reparabile pacto,
Hoc ipsum leuius, si patiaris, erit.
I nuenies alios, quos admireris amores,
Eurydicenq; nouam Thessala terra dabit.
T alibus, atq; alijs frustra lenire dolentem
Tentabant, monitis nec locus vllus erat.
C arminaq;, & Nymphas, lucemq; perosus, in ipsos
Amens iactabat non bona verba Deos.
E rgo ego quid faciam? si natus Apolline vates,
Atq; Dea, curam vincere non potuit.
A ut lapis, aut ferrū est, quem nunquā gaudia tāgūt,
Nec dolor, asperitas nec mouet vlla mali.
Quem blando nunquam vultu spes allicit, & qui
Nil timet, in quo non gratia, non odium est.
A spice, læsa, suos vt sæpe animalia prodant
Affectus, nostræ quæ rationis egent.
T riste gemit duris incisa securibus arbor,
Et queritur viridem ponere mœsta comam.
S axorum oppositis frenati molibus amnes
Indignantur aquas lentius ire suas.

Gurgitibúsq; fragor spumantibus indicat iram,
Sensibus vt proprijs illa carere neges.
Gaudet vt accensis ramorum fastibus ignis,
Sic superiniecta flere videtur aqua.
Terra quoq;, & cælum modo rident, & modo lugent,
Forma nec in rebus permanet vnda diu.
Si varios igitur nequeo componere motus
Pectoris, haud facti causa pudenda mei est.
Me natura hominem voluit mitissima nasci,
Non in Caucaseis rupibus esse feram.
Hinc sequor, humanis quæ conuenientia duco
Moribus, ætati non aliena meæ.
At tu, quem studijs sublimibus euehit ardens
Ingenium, ad vitæ liberioris iter.
Quæ mihi proponis clarorum exempla virorum,
Tu sequere, & sine me fata subire mea.

TITI VESPASIANI STROZAE EROTICON LIBER QVARTVS.

Ad Anthiam.

INcipe læta dies roseo procedere ab ortu,
Igneáq; extremus Lucifer astra fuget.
Iam matutinis Auroram cantibus ales
Garrula cœruleo suscitat è thalamo.
At tu, quæ tantum nimis importuna moraris,
Vmbra soporiferæ languida noctis abi.
Deseret, huc rediens, peregrinas Anthia terras,

Atque Antenorea mœnia facta manu.
Ipse focis pia thura dabo, myrtóque virenti,
Purpureisque tegam limina sancta rosis.
Hinc sacris operatus (amat Venus omnia læta)
Incipiam verno cingere flore caput.
Perfusúsque comas nardi felicis odore,
Dicam ego percussa carmina læta lyra.
Nec trahere in seram pudeat conuinia noctem,
Liberáque epoto fundere verba mero.
Sit procul hinc tristis rugæ censura seueræ,
Canáque cum duro barba supercilio.
Vos procul este, quibus fului sitis imperat auri,
Oderunt curas Liber, & alma Venus.
Ne vobis culpanda tamen lasciuia nostra,
Cernite quo superos impulit acer amor.
Ille Deum rector, qui fulmine territat orbem
Sumpsit Agenoreis cornua littoribus.
Virgineámque tulit fraterna per æquora prædam,
Sollicita repetens Gnosia rura fuga.
Quinetiam falsus nineas olor induit alas,
Et teneros fuluo pressit in imbre sinus.
Non mare, non tellus, non sæui regia Ditis,
Non ipsa Herculea sidera laude carent.
Fronte dolens lacera liquidis Acheloë sub vndis,
Non leuis Herculei testis amoris ades.
Illi etiam victrix spoliato fortibus armis
Tradidit ornatus Lyda puella suos.
Quique tulit cælum, Dominæ mandata tulisse
Creditur, & plenas attenuasse colos.

Materna quoties Delo, Delphísq; relictis
  Saucius hæmonias pauit Apollo boues?
Æger, & artis inops, nullis est iutus ab herbis,
  Cum toties alijs ipse tulisset opem.
Populeis ramis, pro lauri fronde, corona
  Cinxerat impexam nexa sine arte comam.
Pauperis indutus rigido pastoris amictu
  Sedit in vmbrosis vallibus Æmathiæ.
Perditus ipse suos illic cantabat amores,
  Carmine Phœbeis conueniente modis.
Aoniéq; vicem citharæ supplerat amanti
  Stridula septenis canna foraminibus.
Ecce leues Satyri coëunt, faciléśq; Napeæ
  Conueniunt, vdo Naiadéśq; pede.
Mirantur vocem insolitam, mirantur & artem,
  Laudat & ignotum pendula turba Deum.
Forsan & hic aliquis, me iudice, vincitur inquit,
  Pan Deus, & præfert te quoq; Phœbe tibi.
Ad vaga desertis idem mox flumina campis
  Pastor agis pastas sole cadente boues,
Nec subijsse casam puduit, fœnóq; rigenti
  Inter cornigerum procubuisse pecus.
Ergo quicquid amor suasit, decuisse putemus,
  Cum possit magnos sollicitare Deos.
Nec quisquam insanis contemnere vocibus ausit.
  Asper enim læsi numinis vltor erit.
Sed tibi dum veteris spectantur vela Theatri,
  Ternáq; fluminibus mœnia cincta suis.
Vel dum te Liui retinet veneranda sepulchro,

Nunc sacræ sedes curia iustitiæ.
Aut dum visendi cupidam te fana morantur,
  Proximáque antiquo regia tecta foro,
Aut dum cœruleum cymba iuuat ire per amnem,
  Ortáque vicino balnea fonte petis,
Ulláne cura mei tepido suspiria mouit
  Pectore, securam quæ minus esse sinat?
An magis, erepto ne tristis amore vacares,
  Riualem nobis vrbs Patauina dedit?
Vobis formosæ nam cuncta licere putatis,
  Crimina vestra tamen fama sinistra notat.
De te nec possem mordaci credere vulgo,
  Nec te perfidiæ suspicor esse ream.
Iudicio sed casta meo peccare caueto,
  Intentos oculos Iuppiter altus habet.
Si petis, interea quid agam, dum lenta moraris,
  Mecum bella gerunt spes, timor, atque Venus.
Nam modo te votis fingebam vita peractis,
  Ferrariam celerem velle referre gradum.
A quoties falsus de te mihi sæpius augur,
  Nec dubium noui præpetis omen auis.
Et modo te rebar violentis febribus ægram
  Torqueri, infectos pertimuique locos.
Nunc pater inuitæ ne quem tibi iungere vellet,
  Qui creber tota rumor in vrbe fuit.
Occurrit quoties aliquis mihi lætus amator,
  Huius ajunt dixi vela secunda ratem.
Sed mea nec remis agitur, nec fertur ab auris,
  Unca procelloso est ancora iacta salo.

Et cibus, & somni ingrati, te absente, fuerunt,
Nulláq; nox misero non vigilata mihi.
At sopor inuitus si quando irrepit ocellis,
Non ideo vacua mente manere licet.
Nam tua quamprimum in somnis occurrit imago,
Et renouat curas insidiosa meas,
Te, quia non poteram, visebam sæpe fenestras.
Queis mihi sæuus amor vulnera mille dedit.
Attonita quoties perlegi mente tabellas,
Quæ me discessus præmonuere tui?
Mecum semper erant, illas quoq; forte legebam,
Cum mihi in Angelica Lausa reperta via est.
Rettulit illa breui reddituram tempore alumnam,
Quartus vbi niueos sol agitasset equos.
Hac prius exanimis tum demum voce reuixi,
Et rediit toto perditus ore color,
Vellere phryxeo nec sic lætatus Iason,
Nec Paris aduecta pergama Tyndaride.
At tu, ne fuerint mea gaudia vana, redito,
Háncq; diem verax vaticinetur amor.
Aspice, iam liquido tibi rident numina cælo,
Et placidæ volucres carmina blanda canunt.
Certat odoratos tibi fundere terra colores,
Ne desint nitidæ florida serta comæ.
Iam pater Eridanus tumidam compescuit aluum,
Iámq; vocat pandos aura secunda sinus.
Populus ex ripis tibi plurima porrigit vmbram,
Candida ne feruens Seirius ora notet.
Iam virideis fusæ per cærula colla capillos

Nabunt, & ludent Naïdes ante ratem.
I n'q; tuum Dryades, ſatyriq;, & Panes honorem
Præcincti varia tempora fronde canent.

Ad Nicanorem ſeruum.

I Celer, ac Pholoæ perfer mandata Nicanor
Ne miſerum lenta torqueat vſq; mora.
Iam facito veniat, ſecum mea gaudia ducat,
Dicito me iuſſis delituiſſe locis.
I, propera, téq; vlla puer caue rixa retardet.
Ni tibi forte cupis magna venire mala.
Quòd ſi quamprimum per te potiemur amica,
Libertas pretium ſedulitatis erit.

Ad amicam.

SI ſenior folijs, auráq; incertior eſſem,
Et flueret modico tempore noſtra fides:
Non ego tam longo conſtans in amore fuiſſem,
Ire nec aſſiduas cogerer in lachrymas.
Nec gracileis adeo macies conſumeret artus,
Nec mea mutaret pallidus ora color.
Sed vos decipere incautos didiciſtis amanteis,
Et queritur lædi, fallere ſiqua parat.
Tu me infelicem formoſam Lotida narras,
Et Mareotinidem præpoſuiſſe tibi.
Has ego, diſpeream, ſi præter nomina noui,
Tardáq; & infido ſit mihi dura Venus.
Téne ego deſerta potuiſſem ducere vitam?
Hæc Iope quanuis, Inachis illa foret?

Non sum, quem valeant aliæ mutare puellæ,
Nec meus incertis passibus errat amor.
Huc cursum tenui, tu portus es, ancora nostra hic
Hæreat, hinc nullis fluctibus eijciat.

Ad Angelum poëtam.

Angele, siquis erit, lachrymosi plena doloris
Qui tua non tristi carmina fronte legat,
Ille feras inter sæuis in rupibus ortus,
Aspera duritie vincere saxa potest.
Non ego talis in hoc, sed amici fletibus angor,
Immeriti quem sors vexat acerba mali.
Certe dignus eras hominum, cæliq; fauore,
Nec tali casus conuenit iste viro.
In te consumpsit vireis fortuna nocendo,
Nil superest, vt iam possit obesse tibi.
Sed licet in tenueis concesserit irrita ventos
Intempestiua spes tua morte ducis,
Nec promissa patris seruet tibi filius hæres,
Abstuleritq; tuas Gallus adulter opes,
Non tamen ista valent rectam infortunia mentem
Eripere, & virtus inuiolata manet.
Candidus ille viget morum tenor, & pia vitæ
Simplicitas, nullis est labefacta dolis,
Pársq; tui melior fraudem prædonis iniqui
Despicit, ac ferrum, terribileisq; minas.
Nanq; sacros inter celebraberis Angele vates,
Seráq; posteritas scripta diserta leget.
Et clarum toto stabit tibi nomen in orbe,

Donec in æquoreas rex Padus ibit aquas.
D ura fuit rerum iactura vt scribis, at illud
Triste magis, versus tot perijsse tuos.
N anq; domũ, & vesteis, nũmósq;, & prædia siquis
Perdidit, hæc aliqua sunt reparanda via.
C asus, & indulgens hominum præsentia, multis
Amissas duplici fœnore reddit opes.
Quis tibi restituet non exemplaribus vllis
Tradita, per longas carmina facta moras?
Quorum siqua manet memori sub mente reposta
Pars tibi, plura tamen pectore lapsa reor.
A tq; ita susceptus frustra est labor ille, iacétq;
Clarorum in tenebris fama sepulta virum.
Quo fit, vt indigner, doleámq;, impune q̄ ausus
In te sit tantum Barbarus ille nefas.
I lle sacras ædeis potuit spoliare, Deósq;
Qui vertit duras in tua damna manus.
N on illum pudor, aut pietas, aut gratia mouit,
Nec vindex magni terruit ira Dei.
E t bona Pieridum dextro tibi numine parta
Sacrilega rapuit Barbara turba manu.
S ed non parua mali restant solatia, quòd non
Vllius culpæ conscius ipse tibi es.
A dde quòd illustres multi grauiora tulerunt
His, quæ tu pateris, nec meruere viri.
R espice Threicij fatum miserabile vatis.
Est & Arioniæ cognita causa fugæ.
E xul inops degens in amaris Naso querelis
Finijt extremam per mala multa diem.

Hos præter facile est aliorum exempla referre,
Quæ quoniam tibi sunt nota, silenda puto.
Sed tamen ad vatem pauca hæc de vatibus istis
Dicta velim, quanuis fabula trita foret.
Quod petis egregij pietas spectata Casellæ
Et fauet, & voto est officiosa tuo.
Nec tibi Castellus regi gratissimus, & qui
Rectum amat, optatam ferre negabit opem.
Nos quoque, si precibus quicquam, studioque valemus,
Siquid apud magnum est gratia nostra Ducem,
Hoc erit omne tuum, necnon curabimus, vna
Consulat vt rebus Regia cura tuis.
Cætera semper agat, quanuis dignissima laude
Borsius, haud minor hac gloria parte venit.
Quod bonus afflictis succurrere nouit, & idem
Magna solet meritis præmia ferre viris.
Sæpius hoc alij senserunt Angele, rursum
Ad viuas sitiens ipse recurris aquas.

De die natali Anthiæ.

Natalem Dominæ mecum celebrate Coloni,
Et positis curis, vndique cesset opus.
Hunc nitidi seruate diem, vinclisque solutis
Demant seruitio libera colla boues.
Nunc agitate choros, & carmina dicite læti,
Nec madidum verno stet sine flore caput.
Cernite, quàm roseus processit ab æquore Titan,
Vtque tegant clarum vellera nulla diem.
Garrula vicinis carmen Philomela sub vmbris

Integrat, & solito dulcius orsa queri.
Hac fœcunda die pubescunt gramina campis,
Floriferos aperit terra benigna sinus.
Hac quoq; luce Venus medijs in fluctibus orta est,
Dixit & Aprilem nomine diua suo.
Omnia lætantur, pariter lætemur & ipsi,
Candida nos positis mensa vocat dapibus.
Ocyus annosum pueri proferte lyæum,
Porgite sollicita pocula plena manu.
Tibia nunc hilaret bifori conuiuia cantu,
Atq; habeant nullum verba iocosa modum.
At tu quæ magnam sine me nunc incolis vrbem
Antia, Natali munera solue tuo.
En age dum lymphis nitidi rorentur ocelli,
Atq; suo tenueis ordine pone comas.
Hinc roseis digitis habilem tibi finge coronam,
Membráq; seposita candida veste tege.
Sic demum Genio meriti referantur honores,
Ille nouum mira condidit arte Decus.
Ille tibi insignem cui cedunt omnia formam,
Ille etiam eximium præbuit ingenium.
Sed tibi nec libeat Pauli procedere ad aras,
Nec pete clamoso proxima templa foro.
Nec minus angelicæ fanum memorabile matris
Effuge, riualeis hæc loca semper habent.
Ipsa Dei satis est volucres qui ponderat vmbras,
Si vetus oblato munere limen adis.
Hic mille impedient iuuenum tua vota cateruæ
Anthia, rarus in hac æde vagatur amans.

Tunc securus ero, tunc me tibi pectore fixum
Crediderim longa posse manere die.

Ad Serem omni in re excellentem.

S Er iucunde mei fautor, cantórque libelli,
Cuius ab ingenio commoda multa fluunt.
Ecquid erit tempus meritis pro grandibus in nos
Reddere quo liceat præmia digna tibi?
Crede mihi verbis, & re tibi dicat amicus,
Nec tua lethæis facta dabuntur aquis.
Humanæ quis mentis enim tam nudus & expers,
Vt te non toto pectore semper amet?
Tu Paridem forma, tu Phœbum vincere cantu,
Et satyros agili dexteritate vales.
Nec quisquam ad numerum melius pede pellere terrā
Nouit, & argutæ tangere fila lyræ.
Nemo pilam tanta missam procul excipit arte,
Seu sublime volat, siue resultat humo.
Ense places nudo, posito gladiator amictu,
Cum celeres armat ludicra pugna manus.
Herculea fortem exerces virtute palæstram
Et par Portūno Cymothoæque natas.
Eloquióque potens, & fortibus vtilis armis,
Mars animis, Pollux es pede, Castor equo.
Te quæcunque vident, cupiunt sine fine puellæ,
Te pueri & iuuenum turba, senésque probant
Sed tibi nummorum si copia magna supersit,
Rex Regum fies, quicquid & ipse voles.

Laus Veris ad Syluiam.

IAm redeũt Zephyri, & varios resoluta colores
Pigit hum⁹, renouátq; comas, formosáq; prata
Candidus Europæ vector viridantibus herbis
Vestit, hiant flores, vernantia lilia surgunt,
Purpureósq; aperire sinus, rosa plena decoris
Incipit, & late suauem diffundere odorem,
Iam defensurus rapidis à solibus vuas
Pampinus, vmbroso viteis obnubit amictu.
Nunc rident Syluæ, nunc omnis frondibus arbor
Luxuriat fœcunda nouis, nunc montibus vmbræ
Densantur, Dryadásq; tegunt, Satyrósq; biformeis.
Ipsa suos cælo segetes prospectat ab alto
Crescenteis, votísq; Ceres aspirat agrestum.
Garrula nunc solitas repetit Philomela querelas,
Perfidiam Terei deflens, sceleratáq; facta.
Et maculis Progne plumas infecta cruentis
Tecta petit, luteósq; parat suspendere nidos.
Murmure nũc rauco iungunt sua rostra palumbes,
Et variæ placido mulcentes carmine cælum
Consociantur aues. ac lætis rursus amorem
Vere nouo reuocant animis, nitidísq; vagantur
Fontibus, & fluuijs ludúntq; per æquora pisces,
Nec veneris possunt flammas extinguere in vndis.
Nunc etiam cantus per roscida rura Puellæ
Exercent, atq; hortorum populantur honorem.
Illa comas Narcisse tuas, hæc candida carpit
Lilia, purpureósq; aliæ legēre Hyacinthos.

Detinet has, quondam Cythereius ignis Adonis,
Mox decus hortorũ, & Nympharũ præda futurus.
Hæc iungit serpylla rosis, hæc mella daturum
Subsecat vugue thymum, texto pars vimine gestat
Florenteis casias, immortalémq; amaranthum,
Pársq; legit placidos factura papauera somnos.
Vos quoq; Virginei spoliant violaria cœtus.
Nec croceis, nec purpureis, nec parcitur albis,
Innumerósq; metunt flores, decerptáq; caltha
Pingit flammeolo vaccinia nigra colore.
Deniq; quicquid habent florum tua septa Priape
Diripiunt, gaudéntq; nouas gestare corollas.
Nunc genus humanum, vastiq; animalia ponti,
Nũc pecudes, volucrésq;, graueis nũc pectore curas
Concipiunt, carpitq; animos, atq; ossa Cupido.
Aureus æquoreis vbi sol caput exerit vndis,
Oceaniq; aurora torum formosa reliquit,
Lætus in herbósos saltus armenta reclusis
Pastor agit stabulis, armillatúsq; molossus
Prosequitur, qui bella lupum, insidiásq; ferentem
Arceat, & sæuis latratibus vrgeat hostem.
At circunfusæ pascunt rorantia vaccæ
Gramina, vicinis nemorum pars errat in vmbris.
Pars tenera procumbit humo, Syluásq; sonanteis
Mugitu late complet, pars ruminat herbas,
Cornibus aut acres inter se prælia tauri
Aduersis ineunt, magno concussa fragore
Terra sonat, niueæq; accendunt bella iuuencæ.
Tum gregis aprica residens in rupe magister

Qua vitreus ſalientis aquæ per ſenia riuus
Saxa fugit ſonitu exiguo, cerealia liba,
Et ſale durati fruſtum ſuis expedit, & quas
Menſa petit ſecura dapes, hinc faginus illi
Cantarus effundit glocitanti pocula collo.
Non illum curis Amor immoderatus honorum,
Acribus exagitat, nec opum veſana libido,
Paupere contentus cultu, fuſúſq; per herbam,
Aut molleis captat ſomnos, aut carmina dicit,
Argutos inflans calamos, colléſq; propinqui
Auditas iterum referunt ad ſidera voces.
Sed mihi nec ſine te liquidi mea Syluia fontes,
Nec nemora alta placēt, nec prata virētia, nec qui
Florentes campos riguus perlabitur amnis.
Pinus vbi dilecta Deo, cui Mænala parent,
Aut arbor Iouis, aut Alcidæ tempora velans
Populus, ac platani ingentes, & odora cupreſſus,
Tellurem late frondoſo vertice opacant.
Huc ades, ò ſpes vna meæ certiſſima vitæ,
Iuniperi virides, & te peneia Laurus,
Vmbroſæq; vocant fagi, iam flumina gaudent
Aduentu formoſa tuo, intonſiq; reſultant
Lætitia montes. a feliciſſima rura,
Fortunata nimis, pedibus tangenda puellæ,
Cuius Hamadryades faciem mirentur honeſtam.
Ecce tibi denſis frutices vmbracula texunt
Frondibus, atq; iocis ſecreta cubilia præſtant.
Hic placidum Zephyri ſuadent captare ſoporem
Agmine percuſſo foliorum, non tibi cantus

Defuerint auium, electro nec purior vnda.
Et suspensa sacris resonant examina lucis.
Respice serpenteis ederas, & amœna vireta
Nympharum, ac gelidis rorantia fontibus antra.
Sæpius hac Dictynna suis comitata puellis,
Auritos agitat lepores, hic Pana canentem
Posthabito agricolæ referunt vidisse Lycæo.
Hos Lenæus amat colleis, hæc incolit arua
Flaua Ceres, Palládsq; suas hic seuit oliuas.
Ipse ego ne turbet placidam insidiosa quietem
Vipera, triste ferens infixo dente venenum,
Argus vt Inachidem vigilanti lumine custos
Seruabo, spargámq; sinus bene olentibus herbis.
Hic formosus amor maternas, aspice, myrtos
Colligit, atq; vni tibi mollia serta reseruat.
Interea pharetram vicino in gramine, & arcum
Securus posuit, quam late gentibus ille
Perpetuam de se famam daret, aurea siquis
Spicula surriperet, fractúmq; exureret arcum.
Non hic armeniam tigrim, libycúmve Leonem
Inuenies, rictu qui candida membra cruento
Dissipet, ingenti sed me qui victus amore
Vror, & ipsa vicem reddas te protinus oro.
Ergo age, ne dubita patrios mea vita penateis
Linquere, neu solis metuas te credere campis,
Nam tutum præstabit iter tibi pulchra Dione,
Et septam obscura densi teget aëris vmbra,
Ceu quondam libycæ Carthaginis alta petentem
Mœnia, cum fido natum velauit Achate,

Ad Syluiam.

s Yluia chara vale, valeat fidissima Dirce,
Rura meis valeant conscia delitijs.
Corpore discedens, animum mentémq; relinquo.
Debilis incertos vix mouet vmbra pedes.

De aduentu Borsij ducis in Genialeis agros.

q Ueritis, vnde nouo diffusum lumine cælum
Rideat, inuisas quidve fugarit aquas.
Cur liquidus nullis agitetur flatibus aer,
Cur placidum tacitis stet mare littoribus,
Almáve cur posito tellus squallore virescat,
Et se purpureis floribus induerit,
Quid quæq; exultet ramis frondentibus arbos,
Cur solitum repetat garrula carmen auis:
Non hic causa fuit mutato sidere Phœbus,
Nec vaga roriferis Cynthia luminibus.
Sed modo cum peteret genialeis Borsius agros,
Reddidit aspectu cuncta serena suo.
Borsius humanos meritis superauit honores,
Mirantúrq; nouum secula nostra Deum.

Borsio duce, pacem fuisse Ferrariæ, cũ alij populi bello premerẽtur.

d Ulcia sepositis agitemus gaudia curis,
Et sacrum Borsi nomen vbiq; sonet.
Ille suis præsens populis Deus otia præstat,
Dum reliquo Mauors impius orbe furit.

De leone Borsij ducis.

C Lausus in extremis regalis partibus aulæ,
Ecce fremit libyco missus ab orbe leo.
Artificiq; locum paries munimine cingit
Vndiq;, & egressum ferrea claustra negant.
Addidit huic operi tutam dux Borsius arcem,
Turbáq; subiectam despicit alta feram.
Ipse modo immiteis tauros, nunc obijcit illi
Terribileis vrsos, fulmineósq; sues.
Nec mora, concurrunt, sua quilibet expedit arma.
Pugnatur cornu, dentibus atq; pede.
Aspera sanguineus miscet certamina Mauors,
Atriáq; horrendis vocibus ampla sonant.
Hunc ardens animi vigor, at metus excitat illum,
Audacémq; inter sæua pericla facit.
Alter pugnat, vti sese tueatur ab hoste,
Alter at insano cædis amore furit.
Vis superat, tristem dirimit victoria pugnam,
Et tellus multo sparsa cruore madet.
Tum superassistens morientia corpora calcat,
Et laniat victor membra cruenta leo.
Hæc eadem paruis, timidisq; animalibus, vltro
Scit virtus posita parcere sæuitia.
Illæsum leporem, catulúmq; impune vagari
Ante suós oculos mitis, & ora sinit.
Nec reor hanc illi naturam infundere mentem,
Sed domini exemplis vtitur ipse sui.
Odit enim tumidos fastus, atq; impia facta

Borsius, & probitas hoc duce tuta viget.
At modo, cum ruerit præceps in fata puellæ,
A domino penitus dissidet ille suo.
Sustulit ingratus, cui quondam plurima debens,
Pectendásq; iubas, & fera cella dabat.
Dux pius & factis hominum sua præmia reddit,
Et nulli, quanuis læsus obesse, cupit.
Qualem se vero charis præstabit amicis,
Hosteis qui facile norit amare suos?
Ergo cum patriæ te dicimus esse parentem
Rex bone, sunt meritis hæc leniora tuis.
At si dignus honos, & par virtutibus amplis
Quæritur, humanæ non opis istud erit.
Quod licet in terris veneramur numina Borsi,
Certáq;, ni renuis, iam tibi templa damus.

De Templo sublimi Borsij.

a Spice sublimis lector fastigia templi,
Atq; admirandæ nobile molis opus.
Plurima cum dederit terris, hæc munera cælo,
Dat Borsi pietas officiosa ducis.

In columna viuenti Borsio erecta
incisum epigramma.

h Anc tibi viuenti Ferraria grata columnam
Ob merita in patriã prĩceps iustissime Borsi
Dedicat, Estensi qui dux à sanguine primus
Excipis imperium, & placida regis omnia pace.
Verum ingens quando sibi vẽdicat omnia virtus,

Et longe humanam superat tua plurima sortem
Gloria, Diuinos si tu patiaris honores,
Vltro ipsi dabimus, meritásq; sacrabimus aras.

Ad Marcum poëtam.

mE tua Marce nouo celebratum carmine musa
Bellerophonteis vatibus inseruit.
Magna tibi à nobis debetur gratia, nec me
Immemorem tanti muneris esse decet.
Non tamen his adeo confidere laudibus ausim,
Vt me, quod non sum, turpiter esse putem.
Hæc est causa, leueis quòd scribam semper amores,
Magnanimi veritus tangere facta ducis.
Nanq; ea diuini virtus, & gloria Borsi est,
Poscat vt egregij nobile vatis opus.
Quòd si forte meos lusus contempseris, aut tu
Magna cane, aut simileis ede poëta iocos.

De villa Panhormitæ.

pArua Panhormitæ quid tãto munere dignum
Villa dabit, sæuis obruta fluminibus?
Ecce ego iam videor colleis superare falerni,
Aruáq; frugiferæ pinguia Sicaniæ.
Gratius est Siculi celebrari carmine vatis,
Quàm si Palladio tota liquore fluam.
I felix, reducémq; sacri post oscula regis,
Excipiat tenero Laura pudica sinu.

Ad Guarinum de Phasi aue.

sIquis Apollineum miratur Ariona quondam
Cœruleo inuectũ delphine stupẽtibus vndis,
Dulcibus illectos pisceis tenuisse querelis,

Siquis & aërios monteis, & saxa, ferásque,
Et nemora, & volucres, & verso flumina cursu
Mollia Bistonij properasse ad carmina vatis,
Confisúmque lyra siquis cinxisse canendo
Thebenam subitis Amphiona mœnibus vrbem,
Credibile esse negat, nostri miracula secli
Audiat, & quicquid cecinit veneranda vetustas,
A falso distare procul, verúmque putabit.
Quam ferus accipiter captam me teste peremit,
Ecce iterum fruitur vitali lumine phasis,
Atque nouam induitur formam, faríque diserte
Nouit, & ad dominum defert mandata priorem.
Non tamen hanc vllis vates Epidaurius herbis,
Ceu quondã extinctũ Hippolytũ, mandante Diana,
Rettulit in lucem, nec carmine dira potenti
Phasias ætherium rursus reuocauit in orbem.
Verum illi hoc tantum magni noua musa Guarini
Muneris attribuit, dúmque altum lucida cælum
Astra colent, dúmque Adriacis Padus influet vndis,
Dum Borsi ducis extabit venerabile nomen
Laudibus egregijs, ac dextro numine partum,
Immortalis erit, longúmque manebit in æuum
Nostra Guarineo celeberrima carmine phasis.
Assyriæque parem volucri mirabitur ætas
Postera, viuacem innumeros durasse per annos.
At cui permissum est, tristi data corpora leto,
Spiritibúsque animare nouis, mortémque fugare,
Humanum alitibus sensum dare, verba docere
Pierios imitata sonos, hominúmve Deúmve

Hunc rear esse? Deus certe Deus ille putandus.
Ergo sibi vitam poscens à te optime vates.
Altera phasis adest, animam cui Martius ales
Abstulit, atque suam sortem ne sorte sororis
Peiorem rogat esse velis, instructáque sacris
Artibus, huc à te mitti legata Guarine
Flagitat, vt charo tua carmina reddat alumno,
Diuitijs Crœsi, atque Mydæ quæ præferat auro.

Ad diuum Borsium.

D Vx genus à magna qui ducis origine Regum,
Imperióque refers aurea secla tuo,
Qui propria gaudes virtute excellere, cuius
Gloria nullius crescere laude potest,
Quo nihil à superis optet Ferraria maius,
Tradere quo melius nil potuere Dei,
Si qua tibi tot res ingentes otia linquunt,
Hæc facilis placido lumine pauca lege.
Corporis egregias non hic perscribere laudes
Conor, nec regni iura referre tui.
Nec loquor hic à te purgata paludibus arua,
Messibus vt largis cultus abundet ager.
Non sacras ædeis, non clara palatia per te
Sumptibus innumeris ædificata canam.
Qua tua se mole attollat Carthusia linquo,
Et Schiuinoieæ gratia quanta domus.
Nec mihi cura, nouis quas muris cinxeris arceis
Dicere, nec pulchræ mœnia Ferrariæ.

Rem quoque non paruam sileo, quòd tollis in ima
Planicie excelsi nobile montis opus.
Magna quidem sunt hæc, hominũ sed facta labore,
Nec decus ad proprium tu tibi solus habes.
At punire malos, æqua dare præmia lance,
Ponere non sanis frena cupidinibus,
Inuictúmque malis animum præstare, Deósque
Vt facis, ante oculos semper habere, tuum est.
Nec ego mira puto, quibus hic tibi vera paratur
Gloria, quæ recta ducit in astra via.

Ad Tribrachum poëtam.

TRibrache diuinum quis te neget esse poëtam?
Cum tibi tale sacro carmen ab ore fluat.
Nanque modo ostendit tua nobis scripta Metellus,
Quem fratri comitem rura dedere meo.
Illis quid potuit numeris ornatius esse?
Quæ vis, ingenij gratia quanta tui?
Sic ego Nasonem, sic te iucunde Properti,
Sic ego te video culte Tibulle loqui.
Ecce nouum per te Latio decus additur, & iam
Vate suo tollit se Mutinensis ager.
Atque vtinam nostris simul exposuisset in oris
Deuectum celeri te quoque cymba Pado.
Nulla mihi maior potuit se offerre voluptas,
Et tali felix hospite villa foret.
Tecum Castaliæ properassent ire sorores,
Et bona Thyrsigero gratia iuncta Deo.

Florida Parnasi iuga deseruisset Apollo,
Ad mea dignatus limina ferre pedem.
Nec dubita, ne forte tibi, numerósq; sequentum
Nostri sufficiant Tribrache docte lares.
Borsius, Erigone, Pallas, Maiáq; creatus,
Quattuor has ædeis incoluere Dei.
Et comitum quamuis ingens accederet ordo,
Hospitibus locus hic pluribus aptus erat.
Ergo tuis paulum à studijs intenta relaxes
Pectora, & ad lusus curre poëta meos.
Seu cupis auritos lepores agitare, videbis
Currere Turcigenas lata per arua canes.
Siue auibus, quæ stagna colunt, indicere bellum
Te iuuat, egregij sunt mihi crede duces.
Suspicies ternos volitare per aëra fratres,
Altáq; veloci tendere in astra fuga.
Inde vbi tempus erit, liquidum per inane repente
Delapsi, magno turbine ad ima ruent.
At sonitu ingenti, quæ territa fugerat ales,
Aut cadet, aut notas anxia quæret aquas.
Vertice non illos pater Apenninus in alto,
Dura nec in sæuis rupibus Ilua tulit,
Extremo Boreas peregrinos misit ab orbe,
Clarum falcones hic quoq; nomen habent.
Quòd si te potius piscandi cura tenebit,
Vicino tendes retia rara Pado.
Haud tibi præterea quibus oblectere libelli
Deficient, musis nec loca grata tuis.
Quid referã Nymphas, Satyrósq; in amore calẽteis,

Panáq; vel Dryadum, Naïadúmve choros?
C onueniunt, sacróq; hærebunt numina vati,
Quilibet optabit proximus esse tibi.
H ic centũ Oenonas, centũ hic mirabere Daphnas,
Et totidem Heliadas, Inachidásq; simul.
N erine cedet nostris Galatea puellis,
Cedet & Alphei cura Arethusa sui.
I psa etiam duro sub iudice victa rubebit
Salmacis, & tenerum quæ rapuistis Hylan.
H inc Minois abest coniux, & Phædra, furénsq;
Colchis, & ignaro subdita Myrrha patri.
Æoliden nullam, nullam Niseida cernes,
Nullam Nyctimenen hæc tibi rura dabunt.
S it procul inconcessa Venus, cædésq;, nefásq;,
Stent sacra, cognatis sint sua iura toris.
C erta fides, propriúmq; decus seruetur amicis,
Candidus inter nos, & leuis erret amor.
G arrula sed quamuis nondum certarit irundo,
Nec luteam solita struxerit arte casam,
E t scelus immitis nondum Philomela tyranni
Cœperit arguto flebilis ore queri,
Ipse veni tamen, & facileis duc Tribrache musas,
Ad Quartisanæ rura benigna meæ.
H ic loca perspicies gratis secessibus apta,
Cum suus est pratis, arboribúsq; decor.
V nde queas Zephyros olim captare, notabis,
Et quibus è ramis densior vmbra cadat.
Post vbi tempestas aderit iam mitior anni,
Huc iterum rediens non nouus hospes eris.

Ad Baptistam Guarinum.

Non ita, cũ rapido feruẽs sitis vrget in æstu,
Quærit fontanas ceruus anhelus aquas,
Nec vaga sic auide, rediere vbi tempora veris,
Cantat, & in teneris frondibus errat auis,
Nec sic lætus adit patriámq; domúmq; viator,
Post terræ, & vasti longa pericla sali.
Vt Baptista libens nuper tua carmina legi,
Vbere de vena, quæ tibi culta fluunt,
His ego perspexi, quod me non fugerat, in nos
Ex omni studium crescere parte tuum.
Scilicet hic animi modus est, ratióq; benigni,
Vt nulli in magno cedere amore velit.
Hoc in Oreste suo Pylades, in Achille Patroclus,
Euryalúsq; pio vidit in Irtacide.
Se quoq; Perithous nunq̃ non sensit amari,
Cum sibi deuinctum Thesea diligeret.
Tu, quem iampridem studio complector amico,
Gratus es, atq; pari par in amore refers.
Syluarum cupidi vates, & ad otia nati,
Secessus molleis, & loca sola petunt.
Illic securo de pectore carmina ducunt,
Lætáq; iucundæ tempora sortis agunt.
Talia nos etiam memoras exempla secutos,
Clamosi strepitus deseruisse fori.
Tum Quartisanæ genialia rura colentes
Condere, quod longo tempore duret opus.
Quin vatum egregios, te iudice, dicor honores

Æquare, & magnum nomen habere feror.
Læter, an indoleam, quòd me tot laudibus ornes?
Quòd veterum claris conferar ingenijs?
Non equidem possum mihi non gaudere, disertis
Auribus vsqueadeo scripta placere mea.
Nam non vlla potest homini laus gratior esse,
Quàm quæ laudati prodit ab ore viri.
At nostro exiguę quàm sint in carmine vires,
Cum subit, ingenuus tunc pudor ora notat.
Et vereor, ne non titulis respondeat istis
Ingenium, quod tu tollis ad astra meum.
Subdubitóq;, oneri ne sint, quæ tradis honori,
Iudicio inueniar si minor esse tuo.
Siqua tamen nobis dicenda gratia, siquis
Creditur in nostris versibus esse nitor,
Hoc Baptista tuo tribui decet omne parenti,
Quo Duce Pieria cœpimus ire via.
Imbuit ille rudeis generosis artibus annos,
Atq; hæc ex illo flumine manat aqua.
Eheu quale decus mors abstulit inuida terris?
Cum patrios adijt nobilis vmbra polos.
Te venerande senex vitæ præcepta ferentem
Optima diuino sensimus ore loqui.
Nunc tecum occubuit geminæ præstantia linguæ,
Et cecidit prisca cum pietate fides.
Græcia te luget lachrymis comitata latinis,
Interitúmq; gemit Barbara terra tuum.
Illa tamen nobis restant solatia, quòd te
Erepto superest pars quoq; magna tui.

Viuit enim, viuétque diu tua gloria, cuius
Æmula natorum surgit honesta manus.
Si cuiquam videor sub præceptore Guarino
Profecisse parum, culpa docentis abest.
Quod male percepit clari documenta magistri,
Discipuli arguitur tardius ingenium.
Vt tamen accipio, populi mea venit in aureis
Anthia, nec doctis displicet illa viris.
Nósque poetarum numero (si credimus illi)
Non humili inseruit dextera fama sono.
Quicquid id est, lusi iuuenis iuuenilia, siqua est,
Seruiat hinc magno nostra Thalia duci.
Cuius facta licet nequeam comprendere dictis,
Borsiáque Estenseis gloria vincat auos,
Quid possim experiar, meritorum principis in nos
Officijque memor quo ferar esse mei.
Si deerunt vires, studiúmque, fidésque supersunt,
Hæc non ingratæ pignora mentis erunt,
Cætera maturo sed cum gerat optimus heros
Consilio, populis prospiciátque suis.
Nunc quoque laudari meruit de rhetore tanto,
Quod bene consuluit ciuibus ipse suis,
Virtuti confisa tuæ Ferraria, cum te
Defuncti cuperet munus obire patris,
Sensit idem, & laudi meritæ Dux præmia soluit,
Decreto & sanxit publica vota suo.
Quæque olim fuerat diuini cura Guarini,
Hanc tibi mandamus non renuente Duce,
Nouit enim iudex hominum, censórque seuerus,

Te nihil à magno degenerasse patre.
Et tibi vix dum etiam iuueni crescentibus annis,
Doctrina paucos eloquióq; pares.
Quid magis optandum tibi? quid contingere maius
Tanto consensu, iudicióq; potest?
Sic igitur clara similis virtute parenti,
Dignus in hac patrias excipis vrbe vices.
Et iam nostra fluit, paritérq; externa iuuentus,
Vndiq; præceptis instituenda tuis.
Ac desiderium minuit genitoris adempti,
Par in te probitas, ingeniíq; vigor.
Tu nobis virtute tua, meritísq; parentis
Charus es, inq; dies noster abundat amor.
En age, quódq; facis, duros euince labores.
Aspice quantum in te, & quale recumbat onus.
Tum cui succedas, quo sis patre natus, & à quo
Veneris accitus, pectore volue tuo.
Hoc erit acris equi stimulis accendere cursum,
Et sinuosa citæ tradere vela rati.
Ille triumphaleis statuas spectabat auorum,
Cui celebres titulos Africa victa dedit.
Sensit enim his visis, ardorem insurgere menti,
Séq; nouo pulchræ laudis amore rapi,
Tu quoq; sic facito, & reliquos cū viceris omneis,
Te supera, & decori grandius adde decus.
Interea valeas nostri memor optime vates,
Quo mihi non alter iunctior esse potest.

Ad Carbonem poetam & oratorem.

AN tibi non faueam? te non admirer, amémque,
Candidior pura Carbo poeta niue?
Crede meo cum tu poteris de pectore labi,
Tunc animæ potero non memor esse meæ.
Doctus es, & culti placido sermonis ab ore
Dulcior Hyblæo copia melle fluit.
Nec minus orator, quàm vates optimus, idem
Nunc patriæ linguam tradis vtranque tuæ.
Barbarus est, quicunque capi virtutibus istis
Se negat, & tantum non probat ingenium.

Ad Anthiam amicam, quòd soluerit fidem.

QVod toties timui, quod tu mihi sæpe negasti,
Iam non vlterius dissimulare potes.
Ipse ego, nec fallor, coràm tua crimina vidi,
Et me (quod nollem) perfida teste rea es.
Vidi ego, cum iuuenis nocturno tempore furtim
Me miserum, vestris prodijt è foribus.
O ego ne facinus spectarem impura nefandum,
Quàm mallem trucibus præda fuisse feris,
Vel posuisse breuem properato funere vitam,
Vagitus primos cum tener ore dedi.
Tunc perij infelix, tunc me dolor abstulit acer,
Tunc oculos satius non habuisse fuit.
Quin & culpa mihi tua quo manifestior esset,
In mediam haud dubitas prosiluisse viam.
Nec pudet egressum posita reuocare lucerna,

Et longo ante fores ducere colloquio.
Vix lasciua parans vulgato corpore quæstum,
Audeat hoc medio Fornice graia Lyce,
Hæc mihi non fingo, vos conscia sidera testor,
Et vos cornigeræ lumina clara Deæ.
Quàm me penè furor præceps rapere arma coëgit,
Et vestræ finem tradere nequitiæ?
Has pœnas violatus amor periura petebat,
Et data per magnos fœdera cælicolas.
Obstitit arma Venus cœptis, & sanguine vestro,
Passa pias non est me scelerare manus.
Dum tamen accedo, pariter fugistis in ædeis,
Et posita increpuit ianua clausa sera.
At mihi pulsanti, téq; impia sæpe vocanti,
Nox est in multis peruigilata malis.
Hæc toties promissa fides? hæc illa tuendæ,
Quam mihi iactabas, cura pudicitiæ?
Iurasti quoties nil me tibi charius esse?
Atq; oculis semper præposuisse tuis?
Nunc ego fallaces lachrymas, nunc improba noui,
Cur toties de me conquererere prius.
Nunc ego nocturnæ memini discrimina rixæ,
Queis tua luxuries maxima causa fuit.
Quid faceres, mea si Tithonia cogeret ætas
Frigida languenti membra iacere situ?
Vel quam te nobis pauidámq;, rudémq; solebas
Fingere, nec clausas posse aperire fores?
Torqueor, atq; diu seruisse fideliter vni
Pœnitet, at posthac non mihi verba dabis.

Sed monimenta tuæ leuitatis acerba perosus,
  Subducam turpi libera colla iugo.
Et quæcunq; tibi cecinerunt carmina laudes
  Immeritæ, rapidis ignibus illa dabo.
Atq; aliquid quoniã mihi semper amare necesse est,
  Succedet regnis culta puella tuis.
Digna erit illa meo fieri celeberrima versu,
  Huic omni viuam tempore charus ego.
Illic hærentem frustra reuocabis amicum,
  Atq; meam quæres ipsa relicta fidem.
Nec te iam poterit quisquam sperare fidelem,
  Cum vulgata tuæ sit nota perfidiæ.
Quis locus ò demens nostri non plenus amoris?
  Anthia quis nescit cuius amica fuit?
Posse putas alium fastus perferre tumenteis?
  Cui tantum posthæc chara futura viro es?
Quis canet hãc faciem, quam, cũ foret oblita fucis,
  Præposui niuibus, purpureisq; rosis?
Quæ, nisi cum nostra perijssent lumina mente,
  Tunc penitus fuerat despicienda mihi.
Nunc licet inuenias, qui non tibi credere nolit,
  Nemo meam vincet longo in amore fidem.
Hæc tu debueras nugis præponere, & auro,
  In te aliquid rectæ si rationis erat.
Si neq; nequitia, neq; auaræ crimine mentis
  Impulsa, hac malles nobilis esse nota.
At mihi crede, pios respectant numina amanteis,
  Iusta nec incassum fundere vota sinunt.
Tempus erit, cum te pigeat soluisse carinam,

Et seuia incertis vela dedisse Notis.
N ec secura mane, superum silentior ira est.
Fœnore tarda graui pœna venire solet.
T u quoq; fortuna, qui nunc meliore triumphas
Æmule, disce meo cautior esse malo.
A tq; tibi hæc eadem speres contingere posse,
Cum periura semel ruperit illa fidem.

Ad Hieronymum Castellum de abbate quodam sibi indulgente.

q Vid mecū tacitus mediter Castelle rogasti,
Abbatem hunc vitæ non rudis esse reor.
N ec tu crede mihi, rubicundos aspice vultus,
Et tumidi pinguem ventris aqualiculum.
I lle boues macras, & brigantinia musta
Odit, nec totos vult vigilare dies.
I llius in turdis sermo versatur, & offis,
Gnosiaco spumant liuida labra mero.
S i prodire decem parat extra limina passus,
Nec ieiunus abit, nec pede carpit iter.
Quod Bacchus, lautæq; dapes, atq; otia suadent,
Id sequitur, saturi prouida cura patris.
S i virtus, & opes, si gloria moribus istis
Quæritur, hac cælum si datur ire via,
I pse quoq; optarim positis Hieronyme curis
Molliter in tali viuere luxuria.

Ad eundem.

a Ccipe nectareos dulcis Castelle liquores,
Qui tibi sint primæ pocula grata siti.
N on hæc picenis in collibus vna pependit,

In patulos fluxit quæ mihi pressa lacus.
Non thuscis innata iugis, tergóve falerni est,
Massica non illam, cressáue terra tulit,
Manauit suauis patrijs de vitibus humor,
His poni iussit quas mea cura locis.
Ad quæ, siqua tibi tristes dant otia turbæ
Ægrorum, nostri ductus amore veni.
Hæc loca, si memini, cunctis præferre solebas.
Dicebas ipsos hic habitare Deos.
Nil mutata loci facies, ijdémq; penates
Nunc sunt, mens eadem, quæ fuit ante mihi est.
Quòd nisi legitimis causis retineris in vrbe,
Ex animo credam me cecidisse tuo.

Ad poetam quendam.

r Vmor ait nostros te Stomyse carpere versus,
Et damnare tuo plurima iudicio.
Non equidem indignor, si libertate loquendi
Vteris, & quæ sunt crimine digna notas.
Nanq; meos fateor reprendi posse libellos,
Queis nullus certa quæritur arte nitor.
Quos mihi nec studium, ratio nec contulit vlla,
Vt mera simplicitas, nudáq; verba sonant.
Scitis enim raro studijs me accedere vestris,
Pallade nec minus est grata Diana mihi.
Me iuuat à magna positum procul vrbe morari.
Nunc pedes incedo, nunc vehor altus equo.
Et modo per campos lepores cane venor apertos,
Proxima Threicio quem tulit ora mari.

Et modo, quæ stagnis degunt, falcone volucres
  Insequor, & varijs distrahor aucupijs.
Interdúmque Padi sinnoso in flumine piscor.
  Méque levis magno gurgite cymba vehit.
Curáque nonnunquam numeroso impenditur horto,
  Et varia malos inserere arte iuuat.
Sed tamen hæc inter, fugiam licet otia, nouit
  Nescio quo pacto serpere blandus amor.
Hic mihi, quas possem dominam mollire per arteis
  Monstrauit, teneros proposuitque modos,
Quod mihi tentanti quamuis prodesse viderem,
  Et scirem multos scripta probare mea,
Non tamen authori penitus placuere, nec vnquã
  Me duxi magnis vatibus esse parem.
Sat mihi cum musis si non durissimus esse
  Dicor, & in lusu gratia siqua meo est.
Non igitur mirum, si te offendere disertum
  Carmina non vllo facta magisterio.
Quod tamen his vitij tribuas cultissime vates,
  Optarem verbis certior esse tuis.
Quid tibi vel placeat, vel contrà, quid sit in illis,
  Tollere quod iubeas, quæ toleranda putes,
Ille ego sum, qui me patiar, cupiámque moneri,
  Et facile alterius qui benedicta probem.
Quem pudet obnixe errorem, vitiúmque tueri,
  Veráque amicorum spernere iudicia.
Quòd si te ostendens aliqua ratione moueri,
  Cedo libens monitis, & meliora sequor.
Sin rennis, tacitúsque sedes, indoctus haberi,

Nec minus inconstans, inuidulúsque potes.

Ad Mazonum, laudans Venetias, ac admonens, ne fallaci arti, quam dicunt Alchimiam, incumbat amplius.

Dum vagus Adriacis Mazone paludib⁹ erras,
Clarum vbi Tyrrhenæ floruit vrbis opus,
Cura tibi est veteres sub aqua spectare ruinas,
Cernere & annoso fracta sepulchra situ.
Nunc libet vndiuagos demissis fallere pisceis
Retibus, & paruæ nunc dare vela rati.
Et nunc indigenis prisci referentibus acta
Temporis, à senibus quærere multa iuuat.
Diluuij quæ causa fuit? num casus? an illud
Excidium genti bella tulere suæ,
Quo sub rege grauis moles oppressit aquarum,
Hinc nostro nomen quæ dedit ora mari.
Hinc te fama refert Venetam contendere ad vrbẽ,
Scrutantem ingenio plurima digna tuo.
Per geminas licet ire vias, patet vna per altum,
At per stagnanteis altera ducit aquas.
Si citius tranare cupis, fornacibus exi,
Fac modo, tranquillo pax sit vt alta mari.
Longum iter, ad tutum per inerteis ire lacunas,
Cum trucibus ventis horrida sæuit hyems.
Hac sinuosa leges piscosi claustra Loreti.
Ante tuos oculos mox noua turris erit.
Clodia te excipiet Bebijs post terga relictis,
Diues inexhausti Clodia longa salis.

Portus ad auroram vrgens ſinuatur in arcum,
Turris vbi anguſtis imminet alta fretis.
Hic perhibent magnis certatum claſſibus olim,
Nulláq; iam Veneti ſpes erat imperij.
At Lygur adriaca ſperans de gente triumphum,
Cæruleas proprio ſanguine tinxit aquas.
Inde Palæſtinæ tua radet littora puppis,
Et ſpirante Noto continuabis iter.
Perueniẽs vbi ſe tumidum Mathemaucus in æquor
Porrigit, & vaſta mole repellit aquas,
Haud procul hinc humilem præterlabere Poniam,
Defeſſis olim nauibus hoſpitium.
Tum magnæ à læua ſeſe offeret æmula Romæ
Vrbs, legem quæ tot gentibus vna dedit.
Quicquid alit tellus, quicquid mare, cernitur illic.
Imperium dices hic locus orbis habet.
Illic fundatas medijs mirabere in vndis,
Altáq; marmoreas ſurgere ad aſtra domos.
Templa Deum gemmis, varióq; nitentia cultu,
Egregia decorat plurimus arte labor.
Palla ſed in primis Marci pretioſa beati
Italiæ cunctas vnica vincit opes.
Quattuor auratos in templi vertice ſummo
Artis opus miræ ſtare videbis equos.
Spiritus, & veri ſpecies Mazone coloris
Deficiunt, nemo cætera viua neget.
Tot proceres, tantum populi ſpectabis, vt illuc
Humanum credas omne coiſſe genus.
Regibus è multis illum conſtare ſenatum

Qui negat, hic sensu, indicióque caret.
Per freta mille simul cymbas volitare videbis,
Remigio celeri quas Scytha fortis agit.
Montibus æquandas naueis, longásque triremeis,
Immensum latis vix capit æquor aquis.
Torcellum aspicies, necnon Murania tempe,
Atque suburbanis sparsa vireta locis.
Singula prætereo, quæ si nunc dicere pergam,
Diffusum mundi pingere coner opus.
Sed tamen hæc summa est, virtutē, animósque virorū
Fortunæ dotes exuperare suæ.
Hactenus ista probo, sed non ita cætera, nam te
Illyricas genteis visere velle ferunt.
An tibi sunt tanti scopulosæ littora Polæ?
Semper & arctoa signia cincta niue?
Num formidandum ratibus vidisse Ceraunum
Sic iuuat, & rigida saxa reuulsa Paro?
Vt mare contemnas, vt nos fugiamur amici,
Et cum longæuo tota parente domus?
Ludorum vt pompa careas, festóque paratu,
Aurea cum celeri præmia dantur equo?
Vt ducis aspectu nusquam reuocere sereno?
Quē Scytha, quē Libycus Maurus, & Indus amăt.
Follibus illa tuis loca, Mercurióque necando,
Quàm latebras catulæ, num magis apta putas?
Falleris, ad Meroën satius properare fuisset,
Nanque opera assidui vestra coloris egent.
Quòd si iudicium Mazone requiris amici,
Nec tibi, nec cuiquam, quod petis, eueniet.

Sed cinis, & fumus, puluis, suspiria, verba,
Sunt ærumnosi lucra magisterij.
Esse potest, vt forte tuus labor vtile quicquam
Post varios casus eruat inde tibi.
Sed nec tantus honor, nec tanta est copia lucri,
Talibus in curis tempus vt omne teras.
Diuersum interea procul à regionibus istis,
Me Quartisanæ, dulcia rura tenent.
Dulcia rura quibus fauet indulgentia Diuum,
Et quæ nullius commoditatis egent,
Nanqꝫ ferax regio, cælum sortita salubre,
Haud procul à nostræ mœnibus vrbis abest.
Seu pede, siue leui cymba iuuat ire per vndas,
Dant iter hospitibus terra, Padúsqꝫ meis.
Adde vias certo directas limite passim,
Mollis vbi æstiuum negligit vmbra canem.
Hæc loca Phœbus amat, nec sunt ingrata Lyæo,
Et comes huc Cereri non negat ire Pales.
Hic bene respondet Domini vindemia votis.
Horrea deposcit fertile magna solum.
Hic pecori sua prata vides, hinc caseus exit,
Quem premit artifici docta colona manu.
Hinc ouium fœtus, hinc magnam portat in vrbem
Hœdorum teneros rustica turba greges.
Hinc etiam alituum, quas cura domestica nutrit,
Mittitur arguto copia magna foro.
Sunt hominum varios orti quos cernis ad vsus,
Qui speciem præ se, diuitiásqꝫ ferunt.
Inde viro gratas epulas parat arua colenti

Depoſita coniux officioſa colo.
Inde legunt flores, nitidáq; in veſte puellæ
Feſta coronata compita fronte petunt.
Hic quibus inuideant cultores fertilis hyblæ
Grata ferunt liquidi munera mellis apes.
Nulla eſt aucupijs, nulla eſt venatibus ora
Aptior, hanc mediam proxima rura tenent.
At mea, quæ ſumptu non paruo condita villa eſt,
Haud vlli merito diſplicuiſſe poteſt.
Hac quoq; largus opum cũ multa & magna dediſſet,
Donauit fratrem Borſius ipſe meum.
Plurimus hic liber eſt, nec equi, nec magna canũ vis
Nec deſunt comites, accipitréſve mihi.
Simplicibus quòd ſi iuuat alluſiſſe puellis,
Centum formoſas lux tibi feſta dabit.
Hic neq; ſacrilegos Vulcani Iuppiter igneis
Nec cum ſole Venus, Mercuriúſve timent.
Toxica nec flammis coquimus, nec prodigus iſte
Nos male tentata decipit arte labor.
At ſecura quies agitur, nec fraude, nec armis
Proxima vicinus diues in arua ruit.
Ergo pari ſtudio mecum ſi viuere curas,
Huc ades, & noſtris vtere amice bonis.

Ad Coſmum Pictorem.

Ecce nouis Helene conſumitur anxia curis,
Vultq; tua pingi Coſme perite manu.
Scilicet in longos vt nobilis exeat annos,
Et clarum egregia nomen ab arte ferat.

S ed dum consultat, quæ tantis commoda rebus
Tempora, quos habitus induat, annus abit.
Ver modo laudatur, modo dicitur aptior æstas,
Nunc placet autũnus, núncq; probatur hyems.
N unc cupit externis pingi velata capillos
Cultibus, & nuda nunc libet esse coma.
D úmq; diem, & varios alternat inepta paratus,
Quod cupit, in longas protrahit vsq; moras.
Quid tibi vis? quid stulta paras? an forte vereris,
Ne leuitas populo nota sit ista satis?
T ales, tótq; tibi cum sint in corpore mendæ,
Formæ pictorem quæris habere tuæ?
Quòd si cura nouæ te tangit imaginis, & si
Spectari à sera posteritate cupis,
E dita, quæ populus de te modo carmina legit,
Illa tuos mores, effigiémq; tenent.
I lla tibi poterunt pallorem afferre legenti,
Si tener impuro fugit ab ore pudor.
F orsan & arte mea longum transmissa per æuum,
Altera venturo tempore Thais eris.

Ad Amicam.

Q Vid me composito nequicq̃ pessima vultu,
Conaris veteri reddere seruitio?
N am mihi promittis fallaci plurima nutu,
Ast ego dedidici credulus esse nimis.
C rede mihi, non sum, quem posthac fallere possis,
Sed fugiam cauto retia nota pede.
N ec veluti canis ad vomitum mox ipse redibo,

Exclusum foribus me semel esse sat est.
Te teneat solus, tecum tuus iste Cupido
Regnet, & arbitrio te regat usque suo.
Ille tuis leges imponat amoribus unus,
Et vigil obseruet singula facta tua.
Si tamen amborum leuitas incognita non est,
Haud stabit longo tempore vester amor.
Nam neque tu poteris uno contenta manere.
Nequitiam, & fastus nec feret ille tuos.
Adde, quod annorū, & primæ bona gratia formæ
Decidit, atque ætas sex tua lustra videt.
Et tibi corrupti nimio medicamine crines,
Vt folia autumno iam veniente cadunt.
Non solito fulgore micant ardentia quondam
Lumina, non idem permanet oris honos.
Nec minus infecit denteis color ater eburnos,
Et reliqui, amissis quatuor, usque dolent.
Quæritur unde illis mutatio tanta repente
Facta sit, at fuci causa fuere tui.
Nec potes infelix damnum celare pudendum,
Et frangis blæso singula verba sono.
Turget ab ingrato pingui tibi corpus ineptum,
Vixque vales tardos lenta mouere pedes.
Qualis anhela graui mendicat Toccia passu.
Dum pro nubenti virgine dona petit.
Plurima sunt etiam, quæ si numerare laborem,
Longa nimis de te surgeret historia.
Ista tuo Paridi fastidia crede mouebunt,
Ignis hic incipiet frigidus esse cinis.

N anq; vaga exhaustis quãuis tibi Grimma tabernis
Succorum tota quicquid in vrbe ferat,
P luráq; quàm Circe, q̃ Colchis gramina miscens,
Incedas vario picta colore genas,
N on tamen efficies, te sic mirentur vt olim
Carmine cum primum es nobilitata meo.
V na prius vulgi cum pars ignota fuisses,
Cœpisti insignis laudibus esse meis.
E t nisi iam malles vitijs corrumpere, siquid
In te contulerant ársve, Deúsve boni.
N ulla dies poterat nostros dissoluere amores,
Prima mihi fueras, vltima cura fores.
N unc vbi contempti ratio te nulla pudoris,
Nec mea cum longo tardat amore fides,
V t violenta ruunt abruptis flumina ripis,
Sic te præcipitem turpia vota ferant.
S ed grauiter tua me licet inconstantia lædat,
Perfida, non hostis, non tibi amicus ero.
L ibera vindictæ quin si mihi copia detur,
Nil me vltore mali, nil habitura boni es.
Quòd si non aliam pateris pro crimine pœnam,
Mens infert grauius conscia supplicium.
T e non illa dies, te non requiescere nocteis,
Accedant quanuis prospera multa, sinet.
I lla tibi ante oculos periuria mille reponet,
M ille tuas arteis, multiplicésq; dolos.
E t referet, q̃ nunc distet tua forma priori,
Quámq; tui similis non videare tibi.
Quæ tua sit leuitas, & quanta superbia pectus

Impleat, & quantum ſit tibi nequitiæ.
Curas illa meas, verúmq; oſtendet amorem,
 Fidáq; tam longi temporis obſequia.
Tum quicquid pro te vel dixi ingrata vel egi,
 Propones animo ſola relicta tuo.
Nam vitijs nouus iſte tuis offenſus amator,
 Quàm facile incepit, tam cito deficiet.
At cum riſus eris populo, cum fabula fies,
 Triſtis ego in multis millibus vnus ero.
Non quòd iniqua mei fortuna occurrat amoris,
 Aut mihi iacturæ ſors ſit acerba meæ,
Sed quia tale nihil ſperās de te improba quondam,
 Iudicio incautus fallor ab ipſe meo.
Non tamen aut iſta capior nunc primus ab arte,
 Fraudibus aut veſtris nunc ego finis ero.
Multus paſſus idem eſt, & idem patietur amator,
 Pluráq;, quæ noſtris ſunt grauiora malis.
At tu infamis eris, turpiq; notabere culpa,
 Tranſfixa æternis vndiq; indicijs.
Neu patiare diu conuitia tanta ſuperſtes,
 Illa tibi exemplum nobile myrrha dabit.

TITI VESPASIANI STROZAE EROTICON LIBER QVINTVS.

Ad Pium secundum pontificem summum.

Eseruit solito formosior æquora Titan,
Illuxit votis mille petita Dies,
Qua tu Romanæ sedis moderator, & orbis,
Cui dedit omnipotens sceptra verenda pater.
Dirigeres nostras iter expectatus ad oras,
Et Borsi intrares hospita tecta ducis.
Quid potuit lætæ contingere gratius vrbi?
Quidve tuo maius numine terra dare?
Nil vltra cupimus, nil te præsente veremur,
Dum sacra pontificis cernimus ora Pij.
Quem proprijs vltro tendentem laudibus, ipsi
Nouimus augustum hunc promeruisse locum.
Hæsit vbi numeros tua gloria ducta per omneis,
Vlterius nihil est quò ferat illa gradum.
Ipse licet maneas tantarum in culmine rerum,
Nostráq; te exultet principe relligio,
Non tamen humanos præclara modestia mores
Exuit, & nulli est mitius ingenium.
Ergo non alio fas est te nomine dici,
Quàm tua quo pietas nota sit, atq; fides.
Iustitiámne prius mirer sanctissime presul,
An memorem largas ad pia dona manus?

Quid, tua quas habeat vireis facundia dicam?
Quantáque de docto pectore vena fluat?
Te non vlla latent clarorum scripta virorum,
Nulla sacræ series te fugit historiæ.
Nec tua contemnit generosos cura poetas,
Quos diuinæ aliquid mentis habere ferunt.
Tale sed ipse facis vatum doctissime carmen,
Quale canit sumpta Delius ipse lyra.
Quòd si festa sacros poscunt altaria ritus,
Debitus & superis concelebratur honos.
Cernimus augusta te maiestate sedentem,
Cui tegit albenteis sacra corona comas.
Inque tuo grauitas sedet, ac reuerentia vultu,
Atque pios gestus pendula turba probat.
Alme pater salue, salue qui claudis, & idem
Clauigera reseras regna beata manu.
Salue, quem colimus, quem credimus, atque fatemur
Ætherij sanctas regis habere viceis.
Romanæ sedi qui non minus addis honoris,
Quàm tibi contulerit pontificale decus.
Pastorem lacero cum te præfecit ouili,
Consuluit misero cura superna gregi.
Vt taceam, latiæ quæ sit tibi cura quietis,
Et per te patrijs otia parta focis.
Vtque Tarentinos duce et Rouerella tumultus,
Sedarit iussis, consiliisque tuis,
Singula neu referam, quæ tu rectèque, pieque
Inter mortaleis numinis instar agis,
Perfidus ecce Dei populos inuasit Amyrras,

Et Scyticus nostro regnat in orbe furor.
A ctum erat, instabat Victor crudelis, erántque
Omnia plena metus, omnia plena fugæ.
H unc Maometheas Terris imponere leges.
Non sinis, & tristeis comprimis ipse minas.
N anque vbi pontificem te Barbara turba creatum
Audijt, atque animos, propositúmque tuum,
S ubstitit in medio rerum conterrita cursu,
Nominis & fama penè subacta tui est.
I mprobe, quid te igitur facturum Turca putemus,
Romanum accipies cum vigilare ducem?
I ámque lacessitas animare in prælia genteis?
Iustáque in immiteis bella mouere feras?
E cce tremit Rhodope, pauet imo conditus alueo,
Et reuocat celeres impius Hebrus aquas.
B ellipotens Mauors iam Thracia regna reliquit,
Iam pro Romanis induit arma suis.
I am virtute sua totum pius excitat orbem,
Infelix moneo iam tibi Turca caue.
N am tua, quæ nostro sangore ferocia creuit,
Concidet, & latias experiere manus.
N os Pelopis regio amissa, & Byzantia clades
Admonuere tuæ perfide sæuitiæ.
N ec solum nostris scelerate fugabere terris,
Sed fugies patrios pulsus adusque Getas.
V el pius immiti miles de gente triumphans,
Inijciet capto ferrea vincla tibi.
I te duces, trepidum pia signa feramus in hostem,
Dextera iam faustum concinit omen auis.

Vicimus, imbellis dat terga fugacia pubes,
Sparsáque Amyræo sanguine fumat humus.
Hæc tua Pi laus est, tua gloria, téque parentem
Auspicijs vocitat libera terra tuis.
Unus enim Scythicam miseris auertere pestem
Gentibus, oblata commoditate potes.
Nec te posse sat est, sed adest tibi certa voluntas,
Idem etiam rectæ non rationis eges.
Dum procul hostis abest, & adhuc sine fine supersũt
Oppida, barbarica non violata manu,
Degere secũra potuisti tutus in vrbe,
Ætatique simul consuluisse tuæ.
Sed grauis afflictæ fidei te iniuria mouit,
Sollicitant animum nostra pericla tuum.
Anxius his stimulis Romanas deseris arceis,
Et longum infirmo corpore carpis iter.
Non labor, aut imbres, obiectáve flumina, non te
Apenninicolæ continuere niues.
Interea lætis clamoribus insonat æther,
Et tibi fert patrios obuia turba Deos.
Undique concurrunt, in te sua lumina pascunt,
Exoptat longos & tibi quisque dies,
Augurijs sibi quisque animum felicibus implet,
Et suscepta tuo nomine vota facit.
Unum omnes pariter te poscere fata loquuntur,
Quo duce Turcarum stirps scelerata cadat
Quare age, & inceptũ pater optime perfice munus,
Et tibi commissas respice pastor oueis.
Pro quibus innumeros quæris, paterisque labores,

Nec senio virtus istà premente iacet.
Nulla tuis poterit maiorum gloria rebus
Æquari, & cedent cuncta trophæa tibi.
Hic sæuum Hannibalem, fortésque subegit Iberos.
Vltus honoratæ funera bina domus.
Hic domitis Asiæ populis, victóque triumphat
Antiocho, & patrias strenuus auget opes.
Ille cupit Persen, vinctum trahit ille Iugurtham,
Cymbrorúmque sua comprimit arte minas.
Conatus Catilina tuos hic fregit, at illi
Egregium nomen Creta subacta dedit.
Ille vagum Cylicem, & Sertoria contudit arma,
Iuráque Romani protulit imperij.
Orbe sub arctoo bis quinos ille per annos
Vicit, & extremum subdidit Oceanum.
Alter vbi terras simul & pacauit, & æquor,
Iuncto suo meruit templa tenere Ioui.
Alter & auroræ populos penetrauit, & Indis
Pellæum imposuit, victor vbique iugum.
Adde pium Ænean, Alciden, Hectora, Achillem,
Et quoscunque canit Græcia magna duces.
Omnibus his celebrem virtus dedit inclyta famam,
Et gestæ eximium res peperere decus.
Tu tamem hos superas, neque enim te ducit inanis
Gloria, nec regni dira Cupido tenet.
Verus honos, fidei studium venerabile nostræ,
Hoc te præclarum sumere iussit onus.
Quod cupis, externæ gentes nouere, probántque,
Et iungit socias Pannonis ora manus.

Hoc Hispane ferox, & idem Germania sentis,
 Nec tuus in tali tempore Cæsar abest.
Gallia pacatis aderit comitata Britanis,
 Et munita suis rupibus Illyria.
His Comes Epeiros veniet, Cyproq́ue, Rhodoq́ue,
 Et positæ nostris insulæ in æquoribus.
Pars quoque Threiciæ gentis simul induet arma,
 Inq́ue tuum exitium Turca superbe ruet.
Quid loquar Italiæ felicia regna potentis,
 Quam grauis in rabidos concitat ira canes?
Hanc prius vnanimem tua si sapientia reddet,
 Sub latias venient vltima regna manus.
Tecum erit Alphonsi proles clarissima regis,
 Rex ipse, atque hominum millia multa dabit.
Sforcius hinc Heros premet, hinc Florentia tecum
 Stabit, & auxilium proxima Sena feret,
Sena triumphaleis inter celeberrima terras,
 Felix Sena pij patria pontificis.
Hinc Lygur, hinc Venetus terráque, maríque iuuabūt,
 Ardor Arimineæ nec minor vrbis erit.
Magnanimúsque ruet dirum Sismundus in hostem,
 Et Malatesta suas iunget amicus opes.
Hos inimicitijs positis Federice sequeris,
 Vrbinúmque manet gloria magna tuum.
Non Manfreda domus, nec opem Gonzaga negabit
 Mantua, nec forti subdita terra Pino.
Adde alias vrbeis, opibúsque, virísque potenteis,
 Quósque tua populos sub ditione tenes.
Agmina longa ducum felicia castra sequentur,

Et tingent rubra candida signa cruce.
Hos inter venerande parens dux Borsius ibit,
Borsius Ausonij spésq́ue, decúsq́ue soli.
Borsius Italicæ pacis seruator, & author,
Romanæ verus relligionis amor.
Ille tibi fidus studio, tibi deditus omni,
Séq́ue suúmq́ue libens obtulit imperium.
Qui genus omne hominũ quãuis bene multa merẽdo,
Ingeniiq́ue sui dexteritate liget,
Te tamen in primis vnum colit, atq́ue fatetur
Se debere Pio plurima pontifici.
Hoc tua maiestas, & vincula sanguinis, & qua
Excellis virtus, fásq́ue, piúmq́ue petunt.
Illius esse potes gratam cognoscere mentem,
Illius insignem cernere lætitiam.
Hi quoscunq́ue vides nullo de more paratus,
Et passim stratis hæc noua forma vijs.
Hæc hominum quæcunq́ue tibi fuit obuia turba,
Aduentum excepit quæ modo pompa tuum,
Omnia magnanimi ducis hæc testantur amorem,
In te quem ex omni crescere parte vides.
Maxima quæ siquis (nam sunt ea maxima) ducit,
Ipse putat meritis inferiora tuis.
Hunc talem, tantúmq́ue pater mitissime regem,
Qui tibi non ficto pectore seruit, ama.
Quem benefacta patrum, & proprio quæsita labore,
Commendat fidei gloria summa tuæ.
Quicquid opum per te, quodcunq́ue parabit honoris,
Protinus accedet rebus id omne tuis.

Non apud immemorem stabunt tua facta, nec vlli
Concedet magnis Borsius officijs.
Hunc igitur bonus, & cognatam respice gentem,
Estensémque domum, Ferrariámque tuam.
Viue diu felix, superi tua vota secundent,
Ut subeat latium barbara terra iugum.

De amica irata.

Ecquis erit saeui finis mens anxia luctus?
Tristis an aeterni plena doloris eris?
Semper an in lacbrymis miseri versabimur ijsdem?
Et nullum inueniet longa querela modum?
Num mibi placandi superest spes vlla furoris?
An magis illa meis crescet acerba malis?
Summissus quoties veniam suppléxque rogaui,
Siquid liberius dicere visus eram?
Nam si non penitus culpa caret ausa puellae,
Suspectam immerito lingua notare fidem,
Qui mibi surripuit sensus, & talia iussit
Credere, praecipuum crimen amoris erat.
Fac tamen impulerit nos huc temerarius error,
Verbáque non sani pectoris exciderint.
Has meruit poenas meus immutabilis ardor?
Et quae spectata est per duo lustra fides?
Maenadas his potuit precibus placare furenteis,
Et magnum Pentheus conciliare deum.
Victa nec infandos torrem misisset in igneis,
Laturum nato tristia fata parens.
Ipsa immota tamen perstat velut aspera cautes,

Quæ maris assiduas negligit alta minas,
Perstat, & immitis mea læto incendia vultu
Spectat, in exitium scilicet orta meum.
Quis tam formosam, tam duram credere posset?
Sic'ne immortaleis concitat ira deas?
Me miserum, toties gelidus præcordia sanguis
Circuit, & toto corpore vita fugit.
Illius quoties cogor meminisse furoris,
Cum formidatæ frontis imago subit.
Nam modo vix dignata meos audire labores,
Rettulit hæc tristi verba superba sono.
Si mens sana tibi, vel si pudor vllus inesset,
Debueras oculis te eripuisse meis.
An me lethæo perfusam gurgite demens
Credis? & oblitam tot maledicta simul?
Si tamen admisi quicquam, si iusta querelæ
In me causa tibi est, si mea læsa fides,
Hos male deuoueat sonti mihi lingua capillos,
Atque hæc amissa lumina luce cadant.
Vel si te grauior crudelem pœna iuuabit,
Deuorer à sæuis ipsa relicta feris.
Quid mirare meo vidisse in limine quenquam?
Si pater assiduis non caret hospitibus?
Cum vaga seruorum manus huc, illúcque recurset,
Sitque ancillarum plurima turba domi?
Non tamen hæc refero, quo nostri rursus amoris
Firmior insideat perfide cura tibi.
Nec desertorem cupiam quòd rursus amare.
Sed me ne tacitam crimina tanta prem...i.

Haud inopes adeo mentis sumus, vt tua nobis
  Perfida non liceat noscere consilia,
Tu leuior pennis, atque inconstantior aura,
  Populeas vincis mobilitate comas.
Inque nouos properas saltus, veteresque relinquis,
  Quodque doles fieri, turpiter ipse facis.
Fœdera periurus sed si violare parabas,
  Vt sic culparer, non ego digna fui.
Quod si commisso securus crimine gaudes,
  Facta tamen vindex punit iniqua Deus.
Nunc fictos aliò gemitus, simulataque verba
  Transfer, iam parta est altera amica tibi.
Digna erit illa tuo fieri celeberrima versu,
  Cui felix omni tempore charus eris.
At mea non adeo facies mutata senecta est,
  Omnibus vt videar despicienda procis.
Et si fata iubent, vt amem, non me tua posthac
  Decipiet solitis improba lingua dolis.
Quàm cuperem nostri tibi nil placuisse, nec vnquã
  Me facilem votis exhibuisse tuis.
Illa ego tam penitus aboleri perfide vellem,
  Quàm facile ex animo laberis ipse meo.
Me lachrymæ, & ficti vultus cæpere, tuisque
  Fraudibus elusa est credula simplicitas.
Vos natura malos leuibus non æqua puellis
  Instruxit varijs artibus, atque dolis.
Phyllida Demophoon, & Colchida lusit Iason,
  Fleuit ad vltores sola Ariadna Deos.
Ardebat Circe, flagrabat amore Calypso,

Vtraq; Dulichiam vidit abire ratem.
Ille etiam, sua quem pietas ad sidera tollit,
Ingratus libycum prodidit hospitium.
Talibus exemplis, & quæ superaddere possem,
Ad mea debueram cautior esse mala.
Sed vetuit fati non euitabilis ordo,
Et rata fortunæ sors erat illa meæ.
Quælibet istarum potuit defendere culpam,
Viuere raptoris nomine tuta sui.
Me neq; semideos, nec præmia magna secutam
Dicent, aut fortis bellica facta viri,
Sed leuibus nugis tribuisse libentius aureis,
Carmine dum celebrem me iuuat esse tuo.
Hæc mihi grata fuit quondam (nec vera negabo)
Gloria, dum nobis verus amicus eras.
Nunc tua me quoniam ventosa superbia temnit,
Damnat & infamis pagina plena notæ.
Te simul, atq; tuos certum est odisse libellos,
E quibus vt tollas nomina nostra, velim.
Ut satis ipse tibi facias, quod sæpe minaris,
Tanquam ego sim magna nobilis Iliade.
Et mea ne pateat magis imprudentia, si te
In primis talem semper amasse legar:
Accipe, quæ dederas meliori tempore, dona,
Dum tibi sollicito maxima cura fui.
Hæc mihi tu quondam inuitæ conferre solebas,
Nunc tibi sum vilis, nunc & auara vocor.
Scis tamen à nobis hoc crimen abesse, nec vnquam
Porrexi cupidas in tua damna manus.

Scis etiam quoties Eriphyles munere captæ
  Impia damnarim facta latente viro.
Nec minus vt iuuenũ precibus, pretióq; repugnans,
  Prætulerim multis, qui male dignus erat.
Non magis infelix Thysbe dilexit amantem,
  Nec magis Euadne commoritura virum,
Quàm mihi charus eras, veri cum signa caloris
  Mutatúsq; color, blandáq; verba dabant.
Tum quoq; si pro te iussisses ponere vitam,
  Nullum fugissem mortis adire genus.
Nunc tamen inconstans, impura, & perfida dicor,
  Et sonat ante meas plurima rixa fores.
Deprensámq; Venus manifesto in crimine seruat,
  Et mea non vlli ianua clausa viro est.
Sic votis nunquam potiaris, vt omnia fingis,
  Hac vt parte meus stat sine labe pudor.
Atq; vtinam de me vlterius nihil ipse tulisses,
  Anthia ne populo fabula nota foret.
Sed quid plura iuuat leuibus iactare querelis?
  Illa ego sum, rea quæ te modo teste fui.
I procul, atq; aliam meliorem quære puellam,
  Nulláq; dehinc mecum sint tibi colloquia.
Dixit, & inuitis lachrymis rorauit ocellos,
  Fugit & auerso mox inimica gradu.
Sæpius & quanuis summissa voce rogarem,
  Haud facta est precibus mitior illa meis.
Heu quid agam? quo me vertã? quæ spes mihi restat?
  Quidve paras tantis mens agitata malis?
Audax ò nimium, & nimium temeraria lingua,

Et ſemper domino pernitioſa tuo.
N unquam igitur diſces freno parere? nec vnquam
Verborum feruens impetus iſte cadet?
N eu tua me quoties furibunda inſania læſit?
Te propter quoties triſtior illa fuit?
V era licet fuerint, quæ nondum certa tenebas,
An tibi magnus erat conticuiſſe labor?
H oc noſtras facere, & veteres feciſſe puellas,
Qui neget, haud ſanæ mentis habendus erit.
A ut culpa caret, aut peccaſſe impune licebit,
Cum ſimileis luſus mille referre queat.
Quid tamen abſolui domina me iudice prodeſt?
Et refuga ad ſolitum colla referre iugum?
O mnia ſunt fruſtra, miſerum nanq; odit amantem,
Oderit ipſa licet, cogor amare tamen.
Quòd ſi nec cælum, nec amaro terra dolori
Subuenit, & præceps fert mea verba Notus,
P ræſtat, vt indomitos mors finiat vna labores,
Quàm toties illa non miſerante mori.
A ude igitur manibus proprijs accerſere fata,
Et multa infelix effuge Tite mala.
A udiat extinctum primo crudelis in æuo.
Séq; tuæ cauſam nouerit eſſe necis.
E latúmq; toro ſpecula proſpectet ab alta,
Cum triſteis lachrymas funera turba dabit.
I llic indigno tranſfixum vulnere cernat,
Squallentémq; comam, pallidáq; ora notet.
F orſitan ex imo ſuſpiria pectore ducet
Triſtis, & ex oculis lucida gutta cadet.

Tunc iucunda tibi, siquid vaga sentiet vmbra,
Mors erit, & grata sorte fruere magis.
Sed potius dura, & fortunam vince ferendo,
Fortiter est virtus aspera quæq; pati.
Sume animos, dominámq; trucem lenire precando,
Ne dubita, atq; iterum, mox iterúmq; roga.
Corda puellarum subitas impellit in iras
Causa leuis, parua conciliátq; mora.
Ecce fauent dictis, plausúmq; dedere columbæ,
Haud frustra est, pacis dat bona signa Venus.

Ad Hieronymum Castellum medicũ, memorans cum plurima, tum Strozię domus clarissimos viros & pace, & bello.

Cærula iam roseo vehitur super æquora curru,
Ignea producto quæ fugat astra die,
Principiúmq; refert anni, celebrésq; calendas,
Quæ nomen seruant Iane vetuste tuum.
Admiranda quibus magni mysteria regis,
Nostra colit vera relligione fides.
Iam vaga discurrens puerorum turba per vrbem
Annua porrecta flagitat æra manu.
Nec minus incipiunt varijs prodire puellæ
Cultibus, atq; omni quæritur arte decor.
Illa gradum profert tyrio spectabilis ostro,
Cui premit ornatas lucida gemma comas.
Candidáq; aurata circundat colla catena,
Quæ leuiter niueos verberet apta sinus.
Illa gerit virideis habitus, hæc induit albos,

Huic fluit ad rutilos aurea palla pedes.
P ars ferugineo, nigro pars gaudet amictu,
Et nullus festa cessat in vrbe color.
I nterea grauibus iuuenum manus anxia curis,
Huc illuc trepidum fértq;, refértq; pedem.
H ic dominæ lento sequitur vestigia passu,
Plurimáq; incœptum causa moratur iter.
I lle per anfractus notæ regionis amicam
Præterit, atq; alia est obuius inde via.
H ic coràm alloquitur tenero sermone puellam,
Fingit & ad comitem vertere verba suum.
H ic oculis, alter suspirans indicat ignem,
Alter compositis dat sua signa notis.
A ncillam furtim solennibus ille Calendis
Conuenit, ac Dominæ munera ferre iubet.
E t tremulum mittit quod crinibus inserat aurum
Quod leuis afflatu ventilet aura suo.
I lle dat Eoa lectos de merce lapillos,
Ille dat Arabia stamina texta manu.
H ic donat quicquid solers Hetruria misit,
Hic quicquid tellus Parthenopæa tulit.
A lter vbi instituit, quo munere donet amicam,
Nuntia fit mentis littera blanda suæ.
H æc iuuenum quisquã tota nunc segnis in vrbe,
In quorum cœptis mentibus hæret amor.
M e puer iste diu curis exercuit ijsdem
Castelle, & studium par fuit ante mihi.
I lle rudem primo castrorum in parte recepit,
Post etiam experto signa ferenda dedit.

Septimus à decimo cum iam succederet annus,
Signaret teneras cum mihi barba genas:
Hic noctes, totósque dies consumpsimus, hinc se
Gaudia nostra, dolor, spésque, timórque dabant.
Nec deerat, cui luce sacra mea dona dicarem,
Et, sua quæ nobis mittere vellet, erat.
Illa sibi fidum quoniam crudelis amantem
Prodidit illa mei finis amoris erit.
At non parua mihi restant solatia, de me
Quod nullo poterit perfida iure queri.
Sic modo felicem placidis amor extulit alis,
Tangeret vt magnos gloria nostra Deos.
Et modo per casus miserum iactauit acerbos,
Præcipitémque suæ misit ad ima rotæ.
Atque adeo nil dulce suum mihi præbuit vnquam,
Maxima quin fellis copia mista foret.
Quid graue seruitium, quid summa pericula narrē?
Quid Dominæ nimia de leuitate querar?
Perfidiámne prius damnem, morésve sinistros?
Aut mala, quæ demens per duo lustra tuli?
Vix quondam vltrices tenuit mora tāta carinas,
Cum cecidit graïa dardana Troia manu.
Me tamen haud vlli poterant auertere casus,
Fidáve amicorum flectere consilia.
Nam rectos animi sensus dum blanda voluptas
Vicit, erant oculis hæc aliena meis.
Nec puduit leuibus tantum persistere cœptis,
Multa mihi licuit dum meliora sequi.
Cum iustis animum stimulis accendere posset,

Sanguine ab Hetrusco Strozia ducta domus.
Non obscura quidem, nec auiti nominis expers,
Et quæ non patriæ nobilitate caret.
Illa nec antiquis opibus, nec prole virorum
Indiget, vt numero sit populosa suo.
Et seu facta iuuat bello, seu pace referre,
Non contemnendos gens tulit ista viros.
Iustitiæ vexilliferum, qui summus habetur
Hæc Florentino prima dedit populo.
Tempore Athenarum quo dux oppresserat vrbem
Seruitio, & populos nobilis Arne tuos,
Hæc tunc immanem patribus coniuncta tyrãnum
Expulit, & tristeis fortiter vlta minas.
Ferrariam turmis hostilibus vndiq; cincta,
Liberat hoc ipso sanguine natus eques.
Cuius ne merito fraudetur carmine nomen,
Franciscum veteres hunc vocitastis aui,
Scilicet externis dominis seruire nepotes
Noluit, Estensis quos tegit vmbra domus.
Nec Tyburtina proprijs dominatus in vrbe
Hannibal, auspicijs prætereundus erit.
Cui quondam magnæ fama virtutis, & æqui,
Iura sui populus detulit imperij.
Hac genitum stirpe Vbertum modo Mantua vidit,
Insignémq; opibus, consilióq; virum.
Tu quoq; natorum felix grege Carole quondam,
Lumen eras patriæ, præcipuúmq; decus.
Hac genitor Nannes descendit origine, cuius
Vitæ conueniens exitus ille fuit.

Qui patriæ ductor victorem reppullit hostem,
Obuius & proprio pectore clausit iter
Quà toties tristi bellorum exercita fato,
Iactat se campis Brixia fertilibus.
Quid Marcelle tuas versu sequar optime laudes?
Et quos nunc etiam secula nostra vident?
Hinc tibi Pallas adest omni memorabilis æuo,
Quem genitum docta Pallade nemo neget.
Lubrica quem nunquam potuit fortuna mouere,
Siue aduersa illi, siue secunda foret.
Heu qualem amisit discors Florentia ciuem?
Nunc veluti numen, gens Patauina colit.
Fer tamen æquo animo, non hic tua crimina Palla
Pertulit illustreis ista ruina viros.
Sic etiam magnum damnauit Roma Camillum,
Sic & Aristides pulsus ab vrbe sua.
Vos quoque dilecti referam mea lumina fratres,
Nec pudor his fuerit vos numerare viris.
Túque licet tua Nicoleos nondum occupet ora
Canities, æuo nec grauiore premat,
Non te ita gessisti, non sic vixisse videris,
Vt mens defuerit, consiliúmve tibi.
Quid præfecturas, & pubescentibus annis
Tradita commemorem sæpius imperia?
Adde quòd externas legatus missus ad vrbeis,
Non oneri fueris, dedecorive tuis.
Audijt Alphonsus te rex hoc munus agentem.
Vidit Romani curia pontificis.
Hinc gentes petis Hetruscas, Venetúmque Senatum,

Et quos nunc populos dicere longa mora est.
Ipse etiam Cæsar titulo donauit equestri,
  Cum subijt lætæ mœnia Ferrariæ.
Magnanimus populo cum dux plaudente creatus
  Borsius, & medio structa theatra foro.
Temporis illius quis gaudia dicere possit?
  Cum canerent ipsum plébsq; patrésq; ducem?
Picta coronati proceres vexilla ferebant,
  Signáq; gestabat plurimus alba puer.
Non vario nostri caruerunt flore capilli,
  Veráq; prosilijt pectore lætitia.
Turba puellarum speculis affixa domorum,
  Spectabat plenis agmina fusa vijs.
Forsan & ex illis aliquam nouus abstulit ardor
  Mirantem Latios Teutonicósq; duces.
Ipse inuectus equo felicia vota suorum,
  Et placida lætos excipit aure sonos.
Hæc tamen humanos in tanto culmine mores
  Nostri maiestas exuit illa dei.
Deditus huic primis Laurentius hæsit ab annis,
  Et pacis fidus militiǽq; comes.
Illius at princeps morum candore probato,
  Immemor officij noluit esse sui.
Muneráq; ampla dedit, summis & honoribus auxit,
  Dignatus socium rebus habere suis.
Nec matura ducis spreuit te cura Roberte,
  Cum studium, atq; fidem nosceret ille tuam.
Prætereo quòd sis (neq; enim noua gloria nobis
  Venit) ab hispano rege remissus eques.

Summa tibi laus est, quòd prudentissimus Heros
  Sic tua iudicio comprobet acta suo.
Duxerit vt dignum cui terras ipse regendas
  Indomitæ vellet credere flaminiæ.
Hos inter super vnus eram, quem clara mouerent
  Nomina, quem laudum sollicitaret amor.
Improbus irrisit meditantem magna Cupido,
  Struxit & ocultas callidus insidias.
Incertáq; leues sensum dum mente labarent,
  Se noua forma malis obtulit ominibus.
Quæ mihi non hominis quicquã (nisi vera negẽtur)
  Ast immortalem visa referre Deam.
Hac ego sum captus iuuenis lentúsq; rudísq;,
  Nec rigida sæui natus in vrbe Getæ.
Illa meo victrix iniecit vincula collo,
  Quæ Venus è solido facta adamante dedit.
Vincula quæ fessi decimo vix soluimus anno,
  Error vbi misero pectore vanus abit.
Iam mihi mutandus vitæ tenor ille prioris,
  Atq; alios ætas flagitat ipsa modos.
Sæpe solet lapsos dolor ad meliora vocare,
  Et mala nonnunq̃ causa fuere boni.
Inclyta ni Danai vastassent Pergama, nunq̃
  Condita Iuleo sanguine Roma foret.
Pygmalionei sceleris commota forore,
  Nobilis egregium fœmina struxit opus.
Ast ego fallacem toties expertus amicam,
  Multáq; perpessus, quæ meminisse pudet:
Tandem fœmineas didici cognoscere fraudes,

Casibus & cœpi doctior esse meis.
Iámq; nouis animum studijs effingere nitar,
Exempli admonitus, consiliiq; tui.
Nanq; semel satius quàm nũquam ad sana reuerti,
Ponitur hic leuibus meta suprema iocis.
Quòd nisi præcipitem mea me fortuna tulisset,
Ni sensus omnis eripuisset amor,
Sollicitæ poteras olim succurrere menti,
Vnus eras nostro tu medicina malo.
Nam quoties monitis sanare fidelibus ægrum
Tentasti, & cœpta me reuocare via?
Sæpe etiam nostra memini te sorte dolentem,
In gemitu lachrymas non tenuisse meo.
Sic neq; cessabas vrgens auertere fatum,
Dum licuit dubijs tradere rebus opem.
Méq; vbi prolapsum penitus grauis impulit error,
Et miserum pressit certa ruina caput,
Haud infelicem voluisti linquere amicum,
Quæq; in te pietas debuit esse, fuit.
Ergo Scylla prius, Scyllæq; aduersa Charybdis
Præbuerint fessis puppibus hospitium,
Ante suo Nereus gelidas admiserit arctos
Æquore, terra polus fiet, & ignis aqua,
Mutatæ prius accipient noua corpora formæ,
Quàm nostro emigret pectore cura tui.
Quippe & amicitiæ veteris te cogimur vsu,
Et meritis in nos semper amare tuis,
Pluráq; sunt etiam, quibus aspera flectere possis
Pectora, & immiteis conciliare feras,

Conuenit ingenio iucundæ gratia formæ,
  Nobilitas animi nec latet illa tui.
Est in te probitas nullius conscia culpæ,
  Qua tibi mortaleis allicis, atque Deos.
Quicquid & ingenui sentit mens plena vigoris,
  Exprimit ornatis lingua diserta modis.
Ipse etiam medica præfecit Delius arte,
  Restinxitque tuam Gorgonis vnda sitim.
Scilicet humanas vt possis carmine menteis,
  Corporáque auxilijs ægra iuuare tuis.
Non te prætereunt naturæ arcana potentis,
  Non homini quicquid fas didicisse fuit.
Sed licet ingentis superet noua gloria laudes,
  Et sublime tuum nomen ad astra ferat,
Non tamen à recto senecta modestia calle est,
  Séque intra metam continet illa suam.
Sic te humili potuit virtus secernere vulgo,
  Et charum magnis reddere principibus.
Respicit in primis ducis indulgentia nostri,
  Et probat ingenium Borsius, atque fidem.
Téque sibi electum, vitam cui crederet omnem,
  Prosequitur magnis non sine muneribus.
Nec tibi dux tantum, quantum Ferraria debet,
  Et populi auspicijs quos regis ille suis.
Nam cunctos pariter seruato principe seruas,
  È cuius pendet nostra salute salus.
O ego quàm felix talem sortitus amicum,
  Itala cui multos non tulit ora pares.
Illum ego ni gratus studio complecterer omni,

Quem gens Caucaſeis rupibus orta colat,
Et ferrum, & ſilices, adamantáq; vincere poſſem
Durus, & indomitis ſæuior eſſe feris.
At quoniam tuus è cunctis ſe partibus in nos
Effundit longo tempore notus amor,
Fortunámq; meam, quæcunq; erat illa, putaſti
Communem ſemper non minus eſſe tibi,
Lætus eris cum me meliori ſorte videbis,
Non vlli addictum viuere ſeruitio.
Quódq; meo expulerint veteres de pectore curas,
Sacra feres magnis debita numinibus.
Nunc vt priſca ſequar, ſoliti veſtigia moris,
Accipe ſolenni munera noſtra die.
Munera, non gemmis vllis pretioſa nec auro,
Nec quæ phidiacum nobilitarit ebur.
Sed quæ pegaſides ſuaſerunt mittere Nymphæ,
Et Cyrrhe Dominus, biſgenitúſq; puer.
Ingratam his olim memini gaudere puellam,
Cum legeret laudes illa ſuperba ſuas.
His tu muneribus ſuccedere dignior, hæc ſint
Antiquæ certum pignus amicitiæ.
At tu ſæue puer procul hinc cum matre recede,
Et ſine ſecuros nos agitare dies.
Non ego deſerui tua caſtra, ſed ipſe relictus
Nunc vitæ cogor conſuluiſſe meæ.

Ad eundem.

m Iraris noſtræ diuturna ſilentia muſæ,
Atque intermiſſum carmen amice doles.
Rurá ve cur potius teneam procul vrbe relicta,

Gratáve cur nobis ſint loca ſola, rogas.
Atque leueis cur ſic videar tenuatus in auras,
Riſus & à vultu fugerit ille meo.
In primis cuperem nunquam hæc tibi cura fuiſſet,
Triſtitiam vt velles tu quoque noſſe meam.
Ane quære nimis duros audire labores,
Et quæcunq; pudor me reticere iubet.
Nam metuo, nouus in lucem ſi venerit error,
Ne leuitas animi ſit manifeſta mei.
Cum repetam rurſus, quod fruſtra fortis, & aſper
Culpaui, mea dum ferueret ira nimis.
Cum tamen is tu ſis, cui non minus omnia poſſim,
Quàm mihi pro veteri credere amicitia,
Occultum retegam tacito ſub pectore vulnus,
Nec graue conabor diſſimulare malum.
Parce tamen quæſo male conuenientia verbis,
Quæ modo legiſti, ſi mea facta vides.
Nam, mihi quæ nuper fuerit ſententia, noſti,
Dum mens auſteri plena rigoris erat.
Tunc quæ magnifico ſum fortiter ore locutus,
Illa ego non vnquam dicta fuiſſe velim.
Et piget in dominam turpeis iactaſſe querelas,
Quæ nunc fida meo, caſtáq; indicio eſt.
Cur animum rapiat ſubita inconſtantia, quæres,
Vrget amor, certa qui ratione caret.
Vrget amor, qui ſæpe deos, hominéſq; fatigans,
Immiti potuit ſubdere ſeruitio.
Qui nos præcipue petit improbus, & male perdit,
Deſpecti vindex non leuis imperij.

Ille male extinctos iterum ferus excitat igneis,
Ille nouis fixit pectora vulneribus.
Præsentisq; mali species, extremáq; vitæ
Conditio, ostendunt quàm sit amarus amor.
Et mihi nunc demum videor sentire calores,
Sicelis ignifero quos alit Ætna iugo.
Quos neq; sedarit glacies Rhiphæa, nec Hebrus,
Nec Phaëthontei flumina magna Padi.
Et quos, vt video, nulla vnquam extinxerit ætas,
Ipse licet vincam secula mille senex.
Vos syluæ testes, & vos habitantia syluas
Numina, qualis inest pectore flamma meo.
Scitis enim solus dum lentis passibus erro,
Quos edam gemitus, qualia verba loquar,
Illius vt nostro semper versetur in ore,
Incisum vestris nomen in arboribus.
Vos homines, vos Di nostros audistis amores?
Et Padus, & celeri proxima fossa Pado.
Ipsi iam pisces, ipsæ mea tristia norunt
Fata feræ, & mecum sæpe queruntur aues.
His ego nunc pressus curis, noctésq; diésq;
Torqueor, oblitus Pieridum, atq; mei.
Conuentúsq; hominum celebres, vrbémq; perosus
Frustra desertis perditus abdor agris.
Et quocunq; tuli gressum miser vsq; latentem
Inuenit, & lateri sedulus hæret amor.
Hæret amor, qualem nulli experiuntur amantes,
Et qualem nulli dicere fas fuerit.
Hinc graciles artus macies, pallentiáq; ora

Occupat, & rapidi turbinis instar agor,
Et seu lux orbem retegit Phœbeïa, siue
Stellatum profert nox taciturna caput,
Sollicito occurrit forma insidiosa puellæ,
Nec patitur somni, nec meminisse cibi.
Tunc ego sole magis nitidos admiror ocellos,
Noster vbi posuit spicula mille Deus.
Extremo quorum lux eminus ardet in orbe,
Quæ facit, vt viuam, dispereámque simul.
Illis quicquid habet præstans natura decoris,
Quicquid iucundi, lætitiǽque dedit.
Tum longi subeunt crines, quos improba quondam
Implicuit collo sæpius illa meo.
Ipse ego quos felix varijs ornare solebam
Floribus, & propria pectere sæpe manu.
Gratia formosi subit oris, eburnáque ceruix,
Et niuibus puris anteferenda manus.
Qua natura nihil, nihil ars formosius vnquam
Effinxit, roseis quæ nitet articulis.
Occurrunt agiles motus, & candida membra,
Gratáque procēri corporis effigies.
Me tamen hoc vnum stimulis exercet amaris,
Quòd repetit veteres mens male sana iocos.
Et quæcunque simul dum fata secunda fuerunt,
Egimus, illa meo pectore fixa manent.
Ipsáque delitijs quondam loca conscia nostris,
Pabula dant lachrymis, materiámque meis.
Atque ita fortunæ cogor meminisse prioris,
Ex omni crescunt vt mea parte mala.

O mihi perpetuos facies paritura dolores.
  O male luminibus lumina visa meis.
Nunquam igitur placida securi pace fruemur?
  Fletibus æternis nec modus vllus erit?
Quòd nisi deuictam mentem spes blanda foueret,
  Isset ad extremam fabula nostra manum.
Atq; meos casus ægre ferretis amici,
  Cum cinis exiguus, & leuis vmbra forem.
Forsan & ex vobis aliquis, quem Cynthius audit,
  Scriberet in tumulo talia verba meo.
Hic tegitur Titus lento consumptus amore,
  Impia cui mortis causa puella fuit.
Hæc quisquis legeret, sortem miseratus iniquam,
  Diceret, infelix qualis amator eras?
Sedibus Elysijs tua molliter vmbra quiescat,
  Vere vbi perpetuo ridet amœnus ager.
Molliaq; irrorant salientes gramina riui,
  Et leuibus folijs abdita garrit auis.
Forsitan & lachrymas pius indulgeret, & idem
  Serta daret gelidis myrtea marmoribus.
Tu sine admissus magnæ penetralibus aulæ
  Aspectu frueris, colloquióq; ducis,
Seu diuina tibi Ciceronis scripta leguntur,
  Seu Stagiritæ verba diserta senis,
Siue Plato, seu te pictura moratur Homeri,
  Seu legis altisoni grande Maronis opus,
Siue quid egregium solita grauitate reponis,
  Quod præsens ætas, posteritásq; probet,
Seu tua de rerum solers facundia causis,

Differit, aut magna sidera mente notas,
Seu prodire paras ægris laturus amicis
Gratum Pæonijs artibus auxilium:
Cura mei subeat, nec fido corde recedat,
Si mens hæc vni dedita amice tibi est.
Et quoniam prohibent aliter me viuere fata,
Et de me certa est alea iacta manu:
Supplicibus votis mecum pia numina flecte,
Ne mihi difficilis perstet amica diu.
Tunc ego diuinos ausim superare poëtas,
Fingere Pierio carmina digna choro.
Vósq; intermedius placida versabor in vrbe,
Et pleno cupiam lætus adesse foro.
Nec grauius tulerim, siquis mea gaudia quæret,
Mœstave mutarit cur nouus ora color.
Interea grauis insano stridore procella
Dum furit, ac ventis æquora pulsa fremunt.
Ipse sub exigua timidus statione latebo,
Si tamen huic statio est, quo feror, vlla mari.

TITI VESPASIANI STROZAE EROTICON LIBER SEXTVS.

Bagarini accipitris laudes.

Iqua tuas lector Bagarini venit ad aureis
Forsitan ex aliquo fama relata loco,
Ille hic, Cosmiaca, pulcherrima cuius imago,

Ac veræ similis, tam bene picta manu est.
Non fuit accipitres inter formosior alter,
Nec magnis meritis charior vllus hero.
Néve quis ignoret propriæ data præmia laudi,
Ex ipso discat carmine qualis erat.
Purpureis maculis plumam insignibat & auro,
Qualis apum decorat corpora picta color.
Penna fuit dorso si non argentea, saltem
Argento similis, vel speciosa magis.
At procēra caput ceruix fulcibat honestum
Desuper, inq; oculis viuidus ardor erat.
Cauda nec in longi speciem temonis abibat,
Nec breuis, at potius inter vtrunq; fuit.
Acer inhærebat pugno, & formidinis expers,
Horrebat nullas nocte diéq; manus.
Blanditijs gaudebat heri, placidéq; mouebat
Alternos agili dexteritate pedes.
Nulla recusabat capiti velamina mitis
Accipere, & tanq̄ luce careret, erat.
Illo non alius pernicibus ocyor alis,
In miseras tanta strage ruebat aueis.
Non fuga perdici, non magni corporis ingens
Phasiacis robur profuit alitibus.
Non illum vano cuccus deceperat astu,
Dum vagus incertas itq; reditq; vias.
Non tibi se eripuit turtur Bagarine sequenti,
Non velox pennis, & pede segnis anas.
Congressúsq; tuos corui tremuere feroces,
Et picas leto tradere lusus erat.

Haud facile euasit, quem tu semel vnguibus hostis
 Attigeras, quamuis strenuus ille foret.
Quinetiam paruas volucres placidissime rerum
 Ad domini assueras ipse referre manus.
Nec minus ex altis ad sibila prima redibas
 Arboribus, medium sole tenente diem.
Téque canum quamuis auidorum læderet error,
 Præda sub hamato dum pede capta iacet,
Non tamen ingenuum tibi cor excanduit ira,
 Parcebas, veniæ certáque signa dabas.
Ad speciem si res deducitur, omnia magna,
 Et præclara quidem nemo fuisse neget.
Ista sed immitti virtus te funere rapto
 Ecquid erit paucos post Bagarine dies?
Aut nihil, aut aliquid, de quo non multa loquantur
 Ipsi etiam, qui nunc fortia facta probant.
Multos prisca viros insigneis protulit ætas,
 Extincto quorum corpore fama iacet.
Mortaliq́ue manu totum quæcunque per orbem
 Sumptibus immensis structa fuere, cadent.
Hoc facit annorum series, nisi temporis atros
 Exuperent morsus scripta diserta virum.
At tibi si nequeo vitæ immortalis honorem
 Non permansuris tradere carminibus,
Si mea iam notis sparsere liquoribus ora
 Sandalus, & Nymphæ quæ loca sacra colunt.
Qualiscunque mihi libato venit ab amne,
 In laudes surget spiritus ille tuas.
Et memor officij semper gratúsque, piúsque,

Incidam tumulo talia verba tuo.

Hoc iacet accipitrum Bagarinus gloria saxo,
Quem tali dignum munere duxit herus.
Ne stygis ad nigras inhumati corporis umbra,
Siquis adhuc remanet spiritus, erret aquas.

Mustellæ laus, & Epicedion.

t E'ne igitur nobis eliso gutture talem,
Mustella infelix, & miseranda refers?
Sic laqueo pendes alto delapsa cubili?
Suspensæ auxilium sic tibi nemo tulit?
Sic oculos, linguámq; geris, sic frigida tortis
Pallent ora labris? sicq; relinquis herum?
Quis referat gemitus vbi perculit Herculis aureis
Non expectati fama sinistra mali?
Nil ponit puero te gratius esse, nec illi
Morte tua quicq̃ tristius esse potest.
Tu digitos blando tentabas improba morsu,
Porrecto ludens semisupina pede.
Et mollem è labijs noras sorbere saliuam,
Et quiddam exiguo murmure dulce queri.
Tu fera passeribus pestis, sturnisq; fuisti,
Quos trahere è nidis ars tibi summa fuit.
Téq; suis visa pullis timuere columbæ,
Et magnis auibus paruula terror eras.
E heu quàm varijs sors casibus omnia mutat,
Quàm felix aliquid non sinit esse diu.
Quò vigor ille animi? quò strenua corporis illa
Dexteritas abijt? quò nitor ille tuus?

Haec simul inuoluit crudelibus Atropos vmbris,
Nulláque sunt de tot signa futura bonis.
At mea si quicquam promittere carmina possunt,
Gloria (crede mihi) non moritura tua est.
Iam te nec praesens, nec postera nesciet aetas,
Aeternúmque tuus nomen habebit honos.
Ne tamen alitibus sis praeda, aut esca per vndas
Piscibus hinc illinc diripienda nates,
Calliroë lugens pueri commota dolore,
Membra sepulchrali ponit humanda toro.
Aurea quem multo reddentem flore catena
Circuit, & tristeis itur ad exequias.
Turbáque Nympharum puerorum flente corona,
Muneribus varijs officiosa vacat.
Iam viridi in luco Galatea, & Lysis, & Aegle
Struxerunt niuea saxea busta manu.
Glaucia fert violas, amaranthum Ceiris, & Herò
Iuniperi baccas, Deiopea crocum.
Ast Ephyre lauros, serpylla Cithaeris, adonim
Cypria, Narcisum Chloris, Idyia rosas.
Hypsipylaea gerit casiam, Cardelia myrtum,
Abrotanum Psyche, lilia Phyllis habet.
His simul, atque alijs tumulū bene olentibus herbis
Implent, & saxo corpus inane tegunt.
Tum superinijciunt quot gignit terra colores.
Omnis & Assyrio fragrat odore locus.
Iámque omnes dixere vale, vale optima quondam
Bellatrix, domino chara ministra tuo.
De te siquid adhuc extincto corpore restat,

Semper sis felix, Elysiumque colas.
Proxima quinetiam taleis in cortice versus
Populus indicium funeris huius habet.
Hic mustella iaces pueri dolor Herculis ingens,
Pro meritis Dryades hunc tibi dant tumulum.

Ad Gasparem quendam, quem crudeliter
occisum vxor assidue deplorat.

i Lla tuos Gaspar casus quæ fleuerat absens,
Cum miseræ primum fama relata necis.
Parte carens animæ, quam tecum hinc ipse tulisti,
Testibus huc fertur condolitura Deis.
Et memor illius, quem non simularat amoris,
Accendit geminas ad tua busta faces.
Tristis vbi spargit violas, & thura, crocúmque,
Omniáque hæc largo flebilis imbre rigat.
Et complexa tuo gelidum pro corpore marmor,
Sæpe vocat maneis dulcis amice tuos.
Sæpe vocat, téque extincto crudeliter omnem
Spem queritur mœstæ procubuisse domus.
Nec minus affligi se nunc per sidera iurat
Morte tua, luctu nec leuiore premi,
Quám tibi siue soror, seu vestri sanguinis vna
Esset, si fallit, quæque nefanda ferat.
Ecce tibi hæc studio meditor dum pauca fideli,
Nox abit, atque diem Lucifer ortus agit.
Inuita hinc discedo, vale charissime Gaspar.
Et tua præsenteis sentiat vmbra deos.
Quòd tibi si dabitur cælestia regna tenere,

Opta illa nobis in regione locum.

Carminis authorem lector ne quære, sed vnum hoc
Dicere me satis est, huic ego amica fui.

Nec quia per tenebras solo comitata dolore
Aduenian, nostrum hoc argue consilium.

Sic opus est, sic res, pietásq;, fidésq; requirunt,
Et facti ratio dissimulanda mei est.

Blancæ Estensis Encomion.

Æ Musa Pieridum, & magnæ certissima cura,
Palladis, Estensem virgo quæ tollis ad astra
Eximia virtute domum, cui non tulit ætas
Nostra parem, quid primum in te mirabile dicam?
Unde tuas nunc incipient mea carmina laudes?
Hinc mihi sese offert regali grata venustas
Digna supercilio, & præstantis gloria formæ,
Hinc decus antiqua deductæ ab origine regum
Stirpis, & imperij occurrit sublimis auiti
Maiestas, per mille gradus, seriémq; virorum
Ad magnum reuoluta ducem, quam Borsius ipse
Facta patrum superans, titulis ingentibus auxit.
Egregias animi dotes, ac nobile tantis
Ingenium superadde bonis, & quæ tibi nullo
Improba fortunæ eripiet violentia casu.
Ista simul repetens animo, subsistere cogor,
Ingeniiq; labat tantæ sub pondere molis
Cymba grauata mei, neq; enim discernere prõptũ est.
Quàm cui nos deceat laudum præferre tuarum.
Sed quoniam neq; opes, nec candida forma, nec ætas

Florida vitali fruimur dum lumine semper
Certa manent, quæ hæc in te sunt Blanca, relinquo.
Illa magis, quæ vulgus iners ignorat, & olim
Quæ tibi largita est diuum indulgentia, verbis
Exequar, illa equidem multum miróroq;, probóq;,
Tempore rara tuo, & paucis communia tecum.
Qualis enim, quantúsq; tuo sub pectore regnet
Doctrinæ cælestis amor, legúmq; sacrarum,
Quæ tua relligio, quæ sint pietásq;, fidésq;,
Insignis vitæ ratio, & sine labe, verendi
Testantur mores, ac mens obnoxia nullis
Criminibus, sed recta, operúmq; inimica malorum.
Quid nunc virginei referam præclara pudoris
Munera? quo laudū i genere, haud superaris ab vlla.
Et licet ante annos iuuenili ætate, senilis
Mens tua facta regat leuibus contraria curis,
Non tamen vsqueadeo Lachesis te pectore agresti
Finxit, & indocilem gestu formauit inepto,
Vt rudis ad molleis choreas, cantúsq; sonoros
Accedas, quibus & raro ludénsq; vacasti,
Non sine laude tamen. sacrā quid Apollinis artem,
Quid concessa tibi Citharæ solennia dona
Commemorem? & digitos dulci cum voce loqueteis?
Iam manuum artifices omnis labor iste tuarum
Exuperat, solérsq; tuo concedit Arachne
Victa magisterio, atque parem sibi diua fatetur
De capite orta Iouis. studiúmq; fauore benigno
Nobile prosequitur, nec talibus inuidet Orsis.
At quicquid lenibus filis connectis, & auro

Docta simul varios apte immiscere colores,
Quicquid acu pingis, longum est narrare, neq; inter
Singula versari, quanuis pulcherrima ducam,
Est animus: taceo phaleras, ensisq; decori
Vaginam insignem, & tanto dignissima dona
Principe, mille tua perfectos arte labores,
Qui laudem simul, & magnum meruere fauorem.
Prætereo & quicquid populi peruenit ad aureis.
His aliud tibi maius inest, quod nulla tacebit
Posteritas, noménq; tuum indelebile reddet.
Te chorus Aonidum secreta per auia ductam
Pierios haurire lacus, vmbrásq; subire
Lauriferi nemoris, sedésq; habitare beatas
Permittit, comitémq; sacri iubet agminis ire.
Hinc fluit ingenuus vigor, hinc sublime videmus
Ingenium, hinc nitidi facundia prouenit oris.
Siue libet facileis numeris includere versus,
Libera seu pedibus componere verba solutis,
Siue quid ipsa paras graiæ non inscia linguæ,
Nec satis est si te nuribúsq;, virísq; latinis
Præferimus, quos nostra vident nūc secula, sed iam
Vatibus æquari meruit tua laurea priscis.
Quòd si Pegasidum vestigia clara sequenteis
Miramur, colimúsq; viros, quàm iusta puellam
Gloria tale aliquid meditantem ad sidera tollet?
Cum tibi præsertim maiorū splendor, & altæ
Nobilitatis honos, qua nunc illustris haberi
Ipsa etiam poteras nullo accedente labore,
Staret, & in magnis opibus fortuna teneret,

Regaleis inter mensas, cultúsq; beatos,
Quæ facile & forteis animos infringere, & almis
A studijs reuocare solent: neq; inepta loquacis
Grandibus auertit cœptis sententia vulgi
Spernentis, quæ vana putat: nec te mouet id, quod
Vatum cura sibi, & musis hoc tempore cantet.
Immortale igitur nomen virtutibus istis
Blanca feres, nec te maiorum sanguine ab alto
Degenerem arguerit, cum postera venerit ætas
His amor, atq; hominũ studia incenduntur honesta,
Certatimq; colunt, eadem hæc tibi numina Diuum
Conciliant, magnúsq; pijs affectibus ardens,
Se fratrem, patrémq; tibi dux Borsius offert.
Atq; ita percepto laudum rumore tuarum,
Ille comes, bello præstans Federicus, & armis,
Nec rationis egens, Vrbini optauit ad vrbem
Te duxisse nurum, & charo coniungere nato.
Eheu quàm votis hominum contraria sepe
Fata obstant, neq; habet certum fortuna tenorem?
Quæ miseranda tuos lugebunt carmina casus
Infelix puer, ac teneris extincte sub annis?
Heu quanto patriæ gemitu, quantóq; parentum
Illuxit funesta dies, quæ te vltima terris
Abstulit, incœptos frustra abrumpens hymenæos,
Spémq; simul, tantæ quam mox dabat indolis ardor.
Non ego te lachrymas illo tenuisse pudicas
Funere Blanca reor, quanquam tibi nomine tantum
Cognitus ille foret, túq; illi nomine tantum
Cognita, & alterius faciem ignorauerit alter.

Hoc mihi persuadent manifesti signa doloris,
Velatúmq; diu caput, & lugubris amictus,
Quódq; inclusa domi nunquã spectanda per vrbem
Incedas, nisi virginibus cum inuisere sacris
Templa habitata iuuat, cœtu comitante pudico.
Ista tibi insignem sine fine modestia famam
Per genteis dabit, & laudes occasus, & ortus,
Australisq; plaga, & gelidis Aquilonibus horrens
Audiet ora tuas, téq; alti regia cæli
Agnoscet, tellúsq;, & saxa loquentur, & vndæ.
Perge puellarum decus, & quà dextera monstrant
Numina, carpe viã, atq; animi bona (quod facis) alto
Imperio, atq; opibus regum potiora superbis,
Et niueo, roseóq; magis pretiosa colore
Esse puta, & musas, pulchrósq; amplectere honores
Palladis, hæc tristeis nobiscum ferre procellas
Fortunæ poterunt, quoties contraria surget,
Illa cito effugiunt. nec qui certamina segnes
Prospiciunt, sed qui pugnant, meruere coronas.

Ad Blancam eandem.

a Spice sidereo facilis mea munera vultu
Sanguine magnorum nata puella Deum.
Munera si tantum spectes, haud digna videntur,
Illa in regaleis Blanca venire manus.
Maxima sed certe luces, si nostra putabis
Quæ sit in Estensem, ménsq;, fidésq; domum.

Ad eandem.

O Latiæ virgo decus admirabile gentis,
O soror, & magni filia chara ducis,
Quam decor, & vitæ commendat candor, & ætas,
Virginei comitem Phyllida sume chori.
Ad te miratrix laudum, frutrixq; tuarum
Venit ab Hetrusco dia puella solo.
Et pudor, & pietas gratam fecere Dianæ,
Artibus his eadem chara futura tibi.

Ad Herculem filium.

Iam satis errasti campis vagus vrbe relicta,
Venatu satis est, aucupióq; datum.
Iam nullam alitibus, nullam tua retia fraudem
Furtiua nitidis piscibus arte parent.
Certus enim rerum modus est, & frigidus aër
Te monet ad studij cœpta redire tui.
Binas esse vias diuerso tramite constat,
Lucida quæ nostrum nomen in astra ferant.
Hunc pia relligio clarum accedente Minerua
Efficit, huic petitur sæua per arma decus.
Non tamen has facile est nobis attingere metas,
Et summum tanti culmen adire gradus,
Vt inuida ni virtus animi mortalia corda
Incitet ad laudem, desidiámq; fuget.
Quæ natura tibi dederat, si corpore læso
Aut fors, aut casus comminuere, bona,
Nec satis es bellis aptus, rebúsq; gerendis,

Quas duræ poſcunt munera militiæ.
Dotibus egregijs animi tibi quærere famam,
Et morum ingenua dexteritate potes.
Iſta quidem (ſed tu nimium caue tollere criſtas
Laude mea tumidus) lætor ineſſe tibi.
Adde, quòd æqualeis inter, non vltimus idem
Ad ſacra Pieriæ pocula curris aquæ.
Currentémq; pari geminæ duo lumina linguæ,
Baptiſta hinc, illinc Ripa fauore iuuant.
Sunt etiam noſtri clariſſima ſanguinis acta,
Exemplum ad laudem quæ tibi nate ferant,
Néve per illuſtreis proauos, atanóſq; vagemur,
Quorum ſi ſpectes longius agmen habes,
Reſpice Nannis aui quæ gloria, quantus in illo
Splendor non falſæ nobilitatis erat.
Pacis enim, belliq; modis excelluit inter
Egregios cìueis, magnanimóſq; duces.
Hinc tibi Nicoleos, illinc Laurentius, inde
Hoc etiam genitus Nanne Robertus adeſt.
Hos imitare, quibus ratio pulcherrima vitæ
Non leue pro meritis nomen habere dedit.
Principibus noſtris rerum experientia charos
Reddidit, & longo tempore nota fides.
Hi neq; fortunæ flatu intumuere ſecundo,
Nec grauibus victi ſuccubuere malis.
Taleis quippe animos virtus, doctrináq; præſtant,
Altáq; mens nulli ſubdita nequitiæ.
Ingenium voto ſi par mihi fata dediſſent,
Ipſe quoq;, hos inter quem ſequereris, eram.

Non tamen omnino conatus despice nostros,
Si præter studium nil tibi forte damus.
In magnis neq; enim rebus spernenda voluntas,
Si vacat officio, segnitieq; caret.
Quod facies igitur, nisi fallor, nate libenter
Hortor, iners caueas tempus abire tibi.
Tempore vix homini quicquam pretiosius, illo
Si rectis fruimur sensibus esse potest.
Commodius fido sed vt hoc sub iudice fiat,
Ad præceptores ipse recurre tuos.
Penè subirati Baptista, & Ripa morantem
Nomine sæpe vocant, teq; carere dolent.
Nec magis affectus natis pater vllus, & ambo
Ardent ingenti laudis amore tuæ.
Impiger oblatum mox arripe munus, & acri
Corrige cessatos sedulitate dies.
His audire viris, & inaneis ponere lusus
Cura sit, ac veris inuigilare bonis.
Factáq; non tantum, sed pectoris intima nostri
Noscere, nec falli numina posse puta.
Hoc bene compositæ pulcherrima gaudia menti
Suggeret, ac viuens laude fruere tua.
Post vbi desieris mortalem ducere vitam,
Præmia felici digna labore feres.

Ad Ripam.

r Ipa, licet Regum genus alta ab origine ducas,
Exuperet phrygium forma superba Parim,
Ditibus incedas gemmis oneratus, & auro,

Seruet inexhaustas ferrea turris opes.
Structuræ egregio quamuis domus ordine pulset
  Alta laboratis sidera marmoribus,
Pomiferi nemoris te protegat vmbra per æstum,
  Serpat vbi gelidæ riuus amœnus aquæ,
Nec tibi deficiant, quæ desidiosa voluptas
  Appetit, haud ideo te rear esse Deum.
Imò ea si videam te fati munere adeptum,
  Et studium vitæ pendeat inde tuæ,
Non à me pluris fieres, quàm Matthusa, qui nec
  Quicquam in se pensi, nec rationis habet.
Sed tibi non desunt longe his meliora, quibus fit,
  Nomen vt obseruem Ripa diserte tuum.
Cui magis est Latiæ nitor & facundia linguæ
  Cognita? quis Graio doctior eloquio?
Quis iuuenum tanto moderari examine menteis
  Nouit? & ingenuis artibus imbuere?
Tu rectum sequeris, vitium fugis, optima suades,
  Tu sanctæ constans cultor amicitiæ.
Non tibi tabificus carpit præcordia liuor,
  Non te spes vana credulitate regit.
Non animi vireis frangit dolor, improba non te
  Transuersum attonitis sensibus ira trahit.
Te iuuat alterius benefacta audire, nec vlli
  Detrahis, atq; bonos officiosus amas.
Te fors non potuit male sana per otia talem
  Fingere, sed virtus & labor, & ratio.
Ergo tibi meritas certant impendere laudes,
  Ad quos fama tui peruenit ingenij.

Horum ipse in numero tenui licet ore susurrem,
Conor idem, tu, qui te veneratur, ama.

Ad Philomelam.

Æ Musa diuini suauissima carminis ales,
Quæ virides vmbras, & loca sacra tenes.
Mollibus, & varijs quæ tot discrimina vocum
Flexibus, humana dulcius arte refers.
Munere pro tali tibi quid Philomela rependam?
Præmia quæ tanto digna labore putem?
Dum vagus huc illuc hortis genialibus erro,
Miror & artifici culta vireta manu.
Hospitis officio tu protinus vsa benigni,
Fingis in aduentu carmina mille meo.
Nec procul hinc densis canis abdita frondibus, altæ
Ilicis in ramo, populeis've comis.
Verum hic iuniperi insidis mihi proxima trunco,
Non imitabilibus me venerata modis.
Et licet hac perstem tibi tam vicinus in vmbra,
Deq; tua suaui garrulitate loquar.
Nil tamen ipsa times, nec gutturis ista canori
Sedulitas ideo dulce remittit opus.
Grata sed in longum luco resonante querela
Ducitur, argutis continuata modis.
Nos vero tali quoniam dignaris honore,
Dicimus in laudes hæc tibi pauca tuas.
Humanas auium quæ mulcent cantibus aures
Cedere carminibus carmina cuncta tuis.
Viue diu, similisq; tui generata propago,
Finiat extremum non nisi sera diem.

Hortatur se ipse, vt ad amicam properet.

I Te citi, volucreisque pedes præuertite ventos,
Et loca delitijs quærite nota meis.
Nota meis loca delitijs, vbi candida sæpe
Mecum dignata est ludere Philloroë
Philloroë nullis faciem perfusa venenis,
Cui proprius roseo fulget ab ore color.
Cuius inauratos cupiat sibi Cynthia crineis,
Cui facileis oculos inuideant charites.
Formosásque manus, doctísque laboribus aptas,
Iuret per simileis ipsa Minerua suis.
Tum reliquis agiles respondent partibus artus,
Nec tu in ea vt quidquam carpere Mome queas.
Talis erat virgo Cæneia, talis & altum
Per mare dictæo vecta puella boue.
Talis erat fului decepta cupidine nimbi,
Et quam sub falso, lusit olore Deus.
Talis erat vatum Omphale celeberrima cantu.
Talis & Idæo rapta Lacæna proco.
Talis & illa fuit, quæ me sibi iunxerit olim
Nondum iuratam fallere docta fidem.
Cuius ego immite imperium tot perditus annos,
Multáque non sano pectore digna tuli.
Sed tua Philloroë quamuis collata deabus
Ambiguum valeat reddere forma Parim.
Candida simplicitas, tumidóque carentia fastu
Pectora, sunt ipso grata decore magis.
Adde fidem, quam nec coniux Ithaceia vincat,

Nec Mithridateas quæ comitata vias.
N ec quæ tartaream properauit adire paludem,
Defunctum Euadne sponte secuta virum.
T e licet in primis cupiam formosa videre,
Vixq; breui patiar tempus inane moræ,
T riptolemi tamen haud optem cōscendere currus,
Ire nec in celeri Bellerophontis equo.
A ut leuibus Persei volitare per aëra pennis.
Aut furibunda tua currere Cholchi rotis,
N ec Zeroastreas arteis, magici ve requiram
Carminis auxilium, Dædaleámve fugam,
N ec mihi, si liceat, pedibus talaria curem
Picta galeriti nectere Mercurij.
V nus enim nobis poterit satis esse Cupido,
Quo duce, susceptum perficiamus iter.
Qui mihi semper adest, leuibúsq; quòd excitat alis
Nostrum furtiuo flamine corpus aget.
V ix mihi iam videor pedibus contingere terram,
Vincit & humanos strennua planta gradus.
S ublimisq; pari quamuis discrimine Phœbus
Distet ab Eois, occiduisq; locis,
E t canis exurat sitienteis feruidus agros,
Mutáq; sub densa fronde quiescat auis,
Non tamen accelerans immenso lædor ab æstu,
Nec mea longinquum membra fatigat iter.
Quóq; magis propero, tanto magis ipse labori
Sufficio, & vireis impiger auget amor.
H eu quanto afficeret me sors inimica dolore,
Siqua meum subito causa teneret iter.

Et mihi iam ſenior properanti occurrat amicus,
Quem fugere oblatum me pudor ipſe vetet,
Singula qui vario cupidus ſermone requirat,
Scitetúrq; viam, propoſitúmq; meum.
Multáq; contexens longis ambagibus erret,
Atq; importunus multa referre velit,
Ut Ferdinandus magni poſt fata parentis
Auſonias terras, Parthenopénq; regat.
Nuper vt vrbano Florentia concita motu,
Triſtia det miſeris ciuibus exilia.
Ut trepidus Borges Romanam liquerit vrbem,
Mœſtáq; pontificis funere turba ſui.
Ut pius inſignis magna virtute, fidéq;
Æterni in terris iura parentis agat,
Sforciadem, Venetúmq; probet, quòd fœdera pacis
Securus ſtudio ſeruet vterq; pari.
Hinc Malateſtigenæ miretur principis arteis
Bellorum egregias, eximiúmq; decus.
Illinc innumeris Federicum laudibus ornet,
Præſtantémq; manu, conſilióq; ducem.
Nec minus Eſtenſeis heroas, & inclyta facta
A primis orſus dicat originibus.
Ingreſſúſq; tui titulos genitoris, & acta
Conferat ad laudes ſe Leonelle tuas.
Unicus hinc Phœnix latio dux Borſius illi
Argumenta nouæ præbeat hiſtoriæ.
Et referat quantũ noſtro ſit in Hercule laudis,
Et Siſmundæo qualis in ore decor.
Tum patris, & patrui veſtigia clara ſequentem

Estensem his cupiat iungere Nicoleon.
A ddat & immitem Turcam, nostráq; ferocem
Segnitie, & captis vrbibus excidia.
I am Pelopea Getas regnare per oppida, iámq;
Adriaci in populos arma parare maris.
Quòd suadente pio Federicus Cæsar in hostem
Ardeat, & vireis concitet ipse suas,
Quòd paret ingentem commota Britãnia classem,
Et repetat forti Sequana regna manu.
P arte alia veteres hostes insurgere Gallos,
Tutanteis magnis viribus imperium.
N ec regem oblitum Italiæ, charive nepotis,
Maximáq; ad Ligures mittere subsidia.
E rgo ne similis turbet noua gaudia casus,
Neu videar dominæ lentus, inérsq; meæ,
N unc precor aërio nebulæ circunder amictu,
Qua Venus Ænean induit alma suum.
S ic demum iussas potero contingere sedeis
Tutus, & optatam cernere Philloroën.
D um loquor, & celeri moueo vestigia passu,
Extremæ apparet meta propinqua viæ.
I am procul aspicio seruantem compita quercum,
Et veteres fagos, populeúmq; nemus.
E cce leni flatu teneris de frondibus exit,
Et cadit in faciem lenior aura meam.
H uc ego crediderim Zephyrum migrasse tepẽtem,
Captum sideribus chara puella tuis.
Qui mihi non stulte sibi consuluisse videtur.
Chlorida si pro te deserit ille suam.

Nam quid in extremis vidit pretiosius oris?
  Quid nunc in nostro pulchrius orbe videt?
Læua Padi ripas, vetus at mihi dextra sacellum
  Monstrat, & amnosæ culmina parua casæ.
Quam lentis ederæ complexibus vndiq; cingunt,
  Delet vbi raros alta senecta deos.
Nil ibi vel Zeuxis, vel magnus pinxit Apelles,
  Nil ibi Phidiacæ composuere manus.
Lignea crux vero media quæ pendet in æde,
  Egregia clari Mentoris arte caret.
Penè suis conuulsa trahens de sedibus olim
  Fundamenta rapax sustulit Eridanus.
Proximáq; aggeribus ruptis per culta vagatus,
  Mucida sacrilegis tecta repleuit aquis.
Muscosus templi paries, humórq;, sitúsq;
  Præteriti reddunt tristia signa mali.
Nec procul hinc sterilis campi septena Sacerdos
  Conductis pauper iugera bobus arat.
Huc mea simplicibus Nymphis comitata Dione
  Cincta caput vario flore venire solet.
Cuius in aduentu templis augustior ædes
  Omnibus, hæc cunctas vnica vincit opes.
Ecce diu latitans aperitur villa remotis
  Arboribus, charæ villa beata Deæ.
Protinus hac visa celeri præcordia motu,
  Venturæ exultant præscia lætitiæ.
Quid mihi fiet amor, blandos cum cernere vultus
  Fas erit? & niueam cum dabit illa manum?
Tunc ego non dubitem Crœsi contemnere gazas,

Et tot Pellææ clara trophæa domus.
Siquis enim crispos ad frontem ludere crineis
Viderit, & quali se ferat alta gradu.
Nouerit argutis eadem quid possit ocellis.
Vt mortale nihil dulcia verba sonent.
Sentiet Ætnæis certanteis ignibus igneis,
Et poterit constans æqua, & iniqua pati.
Quòd si forte alicui dignabitur oscula ferre,
Altera vel proprio sanguine lætus emet.
Vulnus & auxilium quod Pelias hasta tulisset
Mirabar, fati nescius ipse mei.
Desino nunc, faciléq; inducor vt omnia credam,
Si necis, & vitæ ius habet vna meæ.
Illa quidem media Phalarim placaret in ira,
Tardarétq; tuas sæue Perille manus.
Terribilémq; suis oculis mitescere Martem
Cogat, & iratum ponere tela Iouem.
Felices agri, fortunatiq; coloni,
Quæq; simul colitis rura benigna Deæ.
Nanq; vbi vere nouo genialia tendit in arua.
Vobiscum dulceis protrahit illa moras.
Vobiscum loquitur, vobiscum carmina cantat,
Vobiscum faciles exhilarátq; choros.
Et modo vobiscum cultis spatiatur in hortis,
Et modo plena vago retia pisce trahit.
Nunc manibus doctis imitatur Palladis arteis,
Nunc molleis elegos, & mea verba legit.
Fallor? an hæc Ceiris dominæ charissima nutrix
Substitit? ac verso respicit vsq; gradu?

En rapidis iterum fertur cita passibus, ipsa est,
Notáq; vt accedam, dat mihi signa manu.
Progrediar, quærámq; meis fiducia votis
Quæ sit, quidve noui sedula portet anus.
Quòd tua si præsens aderit solertia amanti,
Talibus officijs aurea Ceiris eris.

Ad Carolum.

SI vigiles curæ, subitus si pallor in ore,
Si crebros gemitus edere, pauca loqui,
Si nunc iucundo, nunc tristi incedere vultu,
Si sperare aliquid, plura timere simul,
Si properare modo, modo lento incedere passu,
Si vario mentem flectere proposito,
Si fora, si cœtus hominum vitare frequenteis,
Indicium præbent Carole amoris: amo.
Si quid amem quæres, vbi nos malefida reliquit
Anthia, successit candida Philloroë.
Philloroë nullis faciem perfusa venenis,
Cui proprius roseo fulget in ore color.
Illa mihi furtim me surripit, hanc sequor vnam,
Hac sine non videor viuere posse diem.
Huius ego insignem non tantum Carole formam,
Verum etiam mores, ingeniúmq; probo.
Illa meis leges oculis imponere digna est,
Illa meos sensus abstulit, illa tenet.
Illa tenebit, erunt donec vaga sidera cælo,
Donec erit tellus, æquora donec erunt.

Philloroës Amicæ Epicedium.

Q Vo miser vsque tuos celabis Tite dolores?
Ægráque mens tacitū quo premet vsque malū?
D issimulare prius licuit, dum sol tibi fulsit
Candidus, & placidæ spes bona sortis erat.
N unc fera consilium superat violentia fati,
Nunc ars indomito victa dolore perit.
M axima sæpe latent sub tristi gaudia vultu,
At sua cor læsum non bene damna tegit.
I nfandos luctus, & vulnera pectoris ede,
Atque ea, quæ nulli nota fuere prius.
Quæ si forte times hominum vulgare per ora,
Sylua locum lachrymis præbet opaca tuis.
S ylua locum præbet lachrymis, vbi semita nulla
Cernitur, humani signa nec vlla pedis.
H ic querulas tantum volucres habitare, ferásque
Credibile est, procul hinc arbiter omnis abest.
S ol, cuius radios vmbrosa cacumina syluæ
Huc vix oppositis frondibus ire sinunt,
Qui nunc Hæmonij non immemor ignis, & vndæ
Forsitan hic mecum condoliturus ades.
T estis eris nihil esse mihi, cur viuere curem,
Ætheria postquam lux mea luce caret.
N am quid ego hic aliud, nisi durū, ac flebile semper,
Sublata sperem te mihi Philloroë?
T u meus ardor eras, in te mea maxima cura
Hæserat, & voti summa, capútque mei.
A t nunc à patria sæui contagia morbi

Dum fugis, indigno funere rapta iaces.
Et mihi iacturæ tantum, tantúmque doloris,
Conditio diræ mortis acerba tulit,
Ut semper misero iustissima causa querelæ
Crescat, & æternis commorer in lachrymis.
Heu sæuæ leges, & dura potentia fati,
Humanum sinitis quæ nihil esse diu.
An fuit omnino vestras infringere vireis,
Si paucos etiam viueret illa dies?
Nunc primum viridis campos ingressa iuuentæ,
Non extremus honor temporis huius erat.
Dedecet immiteis, & acerbos carpere fructus,
Illum, quem culti spes tenet ulla soli.
Vos quoque tam subito decus hoc, talémque puellam
Nondum matura morte tulisse nefas.
Serius, aut citius vestri mortalia fiunt
Iuris, & hæc illi sors adeunda fuit.
Heu funesta dies, nigro damnanda lapillo,
Tristibus infaustum nomen adepta malis.
Qua puri quondam radios imitantia Phœbi
Deseruit solitus lumina mœsta nitor.
Qua bene compositos artus, faciémque serenam,
Flauenteisque comas inuida texit humus.
Qua vigor ingenui defecit corporis, & qua
Tabuit egregijs artibus apta manus.
Qua vox illa prius morientibus æmula cygnis,
Cœpit in æternam muta silere diem.
Quáque pios actus mors interrupit, & altæ
Infregit mentis nobile propositum.

Heu nimium miseri, infortunatiq; parentes,
Conficiet verus quos sine fine dolor.
Vos luctu assiduo sensum amisisse malorum
Crediderim in vita, quos mora longa tenet.
An potuit vestros Niobe superare dolores?
Cognitáq; aduersis casibus Anthiope?
Plurima nanq;, licet vtræq; tristia passæ,
Haud minor hæc illa clade ruina fuit.
Seu mores, siue ingenium, seu gratia formæ
Quæritur, aut priscæ nobilitatis honos,
Hæsit in hac vna simul harum gloria rerum,
Huius in occasu tot periere bona.
Sic vestra in primis ægre iactura ferenda est,
Nec dabit his ætas fletibus vlla modum.
At sacer ex illo tunc, cum discederet ore
Spiritus, & vestras quæreret illa manus,
Inq; oculis vestris cum lumina fixa teneret,
Quid vobis animi consiliiue fuit?
Si quenquam potuit præsens extinguere mœror,
Perdere vos etiam debuit illa dies.
Non habitura parem ter quinq; peregerat annos
Philloroë vestros inter adulta sinus.
Philloroën vobis tantum ostendisse videntur,
Et subito vobis eripuisse Dei.
Non generum vobis, non charos illa nepotes
Præbuit, aut dotis dona parata tulit.
Diuitiisq; breui gauisa, & honore parentum,
Mox erit exiguus filia vestra cinis.
Sed quid ego infelix vestra infortunia tantum,

Ipse velut patiar vulnera nulla, queror?
Igne cupidineo quicunq; fideliter arsit,
Vnica cui præstans cura puella fuit,
Cui placitum subitis fortuna abrupit amorem
Casibus, ærumnas cogitet ille meas.
Ille suo exemplo poterit mea tristia fata
Discere, & arcani pectoris acre malum.
Si possent aliquà cælestia numina flecti,
Nec vetitum certis legibus esset iter,
Quod prius obtinuit stygijs à manibus Orpheus,
Sollicito superi nunc mihi forte darent.
Si proprios iterum leuis vmbra rediret in artus
Carpere concessas me duce iussa vias,
Forsitan admonitus, quo rursum perdita pacto
Flentem mœsta virum liquerit Eurydice,
Cautius ingrederer nocitura pericula vitans,
Et quæcunq; solent gaudia magna sequi.
A miser, atq; iterum miser, & sine pectore Tite,
Quò dolor impellit? quæ tibi verba cadunt?
Tune Deum stabili firmatas ordine leges,
Credideris certam deficere ante diem?
Cum semel hinc alium raptæ mittuntur in orbem
Terrenásq; animæ deseruere domos,
Præmia pro meritis referunt, sedésq; paratas
(Sic statuit superum prouida cura) tenent.
Corpora nec surgunt letò defuncta, priusquam
Vltima iudicij venerit hora sui.
Si tamen æterni veneranda potentia regis,
Qui cælo, & terris imperat, atq; mari

O mnipotens qui ſolus agit, mirabile quicquid
Cernimus, & quicquid lumina noſtra latet,
S i tibi Philloroën nunc illa potentia reddat,
Ne noceas huic, quam diligis ipſe, caue.
N am niſi vera loqui piget, his egreſſa tenebris,
Ætherijs gaudet ſedibus illa frui.
E t pudor, & nulli pia mens obnoxia culpæ,
Rectum iter ad ſuperos vnde receſſit, habet.
P hilloroë felix terris colit aſtra relictis,
Magnorum in numero iam noua diua Deum.
P ro quibus inducor, ne non ego gratuler illi,
Ne videar tantis inuidus eſſe bonis.
A t quoniam ſolitos miſero mihi cernere vultus
Non datur, & placidæ gratia frontis abeſt,
D um moror in terris, dum tu colis æthera virgo,
Accipiet lachrymas dulcis imago meas.
H æc tibi Philloroë ſimilis vera omnia de te,
Si modo non deſit ſpiritus, ecce refert.
H æc mihi grata comes ſeu tendere ſolis ad ortum,
Seu iuuat Heſperium viſere littus, erit.
H æc mihi ſi Geticas rupeis calidámve Syenen
Transferar, in charo ſemper habenda ſinu,
H uic ego curarum ſeriem narrabo mearum,
Et quoties cupiam te mea vita ſequi.
N anq; vbi in humanis nulla eſt conſtantia rebus,
Quid ſpe fallaci paſcere vota iuuat?
I lli vita fuit longiſſima, quiſquis honeſte
Occidit, & ſpretis quæ videt, alta petit.
I nterea dum fila ſinunt mea currere Parcæ,

Nec summi iniussu Regis abire licet,
Candida quòd releuent afflictum insomnia lætor,
Effigiem referunt quæ mihi sæpe tuam.
Nam quoties nitidi capitis pulcherrimus ordo,
Per somnos oculis visus adesse meis?
Attonito quoties gemini se luminis ardor
Obtulit? & miro nota decore manus?
Mutua quid referam, quæ tu mihi sæpe videris
Accipere, & solitis reddere verba sonis?
O ego quàm tali deceptus imagine felix,
O placidæ noctes, ò mihi grate sopor.
Atque vtinam non tam subito me somnus, & error
Linqueret, ac mecum staret vterq; diu.
Scilicet vt tecum maneam pulcherrima, donec
Longa meæ veniant tædia lætitiæ,
Dum mortalis eras, neq; adhuc te in parte Deorum
Regia siderei viderat alta poli,
Sola tamen mihi numen eras, & criminis expers
Candidus impura labe carebat amor.
Te supplex igitur meritis pro talibus oro,
Per fratrem, per qui te genuere precor,
Vt tua præsentes superos mihi gratia reddat,
Vtq; mei nunquam non memor esse velis.
At me nulla tui capient obliuia, seu me
Lux alat, æterna siue ego nocte premar.
Et quæ præcessit Maias octaua Calendas
Postquam non vltra tu mihi visa dies,
Illa mihi solennis erit lachrymosáq; semper,
Indicium tanti, principiúmq; mali.

Hic tibi dum licuit nobiscum ducere vitam,
Me tenuit laudis maxima cura tuæ.
Nunc quoq; neu præsens, neu postera nesciat ætas,
Qualis sub gelido marmore Nympha cubet.
Ipse tuum nostro signaui carmine bustum,
Quà Padus illabens, rura paterna videt.
At quicunq; leget miseri monimenta doloris,
Verba sibyllino tradita ab ore putet.
Qua nihil in terris tulit hæc pretiosius ætas,
Quæ potuit credi, dum fuit, esse Dea.
Philloroë iacet hic teneris extincta sub annis,
Proxima Ferrariæ dum tenet arua suæ.
Tempore quo misera pestis bacchatur in vrbe,
Nec sors vicinis parcit iniqua locis.
Crudeles nimium diui, crudelia fata,
Perdere quæ tantum sustinuere decus.

Ad Psyttacum.

Psyttace quid frustra misero mihi nuper adeptã
Philloroën tanta sedulitate vocas?
Parce precor, parce insanos augere dolores,
Heu perijt, quam tu viuere forte putas.
Parce, meo toties animam de pectore vellis,
Philloroën quoties blandula lingua refert.
Heu perijt, neq; eam spes amplius vlla videndi,
Quam propter nobis viuere dulce fuit.
Si sensus tibi, si ratio est, vt habere videris,
Communi tristem te decet esse malo.
Non sum equidem oblitus, tibi quæ responsa vocãti,

Poſcentiq; dapes ſæpius illa daret.
Et memini, aurato cum te prodire iuberet
Carcere, porrectam te inſiluiſſe manum.
Atq; illinc dulcem roſtro parcente ſaliuam
Suxiſſe illæſis molliter è labijs.
Poſt vbi diuinæ laudaras ſidera frontis,
Non homo dicebas, ſed Dea Philloroë eſt.
Priſca ſalutato ſi paucis Cæſare verbis
Nigranteis ætas nobilitauit aueis.
Quid tibi facunda fingenti plurima voce
Tam bene, tam docte, Pſyttace laudis erit?
Laudo equidem, ingenium miror, debere fatemur
Nos tibi, nulla tuis gloria par meritis.
Sed ratio, & tempus, fortunáq; lubrica, certam
Dant noſtris legem rebus, & eripiunt.
Hæc igitur nos cauſa monet deſiſtere cœpto
Nonnunquam, & placitum flectère propoſitum.
Quid loquor? vnde meæ tanta inconſtantia mentis?
Quod modo damnaram Pſyttace, nunc cupio.
Forte meis aliqua ratus es te poſſe mederi
Luctibus, hos vbi ſum dictus adiſſe lares.
Quódq; ita ſit, cum me triſti mœrore ſilentem
Vidiſti, & multo rore madere genas,
Tu quoq; commotus grauiter, ſociúſq; doloris,
Ecce pijs lachrymis lumina mœſta rigas.
Functus es officio veri & prudentis amici,
Nilq; reliquiſti, quo mala noſtra leues.
Perge precor, dominæq; tuo communis vtriq;
Semper adorandum nomen ab ore ſonet.

Atq; vtinam in sæuo pietas tua vulnere fiat
Tam dulci eloquio Pelias hasta mihi.

TITI VESPASIANI STROZAE AEOLOSTICHON LIB. PRIMVS.

Ad diuum Herculem.

Int licet, Estensis qui clara exordia regni,
Maiorésq; tuos dux generose canant,
Corporis hic dotes referat decus ille iuuentæ,
Ingenij vireis exprimat ille tui.
Sumptibus hic magnis renouata palatia per te
Commemoret, putrem deposuisse situm.
Marmoreisq; forum faciem præferre superbam
Porticibus, populo quas tua cura dedit.
Atq; intersecta iunctarum mole domorum
Directas aditu commodiore vias,
Ædibus vnde tuis veterem prospectus ad arcem,
Et noua ad Herculeum semita ducta forum,
Hic refugi quamuis coëuntia brachia muri
Dicat, & inclusis condita septa feris.
Hic miratus opes regni confinia ponat
Tyrrhenos fluctus, Adriacúmq; fretum.
Bellorum egregias arteis, & prælia narret
Alter, & Herculea parta trophæa manu.
Nec sileat positas alter cælestibus aras,

Et canere electos ad tua sacra viros.
Atq; Sacerdotes huc te curante vocari,
Quos sacer insignit relligionis amor.
Ille licet Regem socerum, susceptáq; nuper
Coniuge de tanta pignora bina canat:
His maiora tamen princeps iustissime restant
Virtutes inter connumeranda tuas.
In te prisca fides, pietásq; insignis, & omni
Labe carens animus, nec simulatus amor.
Et tibi dilectos, quibus es gratissimus ipse,
Æqua dux cineis optime lance Regis.
Nec sinis, vt tumido comitata potentia fastu
Sit damnosa bonis, iustitiámq; premat.
Nec tibi cura minor rabiosas tollere liteis,
Quæ grauibus causam sæpe dedere malis.
Nec digno sine honore tuos, opibúsq; relinquis,
Quorum stat longo tempore nata fides.
Ista malos probitas licet oderit, vlláq; nunquam
Pax sit cum vitijs, criminibúsq; tibi.
Serus, & inuitus sonteis, velutiq; coactus,
Puniri vultu commiserante iubes.
Nec propria accendit plus æquo iniuria læsum,
Parcis, & offensas dedidicisse libet.
Illa sed in primis populum clementia mouit,
Cum pene extincto reddita vita reo est.
Mors erat ante oculos, desperatáq; salute,
Infelix laqueo iam periturus erat.
Sed tua semianimem subito mitissime Regum
A certa reuocant iussa benigna cruce.

Quantos ille dies plausus, quæ gaudia sensit?
Quot nomen laudes concinuere tuum?
Téq; necem, vitámq; potes qui tempore eodem
Largiri in terris, diximus esse Deum.
Atque, vt præteriti repetatur temporis ætas
Duxisti in patria quo puer vrbe moram.
Cuius ego tecum viridi nutrius in æuo,
Possum non vanus testis adesse tibi,
Ingenuæ tantum potuit vigor indolis, vt iam
Spes ingens de te concipienda foret.
Parthenope excepit florenteis protinos annos,
Ac belli studijs acribus erudijt.
Atque sub Alphonso, quo non vel pace, vel armis
Clarior alter erat, prima iuuenta fuit.
Téq; videns animis ingentem Alphonsus, & armis,
Constituit primos inter habere suos.
Hic tu quid dextra posses, Pandonius heros
Sensit, nec tanto es territus ipse viro.
Atque lacessentem contra impiger arma tulisti.
Terribilísq; diu, sæuáq; pugna fuit.
Turpi fraude salus hosti quæsita, tuásq;
Integer euasit non tamen ille manus.
Quid Calabras acies? quid Sarni prælia dicam?
Quid tibi tot victos terga dedisse duces?
Interea accitum patrias te diuus ad oras
Participem imperij Borsius ire iubet.
Hinc Mutinã, & Regiũ, castelláq; plurima princeps
Committit curæ protinus ipse tuæ.
Haud facile expediam, quo tu susceptus honore,

Quantus & in nostris mentibus ardor erat
Ut te conspecto magni subiere parentis
Tot merita, & vestræ splendida facta domus.
Tu quoq; subiectas regis æquo examine genteis,
Clarorúmq; sequi te iuuat acta patrum.
Quid tibi legatos missos, quid munera dicam?
Quid Venetum fidei credita signa tuæ?
Quid referam quibus ipse viris, quo castra paratu
Ingressus? de te spes ibi quanta fuit?
Quid Molinellæ decus admirabile pugnæ
Prosequar? ingenteis res petit ista sonos,
Et tantum paruis elegis committere pondus
Haud penitus sani pectoris esse reor.
Sit licet, ipse tamen culpari debile carmen
Maluerim, studium quàm reticere meum.
Et satis omnino reliquis fecisse videbor,
Si modo non dicar displicuisse tibi.
Ergo ades, atq; leuem dux maxime respice musam,
Quæ nunc in laudes nititur ire tuas.
Iam pedites, equitésq; ferus concurrere mauors
Iusserat, & præceps mouerat arma furor.
Telorum omne genus iacitur, non hasta, nec ensis
Nec valida cessat claua reducta manu.
Quis Martem indomitũ, stricto quis vulnera ferro
Illata, & cædeis commemorare queat?
Quot tua dextra viros gladio, quot deijcit hasta?
Corpora quot forti proteris acer equo?
Hic gemitus morientum, illic per tela ruentum
Clamor, & horrisonæ clangor ad astra tubæ.

Arma, viros, & equos, & mista cadauera viuis
  Cernere erat, largus sparserat arua cruor.
Parte alia magnus fama, sed pectore, & armis
  Maximus Insubres dux Federicus agit.
Ingentémq; ciet summissis vndiq; pugnam
  Auxilijs, & re, consilióq; valet.
Est via præcipites, quam cingunt vndiq; fossæ,
  Paruus vbi exigua riuus oberrat aqua.
Hunc Ricardinam vocat incola, surripit æstus
  Quas illi vireis dat glacialis hyems.
Et nisi cum largo descendit Iuppiter imbre,
  Pandit arenosos glarea nuda sinus.
Huc omnis rerum moles, belliq; procella
  Vertitur, atq; ingens agmen ab hoste ruit.
Exiguo comitum numero stipatus, ibi omnem
  Vim perfers, vnum tela inimica petunt.
Conantúrq; loco depellere, & vndiq; sæuos
  Ingeminant ictus, hinc eques, inde pedes.
Dat strepitum crebris tinnitibus aurea cassis,
  Æra procul vasto pulsa fragore sonant.
Vt libycus densa campos cingente corona
  Obuia venantum fertur in arma Leo,
Concussísq; iubis ardentia lumina torquet
  Sæuus, & ore fremens, vi sibi pandit iter.
Sic tuus hinc, atq; hinc glomeratos ipetus hosteis
  Dissipat, & ferro fit via lata tuo.
Iámq; incredibilis virtus stupefecerat omneis,
  Et iam retulerant agmina prima pedem,
Plumbea sulfureis glans ignibus acta per auras,

Instar fulminei turbinis ecce ruit.
Téq; petens inter tot millia, vulnere diro
  Partem aufert dextri perniciosa pedis.
Occupat extemplo terrórq;, dolórq; tuorum
  Pectora, dum pugna sanguinolentus abis.
Hic te cuncta acies penè inclinata remoto est,
  Et Colionēi signa repressa Ducis.
At nox interea certamina tanta diremit,
  Tot simul infandas commiserata neces.
Te vero positum saeui in discrimine leti
  Non animi virtus deserit illa tui,
Hortarísq; ducem, vt turbatos opprimat hosteis,
  Et rapiat subito territa castra metu.
Nanq; fore, vt fessi pugna, & formidine caeci,
  Non animis valeant, corporibúsve satis.
Haec tua non vana ductus ratione priusq̃
  Colligerent vireis, perficienda putas.
At dux longe aliter sensit, cecinitq; receptu,
  In sua sic acies vtraq; castra redit.
Inde retrocessit, séq; hostis in arua recepit
  Felsina, & in tuto castra locata solo.
Consiliúmq; tuum merito probat exitus, ac te
  Non parua dignum laude fuisse docet.
Nam tua ni monita omnino reiecta fuissent,
  Hostibus illa tuis isset acerba dies.
Haec hominum vox vna fuit, nec Felstrius heros
  Inuidit famae Dux memorande tuae.
Sed tua non ficto ceram sermone locutus,
  Laudando ad caelum fortia facta tulit.

At Veneti qualis de te fuit ille Senatus
  Mœror? vt ostendit quàm sibi charus eras?
Nos adeo grauiter patrias vbi venit ad oras,
  Afflixit casus nuntia fama tui,
Vt totam ingenti luctu concusserit vrbem,
  Et veras ierit Borsius in lachrymas.
Ille tibi magna cultus pietate, fidéq;,
  Præstabat gratam par in amore vicem.
Norat enim quale amisso decus Hercule, quantum
  Præsidium imperij perderet ipse sui.
Nec Sigismundi fratris minus aspera mentem
  Vulnera torquebant, & sine fine dolor.
Tristiáq; assidue renouans suspiria, nunquam
  Lætus, nunquam expers anxietatis erat.
Nulláq; mulcebant ægrum solatia pectus,
  Et lateri hærebat sedulus vsq; tuo.
Déq; tua propriam ratus est pendere salute,
  Et medicam votis ipse iuuabat opem.
Nec magis in Drusum pietas spectata Neronis.
  Tam longum quanuis accelerarit iter,
Spreuerit & q̃uis extincto fratre triumphum;
  Non tamen in Fabio tam pia cura fuit.
Talis Amyclæos non iunxit gratia fratres,
  Alterna quorum vita redempta nece est.
Qualis vester amor, qualis concordia vestra,
  Qua tu Sismundo vinctus, & ille tibi,
Illa tuæ vero præsens constantia mentis
  Cognita, letali cum premerere malo.
Fortis, & immoto vultu tot acerba tulisti

Supplicia, vt mirum sit potuisse pati.
Tu tristeis succos, tu ferrum passus, & igneis,
Nec vox emissa est Hercule digna minus.
Incolumis tandem post dura pericula fatum
Vincis, & auertit Parca benigna nefas,
Vota fatigatis certatim debita diuis
Reddimus, vlla pia non caret ara prece.
Iam vagus Italiam te conualuisse per omnem
Crebrescens rumor gaudia nostra refert.
Participes huius concurrunt vndiq; gentes
Lætitiæ, & cura est omnibus vna tui.
Deponunt luctus, & te contingere gaudent,
Cordáq; cernendo vix saturare queunt.
Nec mora longa, nouis te frater honoribus ornat,
Primáq; consilij dat tibi iura sui.
Tu caput arcanæ, tu rector, & arbiter aulæ,
Regia magnanimo cum duce frena tenes.
Hinc te cura Deum tandem, admirandáq; virtus,
Prouexit patrij culmen ad imperij.
Sed quot dura ferens superaueris, & tibi quanta
Fortuna obstiterit mole, tacere libet.
Maior enim rerum series mihi surgeret, & quàm
Imparibus renuit tangere musa modis.
At mihi si quicquam duce te præstabitur oci,
Nec me curarum sarcina tanta premet,
Auia forte nouo peragrare Heliconia passu
Incipiam, & plectro te grauiore canam.
Inuentisq; tuis arteis cessisse medentum
Adijciam, & soli pocula nota tibi.

N anq; recrudeſcens antiqui obducta cicatrix
Vulneris, immenſi cauſa doloris erat.
S tillabat virus tumefactis vndiq; labris,
Fecerat ingentem plaga profunda ſinum.
N il admota valent medicamina, nulláq; prodeſt
Ars tibi, quæq; ſolent cuncta iuuare nocent:
A tq; leueis etiam tactus locus ille recuſat
Velle pati, & medicæ ſpes opis omnis abit.
A ttoniti muſſant nil proficientibus omnes
Auxilijs, tanti queis data cura mali.
S tant mœſti proceres, famulorum turba fidelis
Angitur, in magna nil niſi triſte domo eſt.
P er fora ſolliciti coëunt per compita ciues,
Dántq; pios gemitus, & grauiora timent.
E cce repentinæ ſpes eſt oblata ſalutis,
Humanum quam non attulit ingenium.
A nxia te propter, noſtro commota periclo
Numina, Ferrariæ conſuluere ſuæ.
N am tibi monſtrato per ſomnia gramine, ſuccos
Conficis, inde bibens vulnera ſæua rigas.
T anta breui rerum mutatio facta tuarum,
Vt fieri quiſquam vix potuiſſe putet.
O mnis enim ſubito vis eſt ſedata doloris,
Et pars conualuit corporis illa tui.
Quis facileis igitur ſuperos virtutibus iſtis,
Tótq; tuis meritis ſemper adeſſe neget?
O rtus, & occaſus tibi ſint confinia regni,
Sit mare, ſit tellus ſub ditione tua.
E t Lianora diu ſoſpes te ſoſpite coniux

Imperij tecum ſceptra ſuperba regat.
Quæ veluti regum præclaro ſanguine fulget,
Sic forma, & ſancto caſta pudore nitet.
Illa tuo nobis pariat de ſemine Reges,
Quos ſimileis videant ſecla futura tui.
Delitiæq; tuæ magnos genitura nepotes,
In patrio creſcat pulchra Iſabella ſinu,
Quæq; modo ſtellis felicibus orta Beatrix,
Impleat augurium nominis ipſa ſui.
Nec minus incolumem Siſmundum numina ſeruēt,
Qui tibi pacis honos, quo duce bella geras.
Teq; vbi longa ſenem capient faſtidia terræ,
Ad ſuperos felix, & venerandus eas.
Nunc virtute duce, & vero ſuperante labore,
In portu poſtquam eſt ancora fixa tibi,
Quod facis, hoc animo meditare, vt præmia reddāt
Pro meritis, Reges gentibus eſſe datos.
Ac menteis hominum officijs, & amore ligari,
Formariq; bonis artibus imperia.
Deq; opibus tantis poſt vltima fata relinqui,
Nil præter laudes, & benefacta tibi.

In marmore inciſum epigrāma in leporarij ingreſſu quammaximi.

PRata, lacus, ſyluas, paries hic tecta, feráſq;
Claudit, & vnus habet plurima grata locus.
Herculis hæc noſtri præludia, quódq; peregit,
Tam cito vix cœptum fama putabat opus.

Conuiuium factum Romæ à Petro Cardinale.

Sollicitæ quicquid mensis regalibus aptum
Artifici luxu composuere manus.
Præpetibus quicquid liquidum secat æthera pennis,
Quicquid alit tellus, æquora quicquid habent.
Inclyta quos Latias Ferraria misit ad vrbeis,
Ponitur hospitibus maxime Petre tuis.
Sæpe ferunt nobis epulas, Bacchúmq; ministri,
Cœnáq; multiplices dat repetita cibos.
Munera sublimi capientis missa theatro,
Plebis Romanæ plausus ad astra volat.
Nec solum dapibus celebras conuiuia raris,
Sed suaui pascis lumina nostra cibo.
Et quæ temporibus priscis cecinere poetæ,
Arte incredibili scena parata refert.
Cernimus hic altā Rhodopē, vbi Thracius Orpheus
Aurata cecinit carmina docta lyra.
Et varias sine lite feras, volucrésq; videmus
Dulcibus illectas obstupuisse modis.
Aliger hic, toruáq; armatus Gorgone Perseus,
Expositam monstro liberat Andromeden.
Huc face prætenta cristatos dirigit angueis,
Anxiáq; exquirit pignora chara Ceres.
Liber adest, sparsis nec abest Ariadna capillis,
Auratas varia lynce trahente rotas.
Capripedes currum Fauni, Satyriq; sequuntur,
Et madidas ederis implicuere comas.

Hic dea Chironi charum commendat alumnum,
Erudit hunc docta semiuir arte senex.
Hic datur Alcidæ duros spectare labores,
Et comes Alcidę est Deianera suo.
Idem inter socios, atque inter Naidas alte
Eminet, ac festos ducit, obitque choros.
Omnibus Herculeæ pendent ad tempora frondes,
Et iubet ad numerum tibia ferre pedem.
Ecce repentino conuiuia læta tumultu
Centauri turbant, & fera bella mouent.
Hos amor, atque merum stimulis agit vndique duris,
Audacésque inter sæua pericla facit.
Iámque manus Nymphis auidi iniecere proteruas,
Iámque rigat Pelei plurimus ora cruor.
Ecce ruit magni soboles Iouis, & furit ardens,
Semiuirósque graui robore pulsat equos.
Diffugiunt subita perculsi strage bimembres,
Et victor choreas integrat ipse suas.
Lætatur populus, vultu Lianora sereno
Ridet, & Herculeis laudibus ipsa fauet.
Sed cum tanta tuæ dederint spectacula mensæ,
Sunt tamen hæc animo Petre minora tuo.

Ad Platinum.

n Ostra licet vatum careat fautoribus ætas,
Turbáque Pierios spernat inepta lacus,
Non tamen in magna caligine temporis huius
Ingenium latuit docte Platine tuum.
Atra sed erumpit veluti per nubila Phœbus,

Formoſúmq; refert luce nitente diem.
Sic tua ſe propria virtute induſtria tollit,
Nec ceſſit fato, ſuccubuitve malis.
Quinetiam illuſtreis inter, magnóſq; poëtas,
Candida ſublimem dat tibi muſa locum.
Parnaſiq; licet multus verſeris in vmbris,
Fortia non ideo ſegnis ad arma venis.
Hinc ſibi te Mauors, te Phœbus vendicat illinc,
Et geminas lauros impoſuere tibi.
Egregiúmq; decus noſtro quod tempore raro
Vidimus, à gemina laude Platine refers.
Corporis accedunt dotes, morúmq; benigna
Dexteritas, nulli ſubdita nequitiæ.
Nec graue iudicium, neq; amandi recta voluntas,
Gratus facundi nec nitor oris abeſt.
Hæc merito faciunt, vt ameris ab omnibus, vtq;
Ipſe colam tanti nomen, & acta viri.
Quòd vero dignum tali me ducis honore,
Naturæ id mira fit probitate tuæ.
Muneribus qui cum varijs bellóq;, togáq;
Excellas, ſimileis nos cupis eſſe tui.
Quæris præterea quid coniuge, & vrbe reſicta
Nunc duros inter commorer agricolas.
Cantibus, & choreis cum perſonata iuuentus
Nunc vacet, ac fidibus tecta, viæq; ſonent.
Non vt reris amor Pſyches mihi cauſa morãdi eſt.
Nec me Phyllis habet, nec Galatea tenet.
Forſitan hæc fuerant primis cum luſimus annis,
Nunc vxor fido eſt vnica cura viro.

Nam forma quanuis & nobilitate parentum,
Non careat, censu diuite iuncta mihi,
Chara bonis animi magis est Domicilla marito,
Atque nouum ex illa me iuuat esse patrem.
Iámq; mihi vt noto arridens pulcherrimus infans,
Erigit in cunis ad mea verba caput.
Et linguam huc illuc veluti responsa daturus,
Herculis ad nomen, paruáq; labra mouet.
Exiguásq; manus poscenti murmure blando
Porrigit, inq; meos nititur ire sinus.
Has ego delicias quarum dulcissima coniux
Causa fuit, regnis omnibus antefero.
Atq; illi tantum, quantum vix dicere possim
Debeo, nec quicquam hæc gratia fraudis habet.
Cuius si meritis dispar fortuna mariti est,
Nec magnas Crœsi regis habemus opes,
Census adest partus sine crimine, quantus equestri
Suffecisse viro non sine honore queat.
Nec minima de plebe feror, nec laude parentum
Sic tumeo, quin me tollere nitar humo.
At choreæ, cantus, personæ quid mihi prosint?
Effectús causa deficiente perit.
Hos magis ista decent thalamos, quos lege solutos
Improbus aurata cuspide fixit amor.
Ludere quos omni teneras docet arte puellas,
Maximáq; in leuibus ponere vota bonis.
Fecimus hæc olim, sed nondum vinxerat vni
Fœdere nos certo connŭbialis hymen.
Nunc aliter suadet ratio, passimq; vagari

Fas & iura vetant, & pudor, atq; fides.
Addictus quòd si nulla nunc lege tenerer,
Ac fruerer votis, arbitrióq; meo:
Non aliam potius cuperem, Domicilláq; Titi
Tyndaris est oculis, Antiopéq; sui.
Nec rursùm studio musarum inducor, vt absim
Tam procul à vobis, soláq; rura colam.
Interdum, fateor, scribendi summa voluptas
Me rapit, interdum nil minus ipse velim.
Si petis, vnde meæ venit inconstantia mentis,
Omne suas dicam tempus habere vices.
Nũc operã aucupijs damus, ac venamur, & hæc nos
Ruris amatores causa Plătīne facit.
Pascitur his animus, membra exercentur, & inde
Corpus ad officij se genus omne parat.
Adde, quòd à nobis discessit maximus ille
Laudator nostri Borsius ingenij.
Cuius ob interitum lachrymas fudisse Leones,
Et ferrum, & silices ingemuisse reor.
Hoc viuente mihi (neq; enim nisi honesta petebam)
Nil vnquam deerat, nulla repulsa data est.
Ille mihi gratas vrbeis, pretiosáq; rura
Fecerat aspectu, colloquijsq; suis.
Hoc sine cũcta mihi sordĕt loca, displicet vrbs, quæ
Dulce decus rapuit, præsidiúmq; meum.
Sed neq; magnanimi præsens nos gratia liquit
Herculis, ac tutos qualibet ire iubet.
Nec patitur sæuis prædam nos hostibus esse,
Omni cum careat crimine nostra fides.

Quem licet imperij nouitas oneroſa fatiget,
  Et mens ſit curis irrequieta ſuis.
Iuſtitiæ, paciſꝗ tamen certiſſima præbet
  Signa, nec à magnis degenerabit auis.
At tu ſiue Deum ſacras pedes ibis ad aras,
  Seu velocis equi fortia terga premes,
Siue forum, ſeu te ducis aula tenebit, & illic
  Sfortiadæ referas inclyta geſta tui,
Siue Palatinæ molem miraberis arcis,
  Seu Phaëthonteo mœnia cincta Pado,
Seu feſtos luſus, ſeu Schiuinoïa tempe
  Viſis, & auratos, marmoreóſꝗ lares,
Siue ſuburbani Belfloris in ædibus erras,
  Seu petis hirſutis clauſtra parata feris,
Bellica ſiue legis, ſeu mollia carmina fingis,
  Seu formoſa tuum Nympha moratur iter,
Seu te verſari doctos iuuat inter amicos,
  Déꝗ mari, ac terra, ſideribúſꝗ loqui:
Deniꝗ quicquid ages, quicquid meditabere tecum,
  Me, tua quem virtus iam tibi iunxit, ama.

Ad eundem.

t   Itus Stroza tibi generoſe Platine ſalutem
    Non vnam dicit, téꝗ videre cupit.
Floridus ingenij quò ceſſerit ille requiris
  Muſarum ſtudio deficiente nitor.
Et tua me, veri quod ſignum præbet amoris,
  Ad ſolitos reuocant ſcripta diſerta modos.
Certe nil muſis fuerat mihi gratius olim,

Atq; aliquod nostra nomen in vrbe tuli.
Sed neq; me tristem sol tunc, nec Cynthia vidit,
Et mea securo sors mihi dulcis erat.
Siquis enim seriem vitæ, rerúmq; mearum
Quærat, & ætatis lustra priora meæ,
Hactenus egregio successu nostra videbit
Parcarum fausta pensa voluta manu.
Si patriæ splendor, si gloria summa parentum,
Si veteres aliquid esse putantur opes,
Corporis & dotes siquid mortalibus addunt,
His nos inueniet non caruisse bonis.
Nec tamen hæc vnquam summũ decus esse putaui,
Sed vitam ingenuis artibus excolere.
Quod licet ad votum penitus non consequar ipse,
Nil non conatum me tamen esse iuuat.
Dum felix igitur dicebar, & omine dextro
Currebat placido dum mea cymba mari:
Impiger Aonidum colui sacra, méq; iuuabat
Indulgere tuis Calliopæa choris.
Forsan & ex edera potui sperare coronam,
Laurea si capiti serta negata meo.
Nunc fera tempestas, turbantibus æquora ventis,
Vela meæ rapuit dilacerata ratis.
Quot mala, qui circum stent me, si nosse dolores
Curas, & numerus me fugit, atq; genus.
Quòd si etiam scierim sanari vulnera verbis,
Cum mea non possint, illa silenda reor.
Quicquid consilij, quicquid solaminis abs te,
Quicquid præstari posset, habemus opis.

Scilicet & forti (quod solum restat) & alto
Hæc animo certum est qualiacunque pati.
Hoc ipsum vt faceret, natum Carmenta monebat,
Cum profugus patrio cederet ille solo.
Non tamen aut patriæ sedes mutamus, vt arcas,
Aut nobis eadem causa doloris adest.
Sed grauiora premunt animum non digna ferẽtem,
Nullius plector conscius ipse mali.
Et nisi quòd princeps sapiens, fautórque bonorum
Iustitiæque tenax sceptra paterna regit,
Durior (vt video) mihi sors speranda fuisset,
Vnus hic ærumnis est medicina meis.
Cuius ob aspectum non nubila cuncta videntur
Tempora, post Borsi tristia fata ducis.
Quantum illo extincto mors abstulit inuida nobis
Præsidij, & quanto lumine terra caret.
Non illi imperio facies dignissima, non vis,
Gratiáque exculti defuit eloquij.
Mœnibus, ac templis vrbem exornauit, & auxit,
Et varijs posuit tecta superba locis.
Principe nemo vnquam mœstus discessit ab illo,
Illo etiam probitas vindice tuta fuit.
Nec comitata suis astrea sororibus vnquam
Læta magis Latio duxit in orbe moram,
Multáque magnifice largitus, multa reliquit,
Nec patriæ dominus, sed pater ipse fuit.
Tu bello, tu pace bonus dux inclyte quondam
Et charus populis, & venerandus eras.
Te maris, ac terræ Venetus dominator, & ingens

Sfortiades studio te coluere pari.
Tu reges, summósque duces huc flectere, & illuc
Auspicijs poteras, consilijsque tuis.
Ut coràm aspiceret, quem fama nouerat ante,
Hac bis Fedricus Cæsar in vrbe fuit.
Cúmque nouos Borsi meritis tribuisset honores
A duce dona suo Cæsare digna tulit.
Huc & legatos Tyriæ Carthaginis ire
Vidimus, ac regis munera ferre sui.
In patriam quibus exacto redeuntibus anno,
Plura his, quæ tulerant, & meliora dedit.
Ille bis impensis magnis summóque paratu
Deuectum excepit per sua regna Pium.
Nec quisquam Adriacis adeo summotus ab oris,
Qui non illius nomen amaret, erat.
Quid modo cum Romam tota resonante petebat
Certatim lætis plausibus Italia?
Quæ dignis celebre illud iter facundia verbis
Explicet? hac rerum mole Platine premor.
Cum proceres, cultúsque, & equos, pompǽque nitorem
Aspicerent, homines obstupuisse puta.
Quid referam positas, quacunque incederet, aras?
Quid dicam artifici texta vireta manu?
Turis odoratos, ac rerum mille vapores
Quid loquar? & festis omnia plena sonis?
Obuia quid memorem, populorum vt sæpe relictis
Vrbibus, implerint agmina densa vias?
Expositásque dapes triuijs, structísque repente
Fontibus, annosum prosilijsse merum?

Calcatas pedibus violas, casiámque, thymúmque
Prætereo, & suaui lilia mista croco.
Asta coloratis redimita vmbracula sertis
Linquo, & iactatas nostra per ora rosas.
Illi etiam Paulus genus omne indulsit honoris,
Et venerata meum est maxima Roma ducem.
Omnibus officijs hinc certabatur, & illinc,
Spectabátque nouum pendula turba Deum.
Illius auditis stupuerunt laudibus Indi,
Et ferus arctoo Sarmata vectus equo.
Cælifer illum Atlas, & gens Maurusia norat,
Et Thule extremi margine tecta poli.
Nec magis Alciden celebrem fecere labores,
Et tot victrici parta trophæa manu.
Ipse nec armenijs inuectus tigribus Euan,
Perdomito laudis plus oriente tulit.
Polluit hic luxu quæ fecerat, ille coactus
Paruit, at Borsi stat sine labe decus.
Nam si nec telis homines, nec monstra peremit,
Frenum animo victor cum ratione dedit.
Non inuitus ad hæc veni, campúmque patentem
Cursibus optatis Borsia facta dabant.
Ille quidem meruit, nec me id debere negabo,
Et quicquid pietas officiosa valet.
Adde, quòd Herculeis nil gratius auribus esset,
Nam fratris merito gaudet honore sui.
Sed non hæc tempus nūc postulat, & mea nondum
Pectora mœrorem deposuere suum.
Forte dies olim, meliora ferentibus astris,

In noua, quæ lachrymas gaudia vertat, erit.
T unc repetam lætus blandissima numina musas,
Et reuirescet amor carminis ille mei.
H æc tamen interea, q̃uis inculta, benignus
Accipe, ne tua me spernere iussa putes.
S i prodire audent, vt cernis, egentia limæ,
Errorem agnoscunt non minus ipsa suum.
T emporis oblati sed commoditate fruuntur,
Persona tegitur, qui notat ora, pudor.

Ad eundem.

m Ille licet dulceis variet Philomela querelas,
Et docili norit psittacus ore loqui:
I mperet alitibus q̃uis Iouis armiger, ac se
Phœnix Assyrio iactet in orbe coli:
P ost tamen his habitis ratio est nō vana Platīne,
Iunonis sacram cur veneremur auem.
H oc tu quàprimum poteris cognoscere, si rem
Audieris coràm, propositúmq; meum.
T hesea Pirithoo sed te præstare necesse est,
Poscitur hic vero non sine amore fides.

Ad diuum Herculem.

q Vàm iuuat hanc operā tantorū cernere molē?
Et loca tam varijs hæc renouata modis?
Vix vlla apparent vrbis vestigia priscæ,
Quæq; rudes nobis ædificastis aui.
O mnia mutauit nostrorum splendida regum
Cura, nec ille manet, qui fuit ante, situs.

Eximius sedenim nostris dux optime rebus
Additur ecce tua sedulitate nitor.
Nec solum patriam cineis hortaris, vt ornent,
Verum etiam exemplis allicis ipse tuis.
Multáq; non paruo præclara, & maxima sumptu
Extruis, & nulla perficis illa mora.
Quis refugi tandem coëuntia brachia muri
Nescit & Herculeis condita septa feris?
Atque exsiccatas cultum accepisse paludes?
Stagnáq; per ductus currere iussa tuos?
Tu veterem magnis renouasti sumptibus aulam,
Et decor accessit, commoditásq; loco.
Struxistiq; nouum post regia tecta, vetúsq;
Pictura ornasti, porticibúsq; forum.
Impensísq; tuis nasci ceu semina quædam
Innumeras tota cernimus vrbe domos.
Territa difficili cœpto, sumptúq; vetustas
Magnæ imperfectum liquerat arcis opus.
Hanc tu vi nulla expugnandam absoluis, & à te
Redditur artifici pulchra magisterio.
Porticus, & thalami insignes, ac pensilis hortus,
Atriáq;, & fontes, pomiferúmq; nemus.
Ista simul gratos hominum referuntur ad vsus,
Claráq; magnanimi sunt monimenta ducis.
Nec tibi cura Deum minor est, templísq; dicatis
Vertis regaleis ad pia dona manus.
Carthusinam auges spacijs maioribus ædem,
Quæq; videbantur maxima, parua putas.
Fama est Illyricis in montibus esse columnas,

Quantas non ætas viderit vlla prius.
Has operi tua cura nouo dux inclyte iam nunc
Destinat, ad populi commoda grata tui.
Nil nisi magnanimo meditaris principe dignum,
Nil nisi quod deceat, quódq; probetur, agis.
Dux virtus, fortuna comes tibi semper adhærent,
Certatimq; fauent, & tua vota fouent.
Nec tumidum regni te magna potentia reddit,
Sæua nec à recta distrahit ira via.
Et quos longa fides, & amor tibi iunxerat, his tu
Gratus pro meritis præmia digna refers.
Inuictúmq; gerens animum, domitórq; malorum,
Magnum, & conueniens hinc tibi nomen habes.
Viue diu felix patriæ pater, & tibi sospes
Inclyta cum natis sit Lianora tuis.
Atq; vbi regnatas mortali corpore terras
Excuto linques seruus, & astra petes.
Quæ tibi nunc parent præsenti numine gentes,
Respicere, & si fas, semper amare velis.

TITI VESPASIANI STROZAE AEOLOSTICHON LIBER SECVNDVS.

Ad diuum Alfonsum puerum Genethliacon.

Alue magne puer stellis felicibus orte
Diua meo peperit quē Lianora duci.
Cuius vt optatos mundo sol cerneret ortus.
Serus anhelanteis æquore mersit equos.
L ucida nascenti cupies occurrere Phœbæ,
Conquesta est longum segnius ire diem.
E xaudita deis populorum vota, precésq;,
Tandem te nobis hac tribuere die.
Qua rerum ingenti perfecta mole quieuit,
Quam festam iussit maximus esse Deus.
H æc Domini lux est, Dominóq; dicata, tibiq;
Conueniens, regni qui caput huius eris.
A t te prima suis manibus Lucina creatum
Sustulit, & Charites huc coiëre Deæ.
E t tibi gratantes simul arrisere, Venúsq;
Candida Acidalijs membra regauit aquis.
O scula prima dedit, primos inuoluit amictus,
Oráq; purpureis tinxit eburna rosis.
S ed te non alio decuisset tempore nasci
Ausonijs, quàm quo pax viget in populis.
H oc fuit indicium, nullos te principe motus
Armorum, ac belli per tua regna fore.
M ensis & hic, magno de nomine dictus Iuli,

Spondet opes certas, imperiúmque tibi.
I psa quoque auspicijs adsunt felicibus astra,
Atque parant faciles fata benigna vias.
T e nascente grauis Saturni stella maligni
Occidit, assuetam deseruitque domum.
L ibera seruitio domini lætissima cælum
Possidet, & faustos nuntiat vrna dies.
I uppiter at Pisceis præsenti intermicat astro,
Et sedet in gremio virginis alma Venus.
M artem Libra tenet, Solem, Solisque sororem
Sustinet Herculeus, Mercuriúmque Leo.
A tque ita disposito coëuntia sidera cursu,
Promittunt sceptris omnia læta tuis.
S alue magne puer, ducis Herculis inclyta proles,
Estensis iam nunc spésque, decúsque domus.
C hare nepos regum, toto quos orbe potentes,
Ac meritis claros cernimus esse suis.
N ulla tibi potuit generis contingere maior
Gloria, ni cæli missus ab arce fores.
V tque reor laudi desit pars nequa futuræ,
Nomen ab Alfonso grande tenebis auo.
I sta quidem facies animosi plena vigoris,
Et iam nunc tanti corporis effigies,
N il penitus mortale tenent, manifestáque nobis
Herculei reddunt seminis indicia.
H inc comitata suis Astrea sororibus, illinc,
Obseruat cunas attica Diua tuas.
H oc minus ad caput assistit tibi regia Iuno,
Et fortuna tuos excubat ante pedes.

E ia age, cresce puer certissima cura Deorum.
  Blanditiæ magni, delitiæq; patris.
T u quoq; vti posses nobis pulcherrime nasci,
  Erepta est sæuis naufraga mater aquis.
A driaci dominam maris ipsa reliquerat vrbem,
  Ad patriæ portus vela datura suæ.
P rotinus obscura tegitur caligine cælum,
  Consurgit medio nox tenebrosa die.
C œrula terribiles permiscent æquora venti,
  Littoráq; insanis fluctibus icta sonant.
D eucalioneos demittit Iuppiter imbreis,
  Nubibus abruptis fulgura crebra micant.
H inc Notus, inde ruit Boreas, hinc Eurus, & illinc
  Africus horrisono turbine bella gerunt.
C orripiúntq; rateis, ac sæuis flatibus instant,
  Hic dextrum, at læuum mox latus ille ferit.
H ic furit in proram, puppim contrarius alter
  Verberat, & vasto cuncta fragore fremunt.
F lamina flaminibus, fluctus dum fluctibus obstãt,
  Non vento ventus, non aqua cedit aquæ.
A nnixúq; pari contenditur, iráq; discors
  Seruat deprensas inter vtrosq; rateis.
N ec sinit omnino tumidis mergantur ab vndis.
  Quæq; nocent prosunt, auxiliúmq; ferunt.
E t nunc aggeribus vastis tolluntur aquarum,
  Et nunc subductis fluctibus, ima petunt.
N on tamen aut retro ad littus cõuertere cursum,
  Aut iter incœptum continuare licet,
Quassatæ implentur cæliq;, marisq; carinæ

Imbribus, & duplicis vis premit atra mali.
Sæuit hyems, venti ingeminãt, stridúntq; rudentes,
Et laterum grauiter robora pulsa gemunt.
Interea vero comitum Lianora tuarum
Tristia sollicito corda pauore tremunt.
Dant mœstæ lachrymas, desperatáq; salute
Questu cuncta replent, & sua fata dolent.
Altera in alterius gremio iacet, atráq; diræ
Omnibus ante oculos mortis imago sedet.
Huic pater, huic genitrix, huic filia parua dolorem
Suscitat, & natos hæc vocat, illa virum.
Tum precibus, votisq; Deos sine fine fatigant.
Detur vt ad patrios posse redire lares.
Nec spes vlla viris melior, quin deficit omnis
Nautarum posito turba magisterio.
Et se posse negans tumidis obstare procellis,
Fortunæ mandat, cælitibúsq; rateis.
Nec quicquam nisi vota facit Diuósq; Deásq;
Orat, vt afflictis rebus adesse velint.
Tu licet immensus dolor vrgeat, omnia forti,
Elatóq; animo fers Lianora tamen.
Hortarísq; tuos vireis cum mente resumant,
Et viuis aliquam spem superesse mones.
Et quicunq; animo præstat, nec se ipse relinquit,
Hunc tu præsenteis dicis habere Deos.
Talibus admonitos ingens simul excitat ardor,
Ad sua dehinc subito munera quisq; redit.
Et celeri studio nunc huc, nunc curritur illuc,
Duráq; contendunt vincere cuncta viri.

In tantis lux illa malis transacta, diéq;
Nox illa haud melior, dissimilisve fuit
Reddita pax cælo tandem, pelagóq;, minæq;
Tot, nil excepto triste tulere metu.
Atq; ita Ferrariam puero charissime Diuis
Incolumis genitrix te paritura redit.
Tertius in lucem matris labor, omine fausto
Venisti, gaudet quæ peperisse marem.
Nanq; Isabella soror, qua nil formosius, & nil
Te tamen excepto, gratius esse potest,
Cuius in egregia mirabilis indole sensus
Cernitur, in vestro sanguine prima fuit.
Alter amor populi, iam nunc veneranda Beatrix,
Hanc sequitur, quibus es additus alme puer.
Cuius honoratum pueri, matrésq;, viriq;
Natalem celebrant, & sine fine canunt.
Nec tantum Delos gaudebat Apollinis ortu,
Nec tantum nato Gnosia terra Ioue,
Quantum læta nouo exultat Ferraria partu,
Nec tegit affectus officiosa pios.
Non tuba, non citharæ, non tibia, non caua cessant
Tympana, non agili cymbala pulsa manu.
Tecta, viæq; procul resonant, delubráq; passim
Festiuis augent gaudia tanta sonis.
Eruit è latebris squallenteis carcere fracto
Captiuos iuuenum conglomerata manus.
Vndiq; collucent ignes, totámq; per vrbem
Currit, & accensas fert vaga turba faces.
Et rea votorum grates persoluere ad aras

Certat, & emeritis reddere sacra Deis.
Herculeos hic adire lares festinat, & huius
Letitiæ primus nuntius esse cupit.
Ille salutata genitrice dat oscula cunis,
Hic supplex orat cuncta secunda tibi.
Hos inter charis ad te cum fratribus ipse
Protinus accedens hæc tibi dona fero.
Hæc & purpureos superant, virideisq; lapillos,
Quicquid & aurifero gignit in amne Tagus.
Nam tibi longa precor felicis tempora vitæ,
Sanáq; mens adsit, iustitiámq; colas.
Et memor Herculeæ stirpis, vestigia nunquam
In læuam flectas à meliore via.
Multa incredibili genitor virtute peregit,
Auspicijs domuit tristia monstra suis.
Siquid atrox, siquid dirum, atq; immane relinquet,
Delebis forti victor id ipse manu.
Quæ vero tibi digna satis Ferraria reddet
Præmia pro partu nunc Lianora tuo?
Quid populi, gentésq; dabunt, quas mite benigni
Reddit felicis Herculis imperium?
Nil proprium conferre valét, nam spiritus, & res,
Et quicquid possunt, iuris id omne tui est.
Restat adorato Ioue, numina cuncta precari,
Vt viuas coniux Herculis ipsa diu.
Vt bene concordes felix tecum exigat annos,
Sitq; diu patriæ dúxq;, patérq; suæ.
Sanguinis vt vestri crescat numerosa propago,
Inclytáq; illustreis turba sequatur auos.

Atq; vt pro miseris natum mortalibus orat,
Quæ sacra virgineo pondera ventre tulit,
Sic præsens populis Regina fidelibus adsis,
Ante virum, & nostro hæc nomine verba refer.
Non satis esse bonis sine crimine ducere vitam,
Ni tuti fuerint vindice iustitia.
Hoc præstare potest princeps, qui nomine dignus
Herculis Herculea nititur ire via.

Ad Zaccariam Barbarum Venetum Hermolai patrem.

Barbare, qué nemo doctus neget esse latinum,
Qui genus à prisca nobilitate trahis,
Cuius opes magnas, virtus, & gloria longe
Exuperant, Venetæ non leuis vrbis honos,
Quæ tibi pro tanto referantur munere grates?
Itala quis tali tempore poma videt?
Feruidus arenteis exurit Iulius agros,
Et graue me vexat febris acerba malum.
Plurima misisti ceu nuper ab arbore carpta,
Quæ siccam releuent punica mala sitim.
Et color, & sapor est insignis, & optimus illis.
Taleis tam felix quæ tulit arbor opes?
Exuperant rubros ardentia grana lapillos,
Et nihil hoc fructu suauius esse potest.
Nescio quid gratum, quod tendere ad acre videtur,
Commistus dulci nectare succus habet.
Nec patris Alcinoi generosis legit in hortis
Nausicae tenera tam bona poma manu.

Et sibi, quem raptum Phrygij doluere ministri,
Pocula fert domino non meliora puer.
Grata fuere mihi tua dona, nec vlla saluti
Conueniens magis est nunc medicina meæ.
Torquet enim siccas ergo sitis arida fauces,
Quas suauis placito gutta liquore rigat.
Adde, quòd affectus animi testantur amicos,
Munera non nullo parta labore tibi.
Nam quæ prima Ioui dedit incunabula tellus,
Partem horum, partem sicelis ora tulit.
Hos tua tam longo seruatos tempore fœtus,
Eruit ex illis sedula cura locis.
Non vulgaris amor, quo nos amplecteris, id te
Sumere sollicita mente coëgit onus.
Nuper enim audieras, quanto in discrimine vitæ
Iam penè amissis sensibus ipse forem.
Vtq; cibos omneis, & pocula cuncta perosus,
Deficerem medias Tantalus inter aquas.
Nil gustare sinunt stomachi deiectio, quæq;
Pessima non vllo tempore febris abest.
Hæc sunt Tisiphone mihi, Tisiphonésq; sorores,
Tristius & siquid Regia ditis habet.
Huc tuus accessi dignus patre filius, vtq; est
Dulcis, & humanus, nos amat, atq; colit.
Ad me sæpe domum venit, & sermone benigno
Solamen mœstis non leue rebus adest.
Hic socios inter vario fugit otia lusu,
Et vacat his, credit quæ mihi grata fore.
Nunc cane venatur lepores, nunc alite Martis

A Scythico missas Phaside captat aneis.
Nonnunquam indulget studijs, auidúsq; libellos
Qualescunq; meos perlegit, atq; probat.
Hic ita se gerit, vt populo sit amabilis omni,
Iunior est annis, sed grauitate senex.
Multum illi afficimur, rebúsq; rogauimus, vti
Arbitrio nostris vt velit ipse suo.
Nec minus est reliquis, tibi quos præsentia seruent
Numina, de natis fama secunda tuis.
Tempus erat tæda quo iam socianda iugali
Herculeos peteret Regia nata lares.
Sigismundus eò clara cum gente profectus,
Me comites inter iusserat ire suos.
At tu Parthenopen Veneta legatus ab vrbe
Tunc forte ad Regem Barbare missus eras.
Illic Hermoleos tuus est mihi visus, & illo
Huius amicitiæ semina iacta loco.
Est via quæ celsa perducit Regis ad arcem
Lata, coronatæ nomine dicta Deæ.
Struxerat hic opere ingenti sublime theatrum,
Rex pugnaturos cerneret vnde viros.
Nos quoq; principibus misti simulata sub armis
Prælia despicimus, colloquimúrq; simul.
Nunc alacres laudamus equos, phalerásq; nitenteis
Et validos ictus, claráq; facta virum.
Nũc plausu Alfonsum excipimus, dũ robore, & arte
Præualet, & Calabro fulminat acer equo.
Et modo tot regni proceres, lectǽq; superbos
Miramur cultus gentis, & vrbis opes.

Nunc mundum insignem, matronalémq; decorem
  Miramur, merita non sine laude tamen.
Ipsa loci facies, & amœni littoris ora,
  Mille in se causas vnde loquamur, habent.
Sed nos præcipue magni mouet inclyta virtus
  Regis, hic in nostro plurimus ore sonat.
Hunc illum esse virum asserimus, cui solis ab ortu
  Solis ad occasum gloria pandat iter.
Huius in exitium tot coniurasse potenteis,
  Postmodo capta iugo colla dedisse, duces.
Fortunam hunc animo ingenti superasse ferendo,
  Securum lætos nunc agitare dies.
Et domitos placida populos ditione regentem,
  Imperij iusta frena tenere manu.
Prolis & innumeræ non degenerantis ab alto
  Sanguine maiorum, quem iuuet esse patrem.
Qui tamen in primis felix, Lianora quòd illi
  Filia sit, meritis non habitura parem.
Nec minus ad musas, & sacræ Palladis arteis
  Vertimus alterna mutua verba vice.
Nam mihi narrabat, grauiter quæ scripserat ipse,
  Et libros animæ de ratione suos.
Hos quoq; de nostris aliquot recitauimus illi,
  Quos visus non est spernere versiculos.
Ex illo nostri processit amoris origo,
  Proximitas vireis cui dedit ipsa loci.
Nanq; Antenorea dum prætor in vrbe moraris,
  Imperio datur hæc ora regenda meo.
Ora bipartitis Athesis quam cœrulus vndis

Ambit, & hinc Isthmon nomen habere ferunt.
Castellis munita suis prouincia, quod te
Non fugit, est curæ credita tota meæ.
Rodigium populis caput omnibus, ardua tollit
Mœnia, quæ placidi fluminis vnda secat.
Fertilis hinc offert se Lendenaria, post hanc
Abbatia suo gaudet amœna situ.
Scinditur hic Athesis, Patauinas altera ripas
Pars radit, cursum continuátq; suum.
Altera mutat iter, magnóq; sonore recepta
Faucibus angustis per loca nostra fluit.
Tertius ac iussis parenteis Herculis annus
Hic iam nos aliquo non sine honore tenet.
Si nihil hæc aliud regio mihi contulit, vnde
Non querar, à patria quòd procul vrbe morer,
Præbuit hoc saltem, summis quod quærere votis
Debueram, tua quòd terra propinqua meæ est.
Huius, & illius confinia gentis vtrinq;
Finitimus media diuidit amnis aqua.
Vt valeas, vbi sis, quid agas, ego sæpius istinc
Accipio, & lætor prosperitate tua.
Et meus hinc contra status est tibi cognitus, & sors,
Vt video, rebus non satis æqua meis.
Quæ sit amara licet, miserósq; exerceat artus,
Constanti tamen est non metuenda viro.
Quo fit, vt æquo animo patiar, mihi quicquid acerbũ
Fatali attulerit tertia Parca manu.
Nos vero quanti facias, ostendis aperte,
Cum porgas nulla nostra petita mora.

S ignia, quem nuper tibi commendauimus, en iam
Quæ puer abstulerat, rettulit arma domum.
I llum ego vix istuc iter intendisse putabam,
Cum missas abs te reddidit ipse notas.
S i paribus nequeo meritis contendere tecum,
Et tua quas poscunt facta referre vices,
M e tibi polliceor memorem fore, iussa nec vlla
In te animum poterunt exuperare meum.

Bene vale. Rodigij. X. Cal. Sextil. Anno
CCCCLXXXIIII. supra mille.

Ad diuum Bellinum.

B Elline ætherio præsul gratissime regi,
Lucida qui meritis incolis astra tuis.
C uius læua gerit venerandi insignia ritus,
Cingit adoratum sacra corona caput,
T e precor afflicti moueant mala supplicis, & quam
Per te posse dari credimus, affer opem.
E cce miser sæuis noctésque, diésque fatigor
Febribus, absumpto nec datur vlla quies.
N unc calor immitis, fauces ac viscera torquet,
Languida nunc subito frigore membra tremunt.
O mne cibi, viniquе genus discrimine nullo
Displicet, ac solitis sensibus ora carent.
N ulli mista mero coctæ nitidissima lymphæ
Restabant nostræ pocula grata siti.
H æc veluti nocitura vetor, nisi iuncta lyæo
Sumere, sed vomitum sic mihi pota ferunt.

I am mihi nil ſupereſt, niſi lingua, & pellis, & oſſa,
Nec peragit parteis blæſula lingua ſuas.
I nfelix nequeo tremulis inſiſtere plantis.
Fractáq; cum toto corpore crura labant.
N on almum accipiunt languentia lumina ſomnum.
Quæ morbi grauitas vix aperire ſinit.
Quòd ſi forte ſopor mihi ſe rariſſimus offert,
Triſtitiæ plenus, terribiliſq; venit.
I nnumeras rerum ſpecies, cædéſq; cruentas,
Defunctóſq; homines anxius aſpicio.
E t fera me terrent varijs animalia formis,
Fingere quæ nemo, vel numerare queat.
S ummerſa videor modo nare per æquora cymba,
In medijs vitam depoſiturus aquis.
E t modo præcipitis labi de culmine tecti,
Et modo non vno ſolus ab hoſte peti.
C urrere nonnũquam, nonnunquam emittere vocem
Conor, ſucceſſu ſed mea vota carent.
F ruſtra lingua loqui, fruſtráq; extendere tentant
Crura fugam, nec pars corporis vlla valet.
E cce quis hoc credat? vigilo, meditórq;, loquórq;,
Et formidandis ludor imaginibus.
N ec poſſum cupiens aliò diuertere mentem,
Tam deteſtandi ſors furioſa mali eſt.
S cribis? an hæc pauidũ puer hic te mõſtra fugarũt?
Te ſequor. heu tardant quæ mihi vincla pedes?
M e miſerum, quis non hæc horreat? obtulit huc ſe
Prima parte leo, poſteriore lupus.
I llic terrificis fera pandit hiatibus ora,

Et lactat catulos vrsa tremenda suos.
O blitus huc fertur spumanti sanguine rictum,
Et mihi fulmineo dente minatur aper.
Vultur edax fœdum tabo stillante cadauer
Deuorat, atq; auidæ stant super ossa canes.
Coruorúmq; greges, bubóq;, & noctua, necnon
Simia penè volans omina dira ferunt.
Aut locus hic ratis est, aut totis sensibus erro,
Aspicite vt vastis fluctibus icta tremat.
Parcite iam remis, & pandite carbasa nautæ,
Auribus insonuit non leuis aura meis.
Somnia non hæc sunt, en toto corpore conor,
Nec possum opposito voluere monte latus.
Quid loquor infelix? quò me nouus impulit error?
Iam vireis animi Tite resume tui.
Nam nihil est, aliquid cumulo quod victa malorum
Mens expugnatis sensibus esse putat.
Hoc tibi non falso poteris suadere, quòd ipse
Agnoscis tempus mortis adesse tuæ.
Quæ si certa manet, furor est contendere contrá,
Nil pateris, bene si colligis ista, noui.
Vel cito, vel sero vitam positurus, & huius
Subiectus mundi casibus ortus eras.
Vixisti, nec parua tibi Fortuna, Deúsq;
Tu nisi vera neges, contribuere bona.
Quid conferre tibi paucorum accessio possit
Annorum? læti præteriere dies.
Euenisse tibi grauiter quæ forte doleres,
Tristia victuro multa videnda forent.

N unc decet audacis temeraria facta iuuentæ
Odisse, & lachrymas non tenuisse pias.
S urge aīa, & contemne libens quod linquere iā nūc
Cogeris, æterni spes vocat alta boni.
C erte pauca nihil præter suspiria mors est,
At, quæ nos patimur, quis grauiora neget?
E xitus hic certo generosas carcere menteis
Liberat, hæc vulgus turpe quod odit, amant.
Quòd si forte aliquis post vltima noscere fata
Nos velit, in nostro hæc marmore verba legat.
P rima fuit Strozæ Florentia gentis origo,
At Tito vitam hæc vrbs dedit, & rapuit.
P ost elegos cecinit pastoria, Borsius illi
Carmen erat, rupit mors opus, hic tegitur.
T e rogo dic lector iunctus felicibus vmbris
Optatum teneat spiritus iste locum.
D eficio, nec plura sinit me dicere langor,
Lætifer, & vitæ meta peracta meæ est,
T u quancumq; poli partem diuine Sacerdos
Ætherio felix cum genitore tenes,
H anc abeuntem animam manibus dignare beatis
Suscipere, & magno conciliare Ioui.
S i nostræ potius tua magna potentia vitæ
Prospicit, & iam nunc (vt reor) istud agis,
N ulla tuis obstet cœptis mora, perge priusquam
Occupet æternus lumina nostra sopor.
A d te confugio summi pater incola cæli,
Eripe me tantis, qui potes, è tenebris.
N ullam maiestas tibi dat Diuina repulsam,

Quęq; petis, mox vult illa licere tibi.
Innumeros tua mortaleis præsentia vitæ
Restituit, queis spes nulla salutis erat.
Terribili stygios cœtus stridore furenteis
Fas tibi ab humanis pellere corporibus.
Et signata tuis rabiosa animalia frontem
Clauibus, immiteis deposuere modos.
Me quoq; letali confectum respice morbo
Sancte parens, in quo stat mea fixa fides.
Et me quamprimum posito langore valentem
Esse iube, & nutu tot mala pelle tuo.
Sospes vti valeam venerabile adire sacellum,
Et votiua tuis figere dona Tholis.
Atq; illic meritas syncero pectore grates
Suppliciter propria reddere voce tibi.
Hæc animus ventura mihi prænuntiat, ecce
Terga dedit victus spéq;, fidéq; dolor.
Scribe puer scriptis paucos libet addere versus,
Quos teneat sacro fixa tabella loco,
Lector vt his possit venerando quanta potestas
Sit concessa patri discere carminibus.
Insana Titus grauiter dum febre laborat,
Speratam implorat numinis huius opem.
Finitis nondum precibus, votísq;, repente,
Tristis langor abit, vísq; repressa mali est,
Nec dubitat sancti meritis à morte receptum
Paucis incolumem se fore luciferis.
Fidite cælitibus moniti, succurrere nanq;
Supplicibus nunquam gratia tarda Deum est.

Pro diua Isabella sponsa, ad maritum Mantuæ principem.

n On ita seruato gaudebat Iasone Colchis,
Cum tulit auratæ nobile vellus ouis.
N ec sic Dædalias cæso Minoïa monstro
Vidit vbi Ægiden exuperasse vias,
N ec sic deposita duræ formidine sortis
Læta erat oblitis luctibus Andromede,
T ot maris, ac terræ post sæua pericula, nec sic
Conspecto incolumi Penelopæa viro,
V t Francisce tuas lætor, ceu scribis, ad vrbem
Tandem expectatas hanc dare vela rateis.
Quæ tibi concedant feliceis dextera cursus
Numina sunt precibus sollicitata meis.
C um socero fratres, charásq; valere sorores,
Et saluos omneis gratulor esse tuos.
S ed tamen in primis cupio te cernere, si me
Virgineus patitur dicere verba pudor.
S erpit enim insolitus, qualem nec dicere norim,
Nec meditari animo, nostra per ossa calor.
I lle nouis furtim curis inuadere pectus
Nititur, immemorem nec sinit esse tui.
E t quamuis iuuenum pulcherrime longius absis,
Nostra tamen vultus mens videt vsq; tuos.
H aud debere parum superis Francisce videbar,
Quòd non in Geticis rupibus orta forem.
Quòd mihi sit Genitrix Lianora, quòd Hecule dicar
Nata duce, & proauos iactet vterq; suos.

Hic Gallos, aſt Hiſpanos ex ordine reges
  Sanguinis authores aſſerat illa ſui.
Vlla ſed optandæ ne pars mihi ſortis abeſſet,
  Maxima tu noſtris gloria rebus ades.
Qui patris egregias laudes imitaris, & alta
  Fulges Gonzagæ nobilitate domus.
Nec ſecura ſui, tua dum præclara teneret
  Te procul à noſtra Mantua Ferraria.
Et ſeu dictus eras forti certare palæſtra,
  Seu celeri curſu ludere, ſiue pila,
Flectere ſeu validis ſinuoſos viribus arcus,
  Seu iacere abducta ſpicula lenta manu,
Seu pedes interdum magnam graderere per vrbẽ,
  Sulcaret patrios ſeu tua cymba lacus,
Siue ferebaris campo exercere ferocem
  Qualis in œbalio puluere Caſtor equum.
Seu rapidis canibus lepores, capreáſq; fugarés
  Siue truces audax inſequereris apros,
Pertimui ſubito, nequod diſcrimen adires,
  Nec mihi parua tuæ cura ſalutis erat.
Fama puellarum te viſere ſæpe choreas
  Rettulit, hoc vtinam nil mihi triſte ferat.
Altera nec noſtro ſe miſceat improba amori,
  Neu quærat pactam ſollicitare fidem,
Difficile eſt aliquid de te mihi credere, verum
  Neſcio quid cogor ſubdubitare tamen.
Hoc tua perſuadet facies inſignis, & ille,
  Securam qui me non ſinit eſſe Deus.
At, mihi ſi nemo te præter amatur, & vni

Sum tibi legitima consociata fide.
Si non indignæ sumus, vt meremur amari,
Mutua fac teneat te quoq; cura mei.
Atq; ita, qui teneris in te bene cœpit ab annis,
Me crescente, meus crescere perget amor.

Hortorũ Herculis laus intra parietes palatij.

Ponere tẽpla Deis, circũdare mœnibus vrbem
Regia deposito tecta nouare situ,
Egregiam magnis absoluere sumptibus arcem,
Cum certo immensum fine careret opus,
Tot veteri ornamenta foro præbere, nouúmq;
Addere, & innumeras ædificare domos,
Sternere nostra vias ad commoda, cingere muro
Pascenteis intus lata per arua feras,
Claudere victurum spatioso gurgite piscem,
Abdita susceptas qua via ducit aquas.
Aggeribus monteis planum simulare per æquor,
Siccatos iunctis bobus arare lacus,
Plaudenti populo fonteis aperire salubreis,
Quos operosa vagi vena liquoris agit:
Magnum, & difficile est moliri tanta repente,
Tótq; animum curis implicuisse simul.
Hæc & plura tamen nostri admiranda peregit
(O rem incredibilem) tam cito cura ducis.
Nunc hortos etiam Alcinoi, & pomaria Cyri,
Exuperant vna nata vireta die.
Nulla ferè aut grata est oculis, aut fertilis arbor,
Quam non his poni iusserit ipse locis.

Candida morus adest, & quam mutauit amantum
Sors fera, quæ miseri signa cruoris habet.
Dulcia pallenti sub cortice grana ferenteis,
Hic suaueis fructus Punica virga dabit.
Picenæ ficus, & Iberis insita pruna,
Stirpibus hic aderunt, nectareúmque pyrum.
Mala quoque accedent generosis matribus orta,
Et varios fœtus sylua benigna feret.
Quàm iuuat egregio cristatas ordine buxos
Cernere? quæ circum mollia prata virent?
Hic & coniferæ tollunt capita alta cupressi,
Et suus est lauris, iuniperísque locus.
Est & iunipero similis nisi distet odore
Arbos, à patrio dicta Sabina solo.
Sunt & Apollineam folijs imitantia laurum,
Quæ ramos curuent medica poma suos.
Vitea marmoreis vmbracula fulta columnis
Contiguis iures æmula porticibus,
Regaleis thalamos pictura insignit, & auro,
Artificum nulla sedula turba mora.
Lucidus hæc inter fons exilit, hydráque supra
Largas septeno gutture fundit aquas.
Dat sonitus blandos lympha, & cælata cadentem
Excipiunt pario marmore vasa lacum.
Ipse operi intentus princeps, & voce, manúque
Consilium præstat, subsidiúmque viris.
Compositúmque nemus specula dum spectat ab alta,
Mens hunc solamen non leue fessa capit.
Magna tibi à superis dux est permissa potestas,

Cum nutu fiant ista repente tuo.
Non tamen hos intra patitur tua gloria fineis
Includi, cælo quæ sibi quærit iter.
At pacis leges, & bellica noscere iura,
Et certum in cunctis rebus habere modum,
Iustitiámq; sequi, nec vertere terga minaci
Fortunæ, laus est Hercule digna duce.

TITI VESPASIANI STROZAE AEOLOSTICHON LIBER TERTIVS.

Ad Iannem Picum Mirandulanum, cum omnia arderent crudeli bello.

Itus amicitię vinclis tibi iūctus, & idem
t Affinis, bene te Pice valere cupit.
Conditio illius quæ sit si forte requiris,
Omnia sunt illi dura, & amara nimis.
Nam quis in hoc tanto crudelis turbine belli,
Tot mala non fracta cernere mente queat?
Hostis classe Padum, & piscosi stagna Cymacli,
Frattenseísq; lacus, Adriacósq; tenet.
Innumeris cymbis Epeirotǽq;, Getǽq;,
Illyriciq; truces per loca quæq; volant.
Omnia mox terram ingressi, populantur, & vrunt,
Ipsis nec parcit barbara turba Deis.
Sacrilegásq; faces spoliatis inijcit aris,
Nec tutus sacra est relligione locus.

Parte alia terrestris adest exercitus, acri
Commissus (quod res indicat ipsa) viro.
Insula trans fluuium Eridani procurrit in æquor,
A Ficarolo nomen adepta suo.
Hanc expugnatis amisimus arcibus omnem,
Et captos victor vastat, & vrit agros.
Ingenteis pecoris prædas, matrésque, virósque
Cum pueris vinctos, virginibúsque trahit.
Supplicijs aurum extorquet, violenta libido
Bacchatur, passim luctus, vbique neces.
His igitur rebus quis non commotus amarum
Ingemat? & tristeis non eat in lachrymas?
Felix, atque iterum felix, qui talia nunquam
Vidit, nec tanti pars fuit vlla mali.
Ast ego non solum video tot iniqua, sed ipse
In proprijs patior maxima damna bonis.
Non tot adempta mihi spoliatis prædia villis,
Non pecus abductum, non tot acerba queror.
Vna quidem nostros auget iactura dolores,
Et nunquam ex animo labitur illa meo.
Bina mihi Illyricis arsere palatia flammis,
Regia quæ nemo tecta fuisse neget.
Eridani iuxta ripas mihi condita nuper
Guardatæ steterat non inamœna domus.
Huius prima Padum facies spectabat, & austros,
Cernere nauigeras vnde iuuabat aquas.
Cætera tectorum luco pars vndique cincta
Pomifero, grati plena decoris erat.
Magnum opus, impensis maioribus hostellatum

Struxerat (vt nosti) maximus ille ducum.
Maximus hoc fratrem donarat munere quondam
Borsius, hæc frater post mihi dona dedit.
Qualis erat, quantúsque labor, quæ forma, quis ordo
Sructuræ insignis, Pice silenda mihi.
Nanque retractando, mea recrudescere nolim
Vulnera, quæ obduci mens nimis ægra cupit.
Adde, quòd hæc multis, necnon tibi nota fuerunt,
Quem reor his grauiter condoluisse malis.
Barbarus, immanis, crudelis, & impius hostis,
Hæc potuit dira tecta cremare manu?
O scelus, infandúmque nefas, ò barbara vere
Progenies, rabidis turpiter orta feris.
Hos ego latrones non tam detestor & odi,
Quàm Venetum miror, quòd scelera ista ferat.
Nam neque iustitiæ fama, nec laudis amore,
Nec gens consilio claruit vlla magis.
Vos animæ illustres, quæ debita corpora fato
Iampridem in gelida deseruistis humo,
Quæ Venetum, auspicibus superis, virtute parastis
Imperium, terra quod patet, atque mari,
Vos siquidem appello, postquam obdurata nepotum
Pectora sunt, nullas excipiúntque preces.
Quod scelus in nobis furor iste vlciscitur? an nos
Ascitis Veneto mouimus arma Getis?
Læsimus iniuste vestro de sanguine quenquam?
Diripuit Venetas Ferrariensis opes?
Esto, aliquem in nobis qui vos offendere possit
Cernitis errorem, noxáque certa patet.

Peccantem quoties patris indulgentia natum
  Respicit? hoc animo vos decet esse patres.
Scitis Atestinam longo iam tempore vestros
  Ad nutus, promptam se exhibuisse domum,
Scitis & vt vobis magno in discrimine rerum,
  Quam potuit, nunquam ferre negarit opem.
Nec sumus immemores, quæ grata mente senatus
  Estensi dederit munera Nicoleo,
Quæ si præsentis sunt causa potissima belli,
  Non nullam patitur gloria vestra notam.
Non donasse prius satius fuit, irrita quàm nunc
  Nostrum oblita reddere dona fide?
Auxilio diuum, magni latéq; potentes
  Estis, & in vestra terra fretúmq; manu est.
Vlla igitur si vos fortasse iniuria læsit:
  Erratum vlcisci non tamen omne decet.
Et magnum, quoties libuit vos posse nocentes
  Plectere, diuinæ parcere mentis opus.
Cæsaris ingentem meruit clementia famam,
  Nec maius tulërunt bellica gesta decus.
Illius exemplo offensas dediscite mites,
  Et concepta graueis comprimat ira minas.
Deficiunt violenta breui, moderatáq; durant,
  Seruantúrq; bonis artibus imperia.
Quid tua commeruit Ferraria Foscare? quo sub
  Gloria præclari floruit imperij?
Sæpe animos horum expertus, benefactáq; regum
  Gentis laudares nam pia facta tuæ.
Talia si videant Orsatus, & inclytus ille

Barbarus, an gemitum continuisse queant?
Tu quacunq; poli felix in parte moraris,
Vocibus his aures da Leonarde tuas.
Cultor enim iusti tu Iustiniane fuisse
Diceris, è cælo hæc num tibi visa placent?
Dic Iacobe tuis Antoni maxime gestis
Marcelle quondam stirps generosa domus,
Immeritos si nunc liceat cognoscere casus
Ista tibi penitus displicuisse neges?
Aspice nunc cursum quàm fors non seruet eundem,
Quantum inter natos differat atq; patres,
Te nemo in Veneta fuerat mihi vinctior vrbe,
Et colui nomen vir memorande tuum.
Si quod erat Titi ingenium laudare solebas,
Et cecinit laudes pagina nostra tuas.
Tu mihi dona dabas annis iuuenilibus apta,
Tympana, & accipitres, treiciósq; canes.
Multáq; præterea, veri quæ pignus amoris
In me, dum vita perfruereris, erant.
Filius at contrà classis præfectus (vt aiunt)
Coniecit primas in mea tecta faces.
E' scilice & ferro lachrymas tot tristia Pice
Elicerent, fieri sed grauiora puta.
Nostra quibus vexata malis Ferraria luget,
Et pax nunc meminit quale sit alma bonum.
Agricolæ fugiunt, trepidiq; feruntur in vrbem,
Vitare hostileis qui potuere manus.
Curribus impositæ matres, natiq;, senésq;
Visendas nunquam flent sine fine casas.

Astilium strepit omne genus, congesta supellex
Vnà conuehitur, lectulus, arca, ligo,
Sarcula, fagineus cum falce catinus, & ingens
Cantharus, & sicci fumida terga suis.
Quilibet hospitio recipit miserabile vulgus,
Et nostras fœdat sordida turba domos.
Pérque vias passim stabulant armenta, gregésque,
Nec manet in nostra qui fuit vrbe nitor.
Arma & equos tantum studio nunc quærimus omni,
Et tractare nihil nunc nisi tela iuuat.
Delicijs, solitóque caret Ferraria luxu,
Et residem populum bellicus ardor agit.
Vndique tormentis muralibus intonat æther,
Sæuáque terribilis clamor in arma vocat.
Quæque dies festos olim celebrare solebant,
Nil nisi bella canunt, nil nisi triste tubæ.
Me quem pax, & amor, quem dulcia semper alebant
Otia, nunc alium dixeris esse virum.
Innumeris agitor curis noctésque diésque,
Nulláque me vacuum temporis hora videt.
Nec mea militia est spernenda, vt inutilis vni,
Castra licet magni non sequar ipse ducis.
Collegas inter quid belli postulet vsus
Prouideo, atque omni sedulitate paro,
Militibus nostris ne desit victus, & vt sit
Ingens annonæ copia, cura mihi est.
Tum loca venturo pateat ne transitus hosti
Muniri monitu dux iubet ipse meo.
Et sæpe, è castris princeps hostilibus audit

Exploratores certa referre meos.
Præcipio muros vigil vt custodia seruet,
Stétq; opportunis nocte diéq; locis.
Nec piget armatum peragrare fideliter vrbem,
Nocturnis vel equo, vel pede temporibus.
Hortor vt hæc forti (quamuis ingentia) ciues
Damna ferant animo, non patienda diu.
Non hostem virtute aliqua regione potitum
Mouisse iniusta bella inopina manu.
Qui nos tale nihil veritos per fœdera adortus,
Credit hæc nulla regna vorare mora,
Qui quoties ferro certandi oblata facultas,
Militibus nostris terga cruenta dedit,
Quem modo munitis stationibus expulit acer
Impetus, ac virtus Herculis illa mei,
Quem fretum, medias acies qui diuidit, amni
Flumine transmisso dux Federicus aget.
Illius auspicio, ductu miserrima rerum
Nostrarum iam sors stat meliore loco.
Adde quòd auxilio gentes coïere Latinæ,
Thuscia Réxq; socer, Bentiuolúsq; gener,
Sfortius affinis, cognatáq; Mantua sese
Addunt, & socio fœdere cuncta manus.
Nec minus Hestorides, herósq; Pisaurius adsunt,
Et Pedemontanum signa secuta ducem.
Pontificem quoq; consilijs melioribus vti
Velle ferunt, tantum nec tolerare nefas.
Proijce tela pater sanctissime, quid tibi quæris?
Quid tibi cum bello? sæua quid arma tenes?

Quò veneranda tui maiestas numinis? & quò
 Illa fides abijt? proijce tela pater.
Cũ trucibus sint bella Getis, hos tollere pulchrũ est,
 Quos stimulat nostri sanguinis atra sitis.
Te seruare bonos æquum est, pacémque tueri,
 Nil maius, nil te sanctius orbis habet.
Pascitur humano sceleratum sanguine bellum,
 Quærit & illicitas miles auarus opes.
At tua (nec fallor) sapientia damnat vtrunque,
 Hoc pietas odit, relligióque tua.
Hoc fratres odisse tuos, populúmque, patrésque
 Romanos aiunt, sæua quid arma tenes?
Nónne mouent animũ Romanæ ingentia damna,
 Vrbis? & in Latio regia castra solo?
Prospicere angelicæ summo de vertice molis
 Fumanteis campos, soláque rura licet.
Oppida disiectis late flagrantia muris,
 Cernere quàm miserum tam tibi turpe putant,
Tiferno potitur Vitellius. Anguiger arcem
 Rex tenet. in portis signa inimica vides.
Quicquid atrox, quicquid truculẽtũ, imane, nefãdũ,
 Committi in tota cernitur Italia.
Sedem omnes istam aspectant. te scilicet vnum
 Tot perhibent subito pellere posse mala,
Qui prohibere valet noxam, causásque pericli
 Nec vetat, hic fertur criminis esse reus.
Hoc ego non ausim de te sanctissime pastor
 Dicere, quo nemo iustior esse potest.
Forte aliquid, quod nos latet impedit, atque moratur

Effectum voti propositiq; tui.
E ia age, te solitus mentis vigor, altáq; virtus
Ac vitæ ratio suscitet illa tuæ.
Quo minus efficias quæ recta atq; optima sentis,
Nil obstet, iam te collige, sisq; tuus.
A tque ita sis tuus, vt priuatis publica semper,
Quod te velle reor, sint tibi chara magis.
I lle, vicem cuius tua magna potentia seruat
In terris, mundi rerum, hominúmq; sator,
O btulit infestis proprium caput hostibus, vt nos
Eriperet pœnis, perpetuæq; neci.
T u quoq; ne tantis agitemur cladibus, adsis,
Inq; humero sedeat sarcina nostra tuo.
N éve pati dubita, siquid tibi forte molesti,
Si quicquam acciderit quod minus ipse velis,
H uc studium, curámq; tuam conuertere debes,
Et causas omnis tollere dissidij.
A ut pax æqua liget populos, ac fœdere firmet,
Aut hostis nostris hostibus ipse veni.
Quæ fuit in nostro patientia principe, nosti.
Quæq; lacessitus non toleranda tulit,
P erniciosa trucis iaceret ne semina belli,
Non mala te illius iudice causa foret.
F allor, an vt cupimus discedet Christus ab hoste?
Et nostra augebit milite castra suo?
Verba fidem mea sunt habitura, meóq; fauebit
Ominibus faustis maxima Roma duci.
S ed potius pacem superi date, pace viator
Gaudet, nec solis noctibus vt timeat.

P ace ſuas mercator opes, terráq; mariq;
Securus nulla fértq;, refértq; mora.
P acis amore colonus ouans noua carmina dicit.
Vnco frugiferam vomere findit humum.
S eminibus iactis maturo tempore meſſem
Colligit, & Bromij dulcia dona patris.
C arpit poma, boues cantans in paſcua ducit,
Tondet oueis, niuei munera lactis habet.
A tque leui rapidos æſtus arcente galero
Falcifera reſecat mollia prata manu.
P ace ſuas dominus villas, ſua prædia viſit.
Præſpectis addit commoda multa locis,
H ic ſtabulum pecori locat, illic tecta colono
Erigit, ac puteos pars habet illa ſuos.
H ic deſignatur viteis clauſura nouellas,
Quæ fluat in patulos concaua foſſa lacus.
I n plano ſalices, oleas in colle ſupino
Ponit, & auulſis ſentibus auget agrum.
A rboris alterius ramis aliena recondit
Germina, virga nouas conſita ſumit opes.
N ec minus hortorum cultu oblectatur amœno,
Sparſáq; fœcundæ ſemina mandat humo.
M iſcet odoratis bene olenteis floribus herbas,
Et gratos mentis eligit inde cibos.
V itea dat ſuauem ſpacianti porticus vmbram,
Nec fœdat nitidum ſemita munda pedem.
O rdinibus certis directa roſaria circum
Ponit, & intextis iungit arundinibus.
A ut legit, aut ſcribit, piſci modo retia tendit,

Retibus aligeras & modo fallit aues.
Nunc cane venatur lepores, nunc cursibus acrem
Campo exercet equum, nunc vacat aucupijs.
Tristibus hic animum curis, mentémq; solutus
Nil nisi iucundum, nil nisi dulce videt.
Heu quid ago? cur insanos renouare dolores
Nitor, & ad casus ipse redire meos?
Sic ego temporibus lætis securus agebam,
Dum vitæ candor floruit ille meæ.
Siqua mihi de tot, nam plures ante fuerunt
Insignes villæ, siqua relicta foret:
Spes erat hoc facta sublato pace tumultu,
Lætus vt aspicerem rura, meósq; lares.
Rura meósq; lares, & amœnis cincta viretis
Vndiq;, & artifici culta labore loca.
Omnia penè mihi gratissima non maris error
Abstulit, vt facti pœna nefanda mei,
Sed fera tempestas, & toruæ sæua Megæræ,
Tisiphonésq; soror, Tartareúsq; furor.
Hæc satis, haud paruos oculo fert Pice dolores,
Contorta in faciem non leuis hasta meam.
Sic mea non vna grauiter ratis icta procella est,
Atque in pacatis naufraga fertur aquis.
Nec propè portus adest mea ni præsagia fallunt,
Quæ cuperem in celeres irrita abire Notos.
Interea felix Titi memor, vtere pacis
Dulcibus optandæ, qua caret ipse, bonis.
Et placare deum, cui nostra silentia, si nos
Credimus, vsqueadeo displicuere, velis,

Ad eundem, quòd perditis belli temporibus, vt amores suos caneret, rogauisset.

PIce, tuos instas vt molli carmine amores
Scribere, mentis in hac anxietate, velim.
Casibus indignis fortunæ, & corporis, an me
Vexatum ad musas posse redire putas?
Credibile est vireis, si quæ fortasse fuerunt,
Ingenij penitus non cecidisse mei?
Has inter clades, tot in asperitate malorum,
Nil esset passer docte Catulle tuus.
Casus sic potuit non esse Propertius idem.
Ille Tibulleo cederet ore nitor.
Altisoni fieret penitus tuba muta Maronis.
Mæonij caderet spiritus ille senis.
Naso relegatus Scythicis pelignus in oris,
Conqueritur musas consenuisse suas.
Tu tamen, vt scribam teneros hortaris amores,
Vt tua sit versu nota Neæra meo.
Vt tibi flamma recens in lucem candida per me
Phyllis eat, cuperem Pice quod ipse rogas.
Quam sperare meis famam queat? vtraq; dictis
Nullus enim extincto fulgor ab igne venit.
Parce recusanti, non quòd tuus omnia Titus,
Quæ tibi sunt cordi, non obeunda putet,
Sed non sollicitos læta argumenta poetas
Poscunt, est vacua mente canendus amor.
Nec quisquam melius, quam tu qui vulnera sentis
Dicere quæ soli sunt tibi nota, valet.

Adde quòd ingenium felix sortitus, & omni
Doctrina insignis, quod petis intus habes.
Sine quid argolico, seu quid sermone latino
Tentaris, linguam doctus vtranq; tenes,
Sine aliquid prosa scribis, seu carmina condis,
Pallada sic iurem, Pieridásq; sequi.
Cui magis innumeras rerum causásq;, vireísq;
Iuráq; naturæ condita nosse datum est?
Quis lunæ solísq; vias, & lucida cæli
Metitur tanto sidera iudicio?
Quis numeros omneis ad summam colligit vnam
Tam subito, & mira certius arte notat?
Quis res propositas ita disserit acer, & omni
Irretitum hostem cum ratione tenet?
Quis te de superis, ac relligione loquentem
Non admirandum duxerit esse virum?
Te matura senem prudentia reddidit, atqui
Prima tenet roseas vix tibi barba genas.
Sic virtute tua clarus, nec carmine nostro,
Laude nec alterius clarior esse potes.
Sunt tibi præterea fortunæ magna secundæ
Dona, quibus dotes corporis adde bonis.
Quem fugit egregiæ clarissima gentis origo?
Et vetus à Pici sanguine ducta domus?
Utq; alios taceam, tua quos Mirandula belli
Et pacis magna non sine laude tulit:
Ille tuus genitor, cuius tu nomine nomen
Parte refers, summo dignus honore fuit.
Te vero peperit Latiarum gloria matrum

Boiarda haud humili Iulia nata loco.
Innumeras cuius veráſq; reponere laudes
Pro meritis, non eſt temporis huius opus.
Hæc preter fratris Galeotti viuida virtus
Additur. heu piget hoc dicere plura loco.
Atque vtinam tua non adeo fortiſſime ductor
Noſtris clarerent bellica facta malis.
Non vetus inter vos odium te reddidit hoſtem,
Principis aut rebus mens inimica mei.
Fœmina quippe nouis omni admirabilis æuo,
Laudibus & raras Blanca habitura pares,
Blanca inquam Diui ſoror Herculis eſt tibi cõiux,
Atque eadem de te pignora chara tulit.
Sed tua ſors voluit Venetum ſequereris, vt huius
Iampridem belli quod furit ante minas,
Cum noſtro necnon Antonius hoſte, priuſquam
Hæc fera principium peſtis haberet, erat.
Atq; ita vir præſtans & amicus & optimus, armis
Ferre nequit nobis quam cupiiſſet opem.
Quis poterit geminas adeo laudare ſorores,
Magnis quin reſtet plura canenda ſonis?
Hinc pie iuncta tibi Leonelle fidelibus olim
Connubijs, offert ſe Catharina mihi.
Nec minus inde ſuas poſcit Lucretia parteis
Orolapho quondam nupta puella Pino.
Ambæ animis, ambæ forma, præſtantibus ambæ
Moribus inſignes, eloquióq; pares.
Vtraq; Cecropiæ ſtudijs celeberrima Diuæ,
Muſarúmq; ſacris vtraq; nota choris.

A missis ambæ florenti ætate maritis,
Clara pudicitiæ signa dedere suæ.
Non tamen extinctis urgens ita frangere luctus
Coniugibus potuit perpetuúsq; dolor.
Quin mentem eiectam cælo fixámq; tenentes
Ad summum vertat omnia vota Deum.
Artibus ingenuis erepto coniuge natos
Instruis, & curas rem Catharina tuam.
Atq; ita te geris vt Leonelli nomine tantum
Excepto, cuncti cætera adesse putent.
Quo fit vt ille tuus teneris Albertus in annis
Illustreis fama vincere certet auos.
Et Leonellei puer alter nominis hæres,
Nititur egregiæ scandere laudis iter.
Quas matrona tibi referam clarissima grates
Vinctus tot meritis, officijsq; tuis?
Nam bellum, ac diram fugiens charissima pestem,
Contulit ad vestros se Domicilla lares.
Natorúmq; simul duxit mihi dulce meorum
Agmen, & est opibus largius vsa tuis.
Quo pueros animo cum matre exceperis, & q̃p
Magnifica, & q̃p sis splendida facta, docent.
Hos tu deiectos tristi nouitate malorum
Aspectu releuas optima, réq; iuuas.
Sicq; iuuas, vt nec desideret illa parenteis,
Nec patriam curet turba redire domum.
Herculis & Guidi quæ sit tibi cura relinquo,
Materno quos tu mitis amore foues.
Improbus ille tuis Laurentius vndiq; captus

Blanditijs, solam te minus esse sinit.
Et lateri affixus quocunque incedis, & ipse
Te sequitur, tecum balbáque verba serit.
Et mea conatur repetitis fingere dicta
Quos illi soleo saepe iterare locis.
Garrula sed quid in has labuntur carmina nugas?
Iam satis est, auidum siste Thalia pedem.
Pice mihi dulce est tecum his sermonibus vti,
Sed non triste minus nostra referre mala.
Quae licet aequo animo patiar, non inscius omneis
Fortunae varias mobilis esse vices,
Non tamen implicita, velut ipse optare videris,
Delicijs possum mente vacare tuis.
Quare nostra tibi satis explorata voluntas
Sufficiat, donec laetior hora venit.
Tunc mihi carmẽ erit cũ Phyllide Paeona, quas nec
Anthia, nec poterit vincere Phylloroë.

Ad Alexandrum Baptistae Guarini filium.

QVos mihi misisti, iuuenis clarissime versus
Perlegi cupido non semel ore tuos.
Iudicij siquid mihi restat, amaráque belli
Si gustare aliquid tempora dulce sinunt,
Lauriferi certe sacras Heliconis ad vmbras
Difficileis aditus non reor esse tibi.
Et nitor, & grauibus respondet copia verbis.
Scribendique modos mille disertus habes.
Nil ita perplexum est, & inextricabile dictu,
Quod tua non facile pingere musa queat.

Quâre nulla fuit tam iusti causa timoris,
Carmine fraudares vt mea vota tuo.
Istud ego ingenium felix mirórque, probóque.
Et (quod amicitiæ fœdere cogor) amo.
Cum tibi fortunæ dotes, & corporis adsint,
Multáque mortales quæ bona summa putant,
Nil melius virtute tamen, nil pulchrius in te est,
Nil & amabilius (si mihi credis) habes.
Vt facis hanc sequere, & nulli succumbe labori,
Aspera sit quamuis, difficilisque via.
Mox facilem inuenies, & euntem limite recto,
Alta per auratos ducet in astra gradus.
Te pater ad laudem exemplis Baptista decúsque
Allicit, & monitis excitat vsque suis.
Sed te sponte tua stimulis maioribus vrges,
Et desiderio promptior ipse tuo es.
At mihi quas tribuis dignus si laudibus essem,
Par magnis noster vatibus esset honor.
Sæpe ego iudicijs vestris licet efferar, haud me
Sic iuuat, vt vana credulitate fruar.
Laudari volucris cum se Iunonia sensit,
Composito insignem ventilat orbe rotam.
Vt reliquæ vero male respondentia formæ
Turpia non pulchro cum pede crura videt,
Stellantis condit decus admirabile caudæ
Tristior, & multi plena pudoris abit.
Si ratione carens & nostris sensibus, ales
Hoc facit, in nobis an minus oris erit?
Contenta est modice, siqua est mea musa, probari,

Ne graue de nimia laude resultet onus.
Non tibi parua tamē referēda est gratia, quòd me
Versibus illustrem reddis amice tuis.
His ego pro meritis, voti sine crimine compos,
Atque diu viuas, & sine lite precor.

Ad Paulum quendam, qui inopia coactus, ne cum vxore & liberis fame conficeretur, mendicabat: sed cum impudenter petere cœpisset, repulsam passus est.

Paule tuus nimium mœror me conficit, ac te
Indignum, quem sors vexet iniqua reor.
Te quoq; conditio perturbat temporis huius,
Nobiscum, & multis vt puto rebus eges.
Magna potest vt ais, sed nil tibi præstat amicus,
Et promittendo rem trahit vsq; tuam.
At tu sollicitis huc illuc anxius erras
Cursibus, & magnum sæpe tribunal adis.
Nec rogitare viros tibi quos decuisset adesse
Nunc iuuat, hinc illinc optima verba refers.
Prosequitur factis te nemo, domiq; Minerua
Esurit, & mœstas inter Apollo Deas.
Turpe quidē est, sed eni magis est miserabile, quòd te
Vxorem, & natos conficit atra fames.
At mihi sint quanuis tenues hoc tempore census,
Cum belli innumeris cladibus ipse premar,
Ægre vestra ferens incommoda, sæpius (vt scis)
Auxilium vobis non mediocre fero.
Sed quoniam vacuus nunquam à me Pa[illegible]e recedis,

Sæpe fit vt posito multa pudore petas?
Si nihil vlterius spectas, nec mente reuoluis
Quàm facti ratio non sit honesta tui,
Non inhonesta nouæ videatur causa repulsæ,
Si dare quod nequeo, me dare posse negem.

In laudem Florentiæ maiorum patriæ,
cũ eò duodecimo post anno rediisset.

t Yrrheni colles, & frater Tybridis Arne
Inclyta tot claris vrbs habitata viris,
En ego vos iterum post bis sex conspicor annos,
Lætitiámque animus vix capit ipse suam,
Nescio quid me dulce tenet, mentémque pererrat,
Dum patriæ video tecta superba meæ.
Turribus his prisci cum delegere parentes
Auspice felicem hunc relligione locum,
Acer Fesuleis habitabat Strozus in oris,
A quo stirps primum Strozia dicta fuit.
Illum & diuitiis, & robore corporis inter
Finitimos, clarum fama fuisse refert.
Hunc placuit socium magnis admittere cœptis,
Atque opibus iuuit consilióque viros,
Prima Fluentinæ mox fundamenta locarunt
Vrbis, & has sedes incoluere simul.
Ergo meæ gentis non hæc sine cœpta labore
Moles, Hetrusco iura datura solo,
Cuius ad occasum solis penetrauit ab ortu
Gloria, quæ nulla stat moritura die.
At populi virtus firmatáque legibus æquis

Candida libertas hoc peperere decus.
Hic struxere domos, hic incunabula, nostri
Clara reliquerunt quæ coleremus aui.
Hæc tulit in numeros patriæ quos nemo pudendos
Duxerit, è nostro sanguine terra viros.
Hic tenero Nannes, maiorum aut degener actis,
Vagitus primos edidit ore pater.
Hos intra muros lusit puer, hic licet ipse
Antiquæ magnas stirpis haberet opes,
Non contenta tamen fortuna & laude parentum,
Quæ sua vix essent mens generosa fuit.
Verum se propriæ virtuti innixa per altum
Æternæ studuit tollere laudis iter.
Atque ita Ferrariam vix pubescentibus annis,
Nicoleo Estensi regna tenente petit.
Quantum illic pacis, belliq; excelluit arte,
Testis per Latium dedita fama solum.
Illa etiam auspicijs huius victoria primum
Parta est in campis Brixia magna tuis.
Carmignola nouum proprijs capturus (vt aiunt)
Consilium rebus, dum sua castra fouet,
Heu quantum decoris, quantum lux illa doloris
Huic domui, semper commemoranda tulit?
Nam tibi, dum patriæ vincis, pulcherrima vitæ
Meta fuit genitor, sed lachrymosa tuis.
Illa tamen nostras mulcent solatia mentes,
Quod tibi post obitum gloria maior erit.
Non nouus hac ciuis spectabor in vrbe, sed in qua
Nec nasci, nec ali fata dedere mihi.

Cuius ab aspectu quamuis ego tempore longo
Abfuerim, haud ideo est nunc mihi chara minus.
Parcite cognati, veteres ignoscite amici,
Queis cum vix vna possumus esse die.
Quippe ego Romana rediens legatus ab vrbe,
Cogor ad Estensem nunc properare ducem.
Tempus erit, quo vos, & mœnia chara reuisam,
Si dabitur vita liberiore frui.

TITI VESPASIANI STROZAE AEOLOSTICHON LIBER QVARTVS.

IESV CHRISTI DEI OPT. MAX. Genethliacon.

O Nimium felix, veréq; beata, nec vlli
Pro meritis digno nox celebrãda sono.
Venturæ quæ mox auroræ prescia, quod fas
Credere, tentasti lucis habere vicem.
Ne tantam audires, coràm sed vt ipsa videres
Virgineos partus, angelicósq; choros.
Sed licet abfueris inter præsepia nasci
Cum magnus voluit Rex veniente die,
Admiranda tamen cæli mysteria, tótq;
Gaudia credibile est nota fuisse tibi.
Lucifer astrorum fortunatissime, qui dum

Cætera iam pulsa sidera nocte fugas.
In statione manens quicquid gereretur, olympo
Nouisti, & terræ gloria quanta foret.
Testis es, humanos Deus vt sibi sumpserit artus,
Sed non mortali semine factus homo.
Et genibus positis asinúmque, bouémque repente
Ante sacros domini procubuisse pedes.
Tu quoque pastorum felix manus æthere ab alto
Quærere iussa humilis culmina parua casæ.
Maribus ô genitrix multum prælata beatis.
Atque parem nulla parte habitura tibi.
Quis tibi digna dabit pro tali munera partu?
Quis referat mentis gaudia magna tuæ?
Vix sacer in lucem completis venerat infans
Mensibus, arrisit virgo beata tibi.
At tu labe carens supplex expérsque doloris,
Continuo partus ès venerata tuos.
Et tibi, quo fatis præsentibus orta volente es,
Lactandum omnipotens se dedit alma puer.
Tum venerãda gerens canentẽ ad pectora barbam,
Secum animo voluit quæ videt acta senex.
Diuinique memor monitus te lætus adorat
Poplitibus flexis, progeniémque tuam.
Et parcente manu teneros auidissimus artus
Tangit, néve aliquà possit obesse cauet.
Quis dubitet libasse illi mille oscula? nec se
Dulcibus à lachrymis abstinuisse patrem?
Non hic Attalicis opibus fulgebat, & ostro
Sublimis pario marmore nisa domus.

Non auro paries gemmiſq; nitebat eois,
Non Arabi thalamus plenus odoris erat.
Non vllum menſe argentum, non ſtragula mollem
Velabat Phrygio picta labore torum.
Iuncus, & aggeſtæ filices, & canna paluſtris,
Felicis tuguri nobile tegmen erant.
Rara ſed & vento textura patebat & imbri,
Claudebat totum flexile vimen opus.
Atq; putris limi tunica circundata ſepes,
Ponere iam veteres cœperat exuuias.
Et crebras oculis ſpectantum peruia rimas
Fecerat, hirſuto non ſatis apta gregi.
Omnis inhærebat paucis rudibúſq; columnis
Quas faber haud multa finxerat arte, caſa.
Angulus haud ingens rigidi quo ſtraminis hoſpes,
Faſciculos paucos accumularat, erat.
Hoc cibus & lectus pecori fuit, hoc tibi virgo
Subſtrauit ſenior, compoſuitq; torum.
Talibus in plumis cæli regina quieuit,
Nec tamen inde procul bos & aſellus erant.
Nunc ſibi naſcenti rerúmq;, hominúmq; creator
Contemptis opibus legerat ipſe locum,
Vt ſacram expleret regio Bethlemica ſortem
Fatidis vatum nobilitata modis.
Dúmq; ſimul ſtudijs ingentibus ordine certo
Factori adſiſtunt cuncta elementa ſuo,
Purpurei veris tepidos æquaſſe calores
Hybernum ſolem, credere velle pium eſt.
Scilicet immiti ne frigore (nanq; ibi nullus

Horrendum Pluto proferet ipse caput.
E t procul insolitæ miratus lumina lucis,
Agnoscet domini territus ora sui.
Quem non ignorans erebi de carcere tetro
Ducturum sanctos ad pia regna patres,
S aucius attonitam fremet acri vulnere mentem
Obuius audebit nec tamen ire duci.
E xpectata pijs igitur cum venerit hora,
Secum rex hilares ire iubebit auos,
E t citius dicto, comitum stipante suorum
Agmine, se recta tollet ad astra via.
Quod si non magnis componere maxima rebus
Atq; humana sacris æquiperare licet.
L ætitiam talem cæli fore credere fas est,
Cum steterit magnum filius ante patrem,
Qualem cum domito referebat ab orbe triumphos,
Vrbem Romanam concelebrasse ferunt.
A usus es huic igitur puero crudelis Apella
Non vna indignam fraude parare necem?
T úne redemptorem, nisi malles perfidus esse,
Tentasti infanda tollere morte tuum?
Qui vitæ quæsitor erit, pœnáq; nocenteis
Afficiet, iustis præmia digna dabit?
T alia moliri sed quis mirabitur ausum,
Qui fuerit nati pestis acerba sui?
A t tu sancta dies cælo quæ mitteris alto,
Aduentúq; refers annua festa tuo,
H ercule cum natis, & fratre & coniuge chara
Sospitibus, nobis candida sæpe redi.

Ad Goggium, cum acri febre laboraret.

t Ertius in duro positum discrimine leti
  Goggi mensis in hac me regione tenet,
Multáq; sollicitam perturbat tristia mentem,
  Nec mihi grata dies, nóxve quieta venit.
Febris enim formas sese conuertit in omneis,
  Et miserum varijs torquet acerba modis.
Nunc tremula aggreditur glaciali frigore mēbra,
  Viscera nunc rapidis ignibus ima coquit.
Interdum largus de pectore profluit humor,
  Interdum fauces torret anhela sitis.
Et modo quarta dies me modo tertia vexat
  Plus solito, & nunquā pessima febris abit.
Non ego crediderim tot sumere posse figuras
  Protea, quot facies hæc fera pestis habet.
Adde quòd accipiunt nullos mea lumina somnos,
  Sed semper vigilant, semper aperta manent.
Hæc præter vini genus omne cibósq; perosus,
  Vix ego iam possum tot supesse malis.
Cruráq; succiduo quamuis titubantia gressu,
  Parte aliqua nequeant munus obire suum,
Me tamen insomnem, placidáq; quiete carentem,
  Tædet in inuiso membra tenere toro.
Si quid agam quæris, sedeo male fortis, & intrò
  Admitti iubeo siquis adire velit.
Audio, & expedio non pauca negocia, ludo
  Nonnunquā, nec sit dicere vera pudor.
Ingratásq; moras dum fallere temporis huius

Conor, ad id ſabor, quod minus ipſe probem.
Sed non parua ferunt miſero ſolatia muſæ,
Nec mihi ſe ſocias nocte diéq; negant.
Tot mihi non penitus delendi extempore verſus
Proueniunt, venam mirer vt ipſe meam.
Sæpe etiam pedibus componere verba ſolutis,
Et campo ferri liberiore iuuat.
Hic vbi mens hæſit, vix laſſa relinquere cœptum
Materia nunquam deficiente valet.
Pectore nec ſanus videor mihi, tum mea præter
Vota diu curis talibus ipſe vacem.
Hæc quoq; dum ſcribo, quàm vellem longius ecce
Auferor, & ſermo creſcit in ore meus.
Propoſitum fuerat mihi dicere, Goggie ſalue,
Haud recte valeo, tu memor eſto mei.
Longa ſed à nobis peraratur epiſtola, necdum
Inuenit vt video continuata modum.
At commiſſa mihi quoniam prouincia, ſorſq;
Me tenet hic ſæui pernicioſa mali.
Qualiacunq; vicem noſtro nunc nomine tecum
Supplebunt ſoliti carmina colloquij,
Te vero quanti faciam, quis dixerit? & quot
Mortaleis virtus vinxerit iſta tibi?
Iſtud amo ingenium tam multis vtile rebus,
Quod neq; doctrina, nec ratione caret.
Tu ſcriba egregius, necnon patronus haberis
Optimus, & te lis nulla tuente perit.
Et tua productos ſolers induſtria teſtes
Inducit, cautis vera referre modis.

Obsidet assidue tua limina turba clientum
  Certa nec ad somnos linquitur hora tuos.
Quid referam, quæ tu prosa, versú q; reponis?
  Quæ tibi dicendi copia, quæ grauitas?
Quàm culto sermone refers cælestia? quanta
  Mente vagi cursum solis, & astra notas?
Non animum sceleris tabes contaminat atri,
  Sed rectum sequeris candidus, atq; pium.
Atq; experrecto iuuat illa exquirere sensu,
  Quæ procul à vulgi mente reposta manent.
Hæc tibi non paruam pepererunt Goggie laudem,
  Dotibus his magnis charus & ipse viris.
Multũ equidem miror, q́ postquã hinc ripa recessit,
  Aut vbi sit, nunquam scripserit, aut quid agat.
Forte nouus cristas procerum fauor erigit illi,
  Et nos (vt video) turba minuta sumus.
Non sic esse puto, neq; enim constantior alter,
  Nec magis est sanctæ cultor amicitiæ.
Sed quoniam pestem, duriq; pericula belli
  A misera fugiens abfuit vrbe diu,
Vix illum consistere adhuc, distractáq; parteis
  In varias, sua vix composuisse reor.
His animum curis intendere oportet, & hinc est
  Quòd morem voto non gerit ille meo.
Cui quantum afficiar, neq; enim vulgaris in illum
  Est meus, haud nemo Goggie nouit, amor.
Exigit hoc in nos meritorum summa, nec vllis
  Casibus, & nullo tempore læsa fides.
Hunc igitur nostro tua nomine verba salutem

Dicant, & nos, vt non dubitamus, ama.

Ad Lælium Senem, amicum parænetice.

S Æpe mihi tecum ſermo chariſſime Læli,
Cuius non dubito te meminiſſe, fuit.
P ræterita vt velles errata ſenilibus annis
Corrigere, & magnæ mentis adire viam.
T e quia nec ſenſum monitis adhibere, nec aureis
Sum coràm expertus, proficióq; parum,
S cribere conſtitui, cupidus tentare quid abſens
Ferre tibi valeam verus amicus opis.
R emigis officio, cum nil ſibi lintea proſunt,
Vtitur in ſtabili qui rate findit aquas.
H inc vbi percuſſam violentis ictibus ornum
Agricolæ nondum procubuiſſe vident,
I llinc mutata ratione ſecuribus inſtant,
Dum cadat, & prono vertice pulſet humum.
H os imitaturus cum non ſucceſſerit, illa,
Qua volui, parte hac nunc ego cœpta ſequar.
N ec vereor tibi ne dicar grauis atq; moleſtus,
Cum norim mores ingeniúmq; tuum.
N am neq; præclara maiorum ſtirpe ſuperbis,
Qua ſe nobilitas ſignat inepta nota.
E t te (nec fallor) nihil eſt humanius, & me
Præter amicitiam ſanguine iunctus amas.
N ec minus accedunt ſtudij communia noſtri
Vincla, nec eſt muſæ gloria parua tuæ.
M ultáq; concurrunt, videor quibus omnia poſſe
Audacter tecum, liberiúſq; loqui.

Ergo quod toties in te reprendimus, vnum est,
Respondet laudi cætera vita tuæ.
An decuisse putas cui filia nubilis, & tot
Natorum insignis cœtus, amare senem?
Quid tibi vis teneram gremio iam canus amicam,
Dum per mille iocos blanditiásque foues?
Esse potest aliquid quod præter mollia verba
Optet in amplexu dum iacet illa tuo?
Illáne te propter credis suspiria mitti?
Falleris, alterius flagrat amore proci.
Hic placet, hunc illi commendat amabilis ætas,
Hunc cupit, huic colitur, cura nec vlla tui est.
Sed tibi blanditur, vel quòd desideret aurum,
Vel quòd sit gemmæ capta nitore tuæ.
Hinc est, quòd simulans te sic ardere videtur,
Spes lucri parit hanc insidiosa facem.
Esto, illam nulli valeant auertere amantes,
Penelopeea stet tibi vincta fide.
Legitimi inter vos cum non sint fœdera lecti,
Non aliqua vester labe carebit amor.
Quódque silere mihi non est sententia, rumor
Exijt in vulgum, quem minus ipse velis.
Nuda negant latebras detonso gramine prata
Impositi formam signat arena pedis.
Subdita crystallo rerum translucet imago
Quælibet, accenso fulgor ab igne venit.
At q̃uis nandi sit præditus arte, sub alta
Nemo diu vitam ducere posset aqua.
Nudus amor facibúsque suis, nitidísque sagittis

Proditus in tanta luce latere nequit.
Tu bone vir, longo celari tempore quicquam,
Conscia si fuerit fœmina, posse putas?
Adde quòd absumpto iuuenili robore, corpus
Incidit in morbos, perniciémque suam.
Verũ his posthabitis, magis illud amice timẽdũ est,
Quod sontes miseros debita pœna manet.
Tartara, cymba, charon, Pluto, rota, Cerber⁹, ãgues
Cocytos, phlegethon, styx, lapis, vrna, sitis.
Dictæóque timent quicquid sub iudice manes
Est aliquid, nec tu serius esse putas.
Quare age, sepositis quæ prima indulserat ætas,
Maturum præstet vita suprema senem.
Plurima sunt, animum quibus oblectare licebit,
Seruata poteris quæ grauitate sequi.
Et virtus, & opes tibi sunt, & gloria gentis,
Corporis & sani non mediocre decus.
Ista quis esse neget præclara, & maxima? verum
Officit innumeris vnica culpa bonis.
Quod nihil hoc præter quisquam desideret in te,
Pulchrum & diuinum munus id esse reor.
Si sapis incumbes enixius, atque canebis
Ne qua fuscetur candida fama nota.
Sic meritis tibi crescet honor, magnisque parentum
Laudibus, & quouis nomine dignus eris.
Inque dies animo melior se offerre voluptas
Incipiet, cuius te meminisse iuuet.

Ad Policianum, cur rosa grata Veneri sit, ac rubra.

q *Veris cur Veneri gratissima, cúrve coloris*
Sit rosa purpurei, quæ prius alba fuit.
R *ipa licet melius, Baptistáq; doctus vterq;*
Eloquio valeant hæc aperire suo,
E *t quamuis eadem grais de fontibus hausta*
Attigeris scriptis Policiane tuis,.
N *e tamen à nobis tua non spernenda repulsa*
Vota ferant, mentem percipe nate meam.
N *ulli dicta prius nostrorum, & cognita paucis*
Restabant, tibi quæ musa iocosa refert.
M *ars ferus insano flagrabat amore Diones,*
Primáq; cura deæ pulcher Adonis erat.
F *orte sacer Xanthi surgebat lucus ad vndas,*
Quem prope non alto vertice collis erat.
S *emper vbi volucrum frondentibus abdita ramis*
Mille dabat dulces turba canora modos.
R *etibus hic positis puerum complexa iacebat*
Venandi insolito fessa labore Venus.
V *idit, & inuidit puero Gradiuus, & acer*
Ossibus exarsit non sine felle dolor.
D *um furit, exclamátq; procul, sæuúmq; minatur,*
Attonitus trepido surgit vterq; metu.
C *orripit immanem fracto de robore ramum,*
Riualiq; parat fata suprema suo.
P *ræcipiti cursu proles cinareïa, qualis*
Territa conspecto cerua leone fugit.

Sed fuga quid prodest misero? nam proxima noti
  Mars puerum assequitur dum iuga collis adit.
Nodosum manibus robur violentus & ira
  Turbidus attollit, iámque ferire parat.
Eripuisse neci te, fertur, Adoni Cupido,
  Atque alas humeris applicuisse tuis,
Belliger incolumem decus indignatus Adonin
  Se rapido citius eripuisse noto,
Impatiens facti, plenúsque doloris, & ira,
  Per stygiam vltorem se fore iurat aquam.
Nunc quoniam nequit inuiso de corpore pœnas
  Sumere, & optata spargere cæde manus,
Hinc abit, ac sæuo conceptum pectore virus
  In Lapithum populos euomit, inque Getas.
Illic bella ciens, miseras in prælia gentes
  Concitat, & secum funera mille trahit.
Palluerat viso discrimine amantis, & illi
  Ibat, vt afferret, quà dea posset, opem.
Dúmque minus caute fruticosa per auia currit,
  Infixa est læuo spina maligna pedi.
Non tamen hanc illi casus fortunáve sortem,
  Sed grauis alterius numinis ira dedit.
Nanque id molitam perhibent Latoida, cuius
  Facta comes puero sumpserat arma Venus.
Quin & virgineis oculis quod cernere Nymphæ
  Quódque viris coram dicere turpe putant,
Id vidisse ferunt, atque erubuisse Dianam,
  In teneri gremio dum iacet illa proci.
Hinc odium creuit longo iam tempore cœptum,

Et secum irata mente locuta dea est.
En cui vesanæ ponunt altaria gentes,
Edita quæ magno creditur esse Ioue,
Quæ pharetras, arcúsq; meos, & spicula gestat.
Audet & in syluis crimina fœda meis.
Quid sibi vult? molles impura venefica succos
Contenta Idalio misceat, atq; Papho.
Polluat infandis insignis adultera furtis
Legitimi vinclum connubiale tori.
Delicijs, luxúq; vacet, nobísq; laborem
Linquat, & audaces desidiosa feras.
Nec se virginibus meretrix obscœna videndam
Exhibeat, nostris abstineát;q; locis.
Vtq; solet, iaceat laqueis deprensa mariti,
Facta ob adulterium fabula trita suum.
At mea cum tali violarit lumina nuper
Occursu, in pœnas cur ego lenta moror?
Si non digna satis datur vltio, nec mihi terras,
Nec cælum, ac prorsus peste leuare licet:
Efficiam saltem, ne sit nostriq;, lociq;
Immemor istius, nequitiǽq; suæ.
Sic effata vocat primam è custodibus Opim,
Huic aperit mentem strenua diua suam.
Scis ait ò virgo veluti gratissima semper
Ante alias fueris, & mihi chara soror.
Huc ades, ac mecum iusto succurre dolori
Quà potes, hæc certe causa tuenda tibi.
Haud procul hinc nemus est, vitæ cõtraria nostræ
Ducit vbi turpes nunc Erycina moras.

Proscelus, hanc nostris armatam incedere telis,
 Nequitia syluas contemerare sua.
Aude aliquid, quo læsa meam non negligat iram,
 Nec maculet castos improba lena choros.
Dixerat, Opis abit, fœcundæq; omnia terræ
 Narrat, & hanc monitis instruit ipsa suis.
Talibus ergo dolis Cytherea petita Dearum,
 Incidit in fraudem, vulnificumq; rubum.
Ingemuit grauiter nimio deuicta dolore,
 Nec magis Ætola languit icta manu.
Effluit exiguo largus de vulnere sanguis,
 Turgida ceu ferro vena petita foret.
Illo & roranteis niueum posuisse colorem
 Tunc primum perhibent, & rubuisse rosas.
Tanta quoq; accessit mutato gratia flori,
 Non leue solamen possit vt esse mali.
At Venus admotis nequicquam sedula pestem
 Vnguibus, & sumpta vellere tentat acu,
Sed conata diu nil proficit, irritus omnis
 Est labor, intus enim cuspis adacta sedet.
Quóq; magis tactum sperat comprendere veprem,
 Hoc magis in latebris figitur ille suis.
Nulla viam felix ratio regit, addita Phœbe
 Obstat, spe crescit deficiente dolor.
Iámq; leues etiam tactus miserabilis horret,
 Nec parcens lachrymis exanimata cadit.
Iuppiter vltricis pœnam hanc opus esse Dianæ
 Sentit, & id prohibet longius ire malum.
Tristiáq; afflictæ miserans incommoda natæ,

Communem ætheria mittit ab arce Deum.

I leuibus pennis interpres fide per auras
Inquit, & Æsculapi limina nota pete.
Dic Venerem tristi languentem vulnere curet,
Quod leue si videas forsitan esse putes,
Id vero secus est, quæ plaga, quis author, & vnde
Manarit, quamuis me reticente scies.
Nunc velut exanimem phrygio vicina Scamandro
Immitis facti conscia sylua tenet.
Dixerat, aligero properat per inania cursu
Nubila, Chaoniæ par Tegeæus aui.
Nec mora, sublimes Epidauri cernere muros
Incipit, huc celerem dirigit ille fugam.
Per liquidum geminis serpentibus aëra vectum,
Proxima Phœbigenam templa subire videt.
Nuper enim rediens Liparea reliquerat antra,
Expertus medica quicquid in arte valet.
Fulminibus rapidos cum Lemnius adderet igneis,
Ausa est diuinas vrere flamma manus.
Attulit auxilium Vulcano accitus, & inde
Venerat, vt vidit conualuisse Deum.
Protinus inuadit placido Cyllenius ore,
Et patris Ætherij nomine iussa refert.
Aurata senior beneolenteis pyxide succos
Diluit, & varijs gramina secta locis.
Hæc vbi composuit multa doctissimus arte,
Iussum cristatis anguibus egit iter.
Vtq; pharetrati genitricem vidit amoris,
Deiectam in viridi languida membra solo,

Desiliens curru, quid agis Cytherea? quid inquit
Accidit, indigeas artis vt ipsa meæ?
Illa silet, neq; enim præcordia reddere vocem
Sensibus attonitis pressa dolore sinunt.
Frigidus ex omni manarat corpore sudor,
Totáq; mutarat pallidus ora color.
Et nisi quòd leto cælestia corpora non sunt
Subdita, vitali luce carere putet.
Nunc madidam tenui faciem velamine siccat,
Nunc placida mulcet sedulitate manus.
Admouet interdum graueolenteis naribus herbas,
Interdum gelidis fontibus ora rigat.
Et modo substringit digitos, modo brachia vinclis
Comprimit, ac Venerem nomine sæpe vocat.
Vix leuat ægra caput longo velut excita somno,
Et queritur læsum voce tremente pedem.
Ille Deam lachrymas & acerbos ponere questus
Spémq; bonam læta sumere fronte iubet.
Tum precibus factis iam non renuente Diana,
Decidit in mediam spina relata manum.
Promitur hic suauis panaceæ succus odoræ,
Et cum dictamo nectar, & ambrosia.
Additur & sacro quod Iuppiter expuit ore,
Et quæ mortalem dicere multa nefas.
Ipsa quibus quoties aliquid triste accidit, vti
Numina (si dignum est credere) fama refert.
Et quibus immitis fertur post fata nouercæ
Virbius oranti redditus esse Deæ.
Omnibus his prius expresso, abstersóq; cruore,

Angusta exigui vulneris ora linit.
Utque locum tetigit, pedis est obducta cicatrix:
Et dolor ex omni corpore pulsus abit.
Surgit læta Venus solitum transgressa decorem,
Dignáque pro tali munere dona refert.
Nam tibi, quem merito veneratur Achaïa cultu
Oscula dat, cupidus qualia vellet amans.
Quæque potens herbis satus est cantúque Machaon,
Promissa est thalamis Triccia Nympha tuis.
Pectoris indicium licet horrida barba seueri
Præbeat, & frontem ruga senilis aret,
Non ingrata fuit merces tamen, & mihi certe
Non spernenda Venus præmia reddis, ait.
Quis nisi vel demens, rigida vel tigride natus
Trans mare, trans terras ista petenda neget?
At nostra quamuis opera cupiamus, & arte,
Atque his auxilijs non opus esse tibi,
Ut libet ipsa tamen rebus, quas posse videmur
Utere, paremus si Cytherea iubes.
Huic Dea subridens hilari placidissima vultu,
Par inquit merito gratia nulla tuo est.
Immemorémque tui nunquam me flumina lethes
Efficient, si fas illa bibisse Deo.
Lætus ob hæc currum conscendit Apolline natus,
Et religit notas anguis uterque vias.
Iam Deus occidui properabat ad æquoris vndas,
Lucifero nitidum qui vehit axe diem.
Hinc abitura videt rutili Venus esse coloris,
Quas albas dudum viderat ipsa rosas.

G audet, & hic sæui semper monimenta doloris
  Flos teneat rostro sanguine tinctus ait.
A tq; ita fragrantem paulúmq; cruore recenti
  Humentem, nitido subsecat vngue rosam.
H anc vbi diuinæ imposuit pulcherrima fronti,
  Fertur Acidalio corpus vt amne riget,
C antantes pariter, pariter plaudentibus alis,
  Aërias cygni corripuere vias,
A lbáq; purpureis frenati colla capistris
  Auratos currus ad loca iussa trahunt.
I nterea cælum, festis discordia mensis
  Non admissa graui seditione replet.
N anq; vbi se nullo dignatam vidit honore,
  Protulit infesta dona notata manu.
C ontendunt superi, reliquis cedentibus instant,
  Munera poscentes Iuno, Minerua, Venus.
C ælicolas vario lis ambitiosa fauore
  Distrahit, inq; vicem non bona verba sonant.
I udice rem tanta dirimi Ioue quilibet optat.
  Iudicio Phrygium præficit ille Pari.
E rgo diem statuunt, qua se cognoscere causam
  Pollicitus monuit pastor adesse deas.
Q ui cultus, qualisq; decor, quæ gratia, quantum
  Instar in his fuerit nemo referre queat.
N on coma, non oculi, non frons, non ora, manúsq;
  Non miro totum corpus honore caret.
A diuuat ars formam, gemmis certatur & auro,
  Idæum sacro fragrat odore nemus.
C inxerat auratos genitrix Æneia crineis

Sanguine quas proprio tinxerat ipsa, rosis.
Laudauere noui præstantem floris odorem,
Atque admirantes obstupuere duæ.
Purpureámque manu Veneris de fronte coronam
Sublatam, proprijs imposuere comis,
Móxque reponentes ambæ simul omnia laudant,
Et vultu inuidiam dissimulante premunt.
Pendeat & quanuis dubiæ sententia litis,
Vtraque solliciti plena pudoris abit.
Postquam dimisso penitus certamine pastor
Iudicio vidit se eripuisse deas,
Præmia dat Veneri verbis testatus honorem,
Cui meritas grates aurea Cypris agit.
Punicei vero suauis fragrantia serti,
Cum formæ addiderit non mediocre decus.
Ipsa licet florum se mille coloribus ornet,
Attamen in primis est rosa grata Deæ.

Ad Herculem Ferrariæ ducem, de nuptijs Alfonsi, & Annæ.

aCcepta senior veluti rude miles ab omni
Munere castrorum militiæque vacat.
Sic ego distractus varijs dux maxime curis
Quas grauior secum ferre senecta solet:
Seposui lusus animis iuuenilibus aptos,
Omnis & Aonidum penè recessit amor.
Sed tua me virtus, mea mens tibi dedita, cogunt
Vt repetam musas, & tibi pauca canam.
Pauca canam, quibus Alfonsi celebrentur, & Annæ

Connubia, & miris multa parata modis.
Herculis Alcidæ maius mihi numine numen
Huc ades ò princeps, carminibúsque faue.
Læta triumphaleis Ferraria suspicit arcus,
Quos posuit magni splendida cura ducis.
Explicat ingenteis ad sidera ducta columnas
Machina, Romanis æmula marmoribus.
Aureus erranti populo dat peruia fornix
Hostia, præclara nec labor arte caret.
Unica nec regio decus hoc sibi vendicat vrbis.
Plura sed egregium per loca surgit opus.
Non tamen est eadem structuræ forma quaternæ,
Diuersósque tenent compita festa Deos.
Iuppiter ex alto Schinoa pallatia curru
Spectat, & in dextra missile fulmen habet.
Cernimus hic mutos arrecto pectore cursum
Dirigere ad primi lumina solis equos.
At Cyclopas anhelanteis non segniter vrget
Mulciber, & vultu præripit, atque manu.
Hic exerceri ferrum, & Vulcania late
Ictibus alternis antra tonare putes,
Prosequitur dominum trepidantibus impiger alis
Armiger, & pedibus tela trisulca gerit.
At procul inde nouam celebris via ducit ad arcem,
Struxit vbi Herculeus Iulia tecta labor.
Hic Deus eloquij largitor, & artis, ab alto
Ipse sibi sacrum monte tuetur opus.
Per varias rerum species mortalibus aurat
Lucri multiplices hunc aperire vias.

Aurea non desunt leuibus talaria plantis,
Et caput obtecto crine galerus obit.
Virga manu geritur, qua cum libet ille soporem
Inuitis oculis inijcit, atq; fugat.
Hac animas viuis adimit, rursúsq; profundo
Hac misero maneis ex Acheronte vocat.
At patris assisi celebrem quæ prospicit ædem,
Pulchra coronatis stat Cytherea comis.
Fert iaculum formosa manus, cestóq; decenti
Succinctos crepitans ventilat aura sinus.
Ludunt errantes rosea ceruice capilli,
Et niueos humeros lucida concha tegit.
Dulcibus Euphrosyne comitata sororibus illic
Exercet molleis conspicienda choros
Turba columbarum modo præuolat, & modo miscet
Certatim rauco mutua rostra sono.
Quéq; vehunt dominã, per candida colla videntur
Dulce capistratæ fundere carmen aues.
Haud procul intento volitat puer improbus arcu,
Imperio subdit qui fera corda suo.
Qui rudibus, timidisq; animos, astúmq; puellis
Suggerit, & miseros cogit amare senes,
Principis ad veterem surgit labor vltimus aulam
Belliger hic stricto fulminat ense Deus.
Se comites iungunt hinc Ischyrus, inde Machetes,
Et graue vterq; gerit robur, vterq; gigas.
Horrent arma procul, duplices galea aurea cristas
Erigit, ipse ferum concitat acer equum.
Stat iuxta Bellona ferox, terrórq;, pauórq;

Et labor, & virtus, indomitúsq; furor.
Hinc Lapithæ, manes, Parthiq;, Getæq;, Scythæq;,
Ominibus varijs tristia bella gerunt.
Instat, & atra fremens accendit prælia Mauors,
Pallida subsequitur mors properante gradu.
Concurrunt, spectant, mirantur singula, summis
Laudibus ad cælum plébsq;, patrésq; ferunt.
Nec minus externas capiunt spectacula gentes,
Státq; intra muros dux noua Roma tuos.
Nec etiam gemini patriæ sensere parentes
Gaudia, magnanimæ gloria summa domus.
Nicoleos genitor nati te munus obire,
Se fratrem sensit Borsius esse tibi.
Nanq; coronati subeuntem Regia turbam
Limina suscipiunt, & bona verba ferunt.
Hoc tua curauit probitas mitissime regum,
Prosequitur magna quæ pietate suos.
Marmorei buxo postes ornantur & auro,
Frigida cum vernis floribus obstet hyems.
Sic insigniti arrident, populúmq; salutant,
Splendidáq; Attalicas regia vincit opes.
Purpureis filis, & mille coloribus aurum
Illusum paries vndiq; tectus habet.
Et proprias rerum variarum stamina formas
Artifici referunt texta magisterio.
Culta puellarum series, iuuenúmq; choreas
Integrat, & lætis obstrepit aula sonis.
Quæ populum capiant hinc, atq; hinc ordine longo
Multiplici surgunt celsa theatra gradu.

Hic Ferdinandi soboles clarissima regis,
Sola tuo digna est quæ Lianora toro.
Hic inq; Lianora sedet, quam regia magni
Imperij tecum frena tenere iubes.
Legatósq; inter Venetos, atq; inter Hetruscos,
Seruat honoratum diua Isabella locum
His quoq; lætatur socium se maximus Heros,
Addere, quem Mantus vrbs veneranda colit,
Bentiuoli, & proceres, Insubrũ, & Sfortius Hermes
Conueniunt, festam concelebrántq; diem.
Irradiant auro & nitidis cœnacula gemmis,
Fulgida ceu clara sidera nocte micant,
Tu quoq; prospiciens alta de sede Theatri,
Aspectu reddis cuncta serena tuo.
At puer Alfonsus dilectæ proximus Annæ,
Conqueritur tardum lentius ire diem.
Formosámq; manum blando substringere tactu
Gaudet, & insolito saucius igne calet.
Et noua præmeditans venturæ gaudia noctis,
Dulcia cum tenera coniuge verba serit.
Subridet simplex, sed enim non rustica virgo,
Purpureo niueas icta pudore genas.
Mergere luciferos vicina nocte parabat,
Pronus in hesperio gurgite Phœbus, equos.
Cessat fessa choris pubes, & corpora curat,
Spectatura saleis Plaute iocose tuos.
Nec mora, collucent lychnis ardentibus ædes,
Scenáq; compresso murmure cuncta silet,
Ecce superueniens rerum argumenta retexit

Mimus, & ad populum verba diserta refert,
Tum similes habitu formáq; & voce Menæchmi
Dulcibus oblectant lumina nostra modis.
Hac studiose potes falli spectator ab arte,
Aurea discrimen ni tibi penna daret.
Altera lux oritur, magni instaurantur honores,
Hospitibus nostris lætáq; turba coit,
Andria mox agitur priscis Megalensibus acta
Sed iussu princeps nunc repetita tuo.
Quid simulet genitor, referat tibi Pāphile Dauus,
Et te quid cupias dissimulare monet.
Illius in magnas solers audacia mox te
Præcipitat turbas, consiliiq; piget.
Attica sed postquam ciuis, quam perditus ardes,
Inuenta est, nuptu traditur illa tibi.
At voti compos, potitúrq; Charinus amica,
Atq; ita vobiscum gaudet vterq; senex.
Iámq; dies aderat regalibus vltima ludis,
Nostra quibus nullos secla tulere pares,
Principio choreis indulget læta iuuentus,
Saltat & alterno per sola pulsa pede,
His actis propere aduersa de sede palati
Festiuis feriunt cantibus astra tubæ.
Nec tibicineæ cessant modulamina buxi,
In'que vicem vario tecta sonore fremunt,
At nitidis aulæ præfecti in vestibus adsunt,
Sceptráq; sublimes imperiosa ferunt.
Iussa viris dat scena locum, retróq; recedit,
Et lato populus limite pandit iter.

Quis noua regalis referat miracula luxus?
Quis tantum Latio vidit in orbe decus?
Conantémq; loqui quem non subsistere credas,
Diffisum auxilio Calliopæa tuo?
Ecce laboratas concreto nectare formas,
Diuersorum operum plurima turba gerit,
Hæc licet impensæ non sint mediocris, & apte
Clarorum artificum sint fabricata manu,
Attamen in primis nouitas laudatur, & ordo,
Cui rerum æquari copia nulla queat.
Insignita notis nam versicoloribus illic
Munera quisq; suo nomine facta videt.
Cernimus Ausonij veneranda insignia Regis,
Cuius ad extremas gloria lata plagas.
At Venetæ custos acerrimus vrbis, aduncis
Vnguibus, hinc terris, inde minatur aquis,
Innumeris post hunc sinuosè volumina torquet
Orbibus, Insubrum vipera grata duci,
Fulmineúsq; leo terræ dominator Hetruscæ
Concutit horrendas ore fremente iubas,
Martius agnoscit iuuenis Gonzagia signa,
Et gener, & nostro iunctus amore duci,
Senáq; martigenam paruo cum fratre Quirinum
Vbera lactantis noscit, & ora lupæ,
Hic panthera suis sese Lucentibus offert,
Oblita ingenij, sæuitiæq; suæ,
Bentiuolum gentile decus, serráq; tueri
Magnanimo Hannibalem cum genitore iuuat,
Non simul innexæ claues, non aurea diui

Herculis, hinc absunt lilia, non aquilæ,
Lætamúrq; tuo positas in honore columnas,
Sigismunde quibus non color vnus inest.
Præterea quicunq; sacros celebrare hymenæos
Conuenere, sibi dona parata ferunt.
Hic tener elidit geminos Tyrinthius angueis,
Parrhasias certa cuspide figit aueis,
Mactat aprum, clauáq; terit Busiridis artus,
Perdomitóq; truces hospite mollit equos.
Victor inaccessos hortos custode perempto,
Intrat, & Hesperidum splendida mala rapit.
Hoc subtracta iacet Nemeæ bellua syluæ,
Tartareus discit vincula ferre canis.
Et tibi sublato validis Antæe lacertis,
Mœsta negat solitam subdere mater opem.
Ardua victrici submittere cornua dextræ
Cogitur, & celerem sistere Cerua fugam.
Atq; tot vnius vitas miratur & arma
Geryonis populus, tergeminámq; necem.
Quid memorē frustra minitantē incendia Cacum?
Et toties victæ colla recisa feræ?
Horrida nubigenas actos in prælia fratres
Quid loquar? & fraudem perfide Nesse tuam.
Hercule ab Estensi magni Iouis inclyta proles
Quid sequar in laudes plurima facta tuas?
Nec mirum est, meritis homines cōplexus in ipsos,
Omnibus officijs vtitur ille deos,
Quos varijs omneis in cultibus ordine longo
Cernimus Herculeos nunc adijsse lares.

Iuppiter inuehitur bigis, fulménque coruscum
  Gestat, & ad læuam fida residit auis,
Frenatis Iuno pauonibus, aurea cygnis
  Idalie, gemino ducitur angue Ceres,
Astagerit sceptrum & regalem Iuno coronam,
  Myrtea fert Paphie, spicea serta Ceres.
Omnia quæ quamuis rapta connubia nata
  Oderit, ac Veneri non sit amica satis,
Non tamen offensæ meminit te propter, & illis
  Se sociam gaudet te cupiente dari.
Quattuor aurato nitidos premit axe iugaleis
  Intonsum radijs cinctus apollo caput,
Mars duo sæuus equos, mergos Tegeæus edaces,
  Frenat, & ornatus gestat vterque suos.
Gorgonis anguicomæ cælatos ægide vultus
  Pallas habet, rutilam casside tecta comam.
Splendida mollis amor curuato conijcit arcu
  Spicula, sublatam lampada quassat Hymen.
Læda fouet cygnum, Danaë deluditur auro,
  Fert timidam fallax taurus Agenorida.
Parte alia regis pascentem armenta Pheræi
  Aspice dissimulet quàm noua forma deum?
Tempora pampinea redimita Ariadna corona
  Tigribus inuehitur candide Bacche tuis.
At vaga virgineos inter Latoïa cœtus
  Conspicitur, celeres prosequitúrque feras,
Nec procul Endymion niueas gratissimus illi
  Si fas est famæ credere, pascit oueis.
Illum concussa pecori dare sibila virga,

Et peronato dixeris ire pede.
Alba galeritum sequitur canis, obuia furtim
Spectat inexpletis hunc dea luminibus,
Rupibus in patrijs pesti data præda marinæ
Luget, & implorat vincta puella deos,
Nec minus ad fontem cura periturus inani
Concipit infelix irrita vota puer.
Orpheus arguto stupefactos carmine monteis,
Fluminaq́ꝫ, & volucres allicit, atq́ꝫ feras.
Hic Satyros & Pana vides, Driadasq́ꝫ puellas,
Et cinctam querna tempora fronde Palem,
Crinigerúmq́ꝫ caput cubito subnixa colossi
Effigies recubat semisupina solo,
Turrigeræ surgunt arces, bijugiq́ꝫ colonis
Parent, & ducunt stridula plaustra boues,
Victa graui senio fragranteis prouida nidos
Construit, vt sua post funera viuat auis,
Rhinoceros cauto prætentat pocula cornu,
Errat in herbosa segnis onagrus humo,
Bactranóq́ꝫ suum nomem commista Camelo
Pardalis, argutum surrigit alta caput.
At vestros habitus, & nomina dicere longum est
Numina, quæ salsæ regna tenetis aquæ.
Frenatis alacres omnes in piscibus itis
Tortilis erranteis colligit alga comas,
Quos inter sæuum dextra Neptune tridentem
Concutis, & virideis ad iuga ducis equos,
Interea nox atra ruit, celeresq́ꝫ ministri
Accendunt crebras tecta per ampla faces.

Per varios agitanda modos comœdia nobis,
Nota fit indicijs Socia falſe tuis.
Verus ab Ogygio iuſſus procedere portu
Secum victoris facta recenſet heri.
Hic dum Teleboas acies & prælia narrat,
Arcadis ignota luditur arte Dei,
Iuppiter obſequio ſpatioſæ noctis, amori
Seruit, & Amphitryo limine pulſus abit.
Plurima ſed medijs addis gratiſſima princeps
Actibus, & vario ſcena referta ioco eſt.
Non tuba, non citharæ, non tibia, non caua ceſſant
Tympana, non agili cymbala pulſa manu,
Argutáſq; modis voces concordibus edunt,
Per non æqualeis organa ducta pedes,
Hic iuuenes ederæ tecti viridantis amictu
Pluribus extemplo proſiliere locis,
Atq; leueis agili meditantes corpore motus,
Ad numerum cœptos implicuere choros,
Quóſq; manu tulerant connexis ordine ramis
Texitur, atq; noua porticus arte viret,
Móxq; reſoluentes ramorum vincula ſaltu,
Non in compoſito corripuere fugam.
Cynthius inde lyram plectro percuſſit, & inter
Laurigeras cecinit carmina docta deas,
Alfonſiq; ſimul laudes, Annæq; recenſens,
Venerat ad nomen dux memorande tuum,
Iam dicturus erat quantum vel pace, vel armis,
Quantum conſilio, iuſtitiá vales,
Quòd ſceleri pœnam tribuis, quòd præmia laudi,

Quòd nullis gratus vinceris officijs,
Sed tibi ne proprias aliquis te forte putaret
Arbitrio laudes instituisse tuo,
Quid cuperes vultu ostendis, gestúque modesto,
Fatidicus licet id nosceret ante Deus.
Magnanimósque canit proceres, & laudibus ornat
Sanguine coniunctos, hospitióque tibi.
Agricolæ terram exercent ruralibus armis,
Et feriunt duro putre ligone solum.
Sarculo humum fodiunt, committunt semina sulcis,
Farra metunt, curua gramina falce secant.
Et varios fingunt opera inter agrestia gestus,
Maurorum in morem, continuántque choros.
Iuno, Venus, Charites, Phœbúsque, & Bacchus, & Hy-
Sacra coronata carmina fronte canunt. [men,
Capripedes satyros, choreisque, sonisque vacanteis
Terret syluestris forma maligna viri.
Ille grauem attollens immani corpore clauam,
Persequitur trepidos, verberibúsque fugat.
Tu quoque cantanteis inter Latoïa Nymphas,
Dulcia diuinis cantibus ora moues.
Parte alia gladiósque breueis, parmásque gerentes
Centauri inter se conseruere manum.
Duráque purpureo post prælia sanguine tincti,
Nota simul rapidis cursibus antra petunt.
Suscitat hinc litem fracto discordia pomo,
Dardaniúmque Parim tres adiere Deæ.
Plena venustatis profert Saturnia gressum,
Hinc mediam Pollux, Castor & inde tenent.

Se comites addunt, terrórq; pauórq; Mineruæ
  It Cytherea suis iuncta cupidinibus.
Quæq; sibi magnis certat captare fauorem
  Pollicitis, Paphiæ tradita palma Deæ est.
Igneus hæc inter demittitur æthere fulgor,
  Cum tonitru, atq; Iouis panditur alta domus.
Ecce duos cælo decurrere cernimus angueis,
  Cessáq; Thebani tecta subire ducis.
Mox geminos Alcmena parit, prior editus ex his
  Asseritur magni filius esse Iouis.
At neq; par animis fratri, nec viribus alter,
  Nec laude Argiuo est Amphitryone satus.
Nec mora, diuinæ vocis veneranda sequuntur
  Iussa, quibus coniux conciliata viro est.
Inuentor tantorum operum tu maxime princeps,
  Sumptibus & iussis ista peracta tuis.
At cum tam subito perfeceris omnia, non te
  Mortalem, potius credimus esse Deum.
Néve quid hæc prisci desideret Herculis ætas,
  Illius ipse animos, nomen, & acta refers.

In laudem Riparum Benaci.

c Edriferi colles, & amœni collibus horti,
  Lucida Benaci qua fluit vnda lacus.
Vnde ortum accipiens placido felicia cursu
  Mæoniæ gentis Mintius arua secat.
Vos saluete simul Nymphæ, saluete deiq;,
  Siquos aut nemus hoc, aut sacra lympha tenet.
Quàm iuuat has ripas spectare, habitúmq; locorum?

Lenis vbi tenui sibilat aura sono?
T anta vbi vis auium cantu quæ mulceat aureis?
Et quæ sit lautas inter habenda dapes?
Quis non aurifero depastos gurgite pisces
Laudarit, quos hic vnicus amnis alit?
D elitiæ, quæ non capiant cæliq; soliq;?
Quis putet his quicquam gratius esse locis?
C ontendisse hominum labor, & natura videtur,
Vter plus ditet, nobilitétve situm.
N on animos tantum Regio, non lumina pascit
Ægra, sed vt medica corpora sanat ope.
H oc simul indigenæ experti, externiq; fatentur,
Hoc refero certa testis & ipse fide.
N éve sit ignotum quis tot pulcherrima laudet,
Si per eum tribui laus tamen vlla potest,
P ost decimum Titus rediens huc Strozius annum,
Hæc vobis grata carmina mente dicat.

TITI VESPASIANI STROZAE SERMONVM LIBER.

Ad Luceïum Ripam.

Væris amicorum numero mihi charior omni
Ripa, quid agricolas inter, iam tempore longo
Commorer, & quid agam, vobis, atq; vrbe relicta.
Nec minus impositum cur non à principe munus
Exequar, & quicquid res me nunc publica poscit.
Huius causa moræ quæ sit cognoscere, si mens
Certa tibi est, paulum quæso intermitte seueri
Grande supercilium studij, rursúsq; reuise
Quam tu præterito laudaras tempore villam.
Sic ea quæ longa scribentem ambage tenerent,
Accipies coràm non committenda papyro.
Linque domi curas omneis, quæcunq; magistro
Socrate discebat verbis instructa iuuentus,
Differat in circo mordaci barbula lingua,
Barbula, qui pictas delubris omnibus errans
Basiat effigies populo ridente Deorum,
Quiq; die vituli occursu terretur, & audax
Nocte boues stabulis, atq; aris surripit aurum,
Qui simulans, ac dissimulans bonus esse putatur
Ac simplex, sed re inuenies vulpem esse, lupúmq;.
Nunc igitur sine te valeant, & in vrbe morentur,
Cura quibus rerum latitantes quærere causas.
Quæ forma ingentis mundi, mensuráq; terræ

Quanta ſit, & quanto inferior ſit luna, minórq;
Lampade fraterna. Zonarum Phœbus eodem
Limite cur ſemper metas agat inter vtraſq;.
Hinc atq; hinc certis diſtantes finibus vrſas.
Pallida mutato Latone filia vultu,
Oppoſita ſibi cur interdum nube laboret.
Horrida qui referunt ſtricto pede, quiq; ſoluto
Bella ducum, & populorũ aſtus ſepone parumper.
Otia nec turbet pro fiſco exactor acerbus
Limula, vicorum nec flagitet æra magiſter.
Tota dies ſecura fluat, conuiuia læti
Ad ſalientis aquæ riuum celebremus in vmbra,
Frondea quam præſtat matureſentibus vuis
Porticus, ac lenta pendent vbi vite racemi,
Noctes atq; dies vbi vernis menſibus ales
Garrula multiplici replet viridaria cantu.
Quæ mea directis quadratim induſtria plantis
Diſpoſuit, ſpatio inter ſe diſtantibus æquo,
Vt paribus gratum ſurgat nemus interuallis.
Forſitan inquires qualis tibi cœna paretur,
Seu tibi vina placent vernacula, ſeu magis optas
Externa, aut albi, aut nigri, medij've coloris,
Seu deprompta lacu quamprimũ protropa malles,
Siue ea quorum vuas muſtoſus preſſit acerbas
Vinitor, haud aberit pretioſi copia Bacchi.
Primus erunt, quoniam lactuca areſcere cœpit,
Intyba cocta cibus, quæ condiet ibis aceto,
Ac pipere, trito ſale, palladióq; liquore.
Ficidulas dabimus geniali parta labore

Præmia, dum iactis fruticosa per inuia glebis,
Sibiláq; & manuum plausus, & longa latenteis
Atq; nouo pingui grauidas, ramalia dumis
Paulatim excutiunt, pauidasq; in retia pellunt,
Mollibus exutas spolijs, veruóq; coquendas.
Filia dehinc Penei folijs distinguet odoris,
Atq; interpositi frustilla liquentia lardi
Non arere sinent, leuitérq; siligine pura
Spargentur, ne flamma rapax corpuscula lædat.
Et condita sale in medium ponentur edenda
Turturibus vero, quas cœpimus alite martis
Ortygias iungemus aueis, foliatáq;, nec dum
Textilibus nidis ausas prodire columbas.
Adde saginatis obscuro grandia septo
Detracta anseribus iecora, & crescentia lacte,
Ac mulso ad prunas plena versabitur aluo
Vbera matris adhuc sugens pinguissimus hœdus
Stagnicolæ volucres aderunt, ereptáq; matri
Ne quicquam infirmis dum grus innititur alis
Molliter assæ igni in verubus, fumante popina,
Cuius odore nepos crucietur Vectius, vt qui
Nil gustu attingens, illic sit Tantalus, omneis
Mandendo exuperans, quorum fit mantica venter.
Qui lepore, anseribus geminis, agnóq; bimestri
Non saturatus adhuc vitulæ desiderat vber.
Tum gallinarum pulli, quos villica lapso
Reddidit eunuchos anno, cristásq; recidit,
Elixi in cœnam venient. pectúsq;, capútq;
Lactentis vituli adijciam, partémq; suilli

Gutturis, & confecta manu tuceta magistra.
Serpyllum, ac mentam, atq; anisum, cũ rore marino,
Ozyma, pauxillum salis, & piper, & petrosillum,
Infuso contusa simul Gilielmus aceto
Diluet, & gratum efficient sic mixta saporem.
Non pira, non vuæ, nomen quibus Attica tellus
Indidit, haud fructus aberunt, quos barbara Persis
Misit in Italiam rata se misisse venenum.
Ingens, atq; grauis, croceúsq;, & pinguis, & altus
Non Argum, sed Tiresiam quem dicere possis
Caseus his dabitur socius, meta vltima cœnæ.
At quæ nectareo studuit componere succo
Ingeniosa manus, dapibus contentus inemptis,
Quas mea rura ferũt, mappæ inglutiẽda relinquã,
Quẽ perhibent cupidæ positũ prope mœnia fundum
Condonasse gulæ, Cretensia semper olentem
Pocula, cui semper sitiens Bisianus adhæret,
Qui plures auido calices ingurgitat haustu
Quàm Thebe portas habuisse Ægyptia fertur.
Tityrus, & siculi pastor gregis, & numerosus
Te facito in primis comitetur Horatius, & nil
Curemus, quanto Arsacides caput implicet orbe.
Parthus & vt fugiens auerso callidus arcu
Dirigit infectas letali peste sagittas.
Scire nec optemus quantum Babylonius auri
Colligat ancipiti Marte, at virtute potitus
Sulthanus regno, atq; hominũ quot millibus idem
Imperet, immitti haud veritus se opponere turcæ.
Prætcrea ad nostram nil rem spectare putemus,

Si Nabathæus ager maiores fert Elephantos,
Quàm Getulus habet, Libyco si nigrior Indus
Proderit haud quicquam tibi si nouisse labores,
Eoa quot nunc onerandas merce carinas
Miserit ignotum rex Lusitanus ad orbem.
Quot premat Ionium ratibus, quantóq; paratu
Maximus Othomanus terrestria concitet arma,
Quid memorare iuuat? nostrum & renouare dolorē?
Damnosámq; ignominiam, cladesq; cruentas?
Non tamen indignum est Borgæi dicere laudes
Cæsaris, egregia felix virtute tot vrbes
Qui modo subdiderit nullo superandus ab hoste.
Mos erat antiquis, quem nos quoq; tempore nostro
Lucei colimus, molli conuiuia cantu
Et vice sermonum, fidibúsq; hilarare, iocísq;.
Ergo locum egregios primum qui possidet inter
Cantores Iacobus erit conuiua secundus,
Cognomen patriæ claro de nomine adeptus.
Maximus atdoctis cum fratribus Orphea longe
Exuperans cithara diuinis pectora furtim
Nostra modis rapiet sic Augustinus, vt omneis
Delitias iurem huc accessisse Deorum.
Si fortasse aliquo struimus conuiuia luxu,
Non tamen hoc agimus, q̄ te viniq;, cibiq;
Plus æquo cupidum ventri inseruire putemus.
Ista tibi à puero seruata modestia, non me
Iampridem latuit. quis te mage sobrius vsquam est?
Dulcis amicitiæ vinclum suadere videtur,
Dum feriæ tibi sunt, intermissúsq; legendi

Est labor, vt paucis tecum iocer. ô ego quanti
Te facio, quantúmque tibi mea carmina debent.
Iudicio quæ compta graui se ostendere gaudent.
Nutritum in gremio te Calliopæa Mineruæ
Bellerophontei rorauit fontis ad vndam.
Et viridi cinxit puerilia tempora lauro;
Atque agit, egregijs te vatem vatibus addo.
Quæ Latij scripsere viri, memorabile quicquid
Protulit argolica excultum facundia, calles.
Munere parta tibi superum, spargisque per omneis
Doctrinæ præcepta tuæ rarissima genteis.
Quàm bene composuit tot in isto pectore laudes
Cum bene viuendi, & culto sermone loquendi
Te genius dedit exemplum admirabile mundo.
O` ego quàm felix talem sortitus amicum.
Felices agri fortunatique penates
Quos dulcis conuiua, & non potator adibit.
Ergo ades, & nostris quamprimum lusibus affer
Quod restabat adhuc, te scilicet, omnia mecum
Gaudebunt, fac te nobis lux crastina reddat.
Et quæ scire cupis tibi protinus omnia pandam

Ad Danielem Finum, ingeniosum atque integrum vitæ hominem, scelerisque purum, nec insuauem poetam.

q Vàm tibi nō vano pater indidit omine nomen
Care mihi Daniel? quis enī te verior? & quis
Tam subito quicquid discurrit acumine mentis?
Tu multa expertus, quæ sunt præsentia cernis;

Quæq; futura vides, cultor sanctissimus æqui,
At tibi (nec fallor) non conuenientius vllum,
Quàm Fini cognomen erat, nam purius aurum
Perfectúmq; aliquid vulgari dicere finum
Eloquio solet hæc ætas, quod & ipse mereris.
Quæ bona mortales cupiunt, ea contulit in te
Omnia præsentis placida indulgentia fati.
Quid loquar ingenuos mores? quid singula dicam,
Quæ meditata tibi certa ratione geruntur?
Prouentus, sumptúsq; simul res publicà per te
Nostra suos didicit, summa tibi calculus omnis
Perspicitur cura, & ratio solidatur ad vnguem.
Quódq; licet paruifacias, tamen id quoq; summis
Laudibus accedit, facili quod littera per te
Ducta manu gratum quiddam lectoribus affert.
Ars quoq; pingendi tibi non incognita, nec te
Alter inæqualeis metitur rectius agros.
Quid quòd Apollineus docto de pectore surgit
Spiritus? atq; inter tot magna negotia condis
Digna Tibullea suauissima carmina musa?
Non ego adulator venio, neq; gratia ficto
Quæritur ore mihi, ingenium versatile notum est.
Quid valeas, quantúmq; obeunda ad munera nobis
Præsidij tuleris, dum rem tractamus, & omnè
Ius populi summa cum relligione tuemur,
Nec meminisse piget, nec contradicere fas est.
Herculis hoc etiam quoties industria munus
Exequitur, curásq; leuat, patriósq; labores,
Omnibus in rebus vigilem te sentit amicum.

Fluminis ad ripas Mariæ venerabile templum
Condendi, cultúsq; sacros, quæ cura parandi,
Te cum Nicoleo teneat Ferraria nouit.
Gratulor ista tibi contingere, gaudia nobis
Quæ non parua ferũt, præsertim cum mihi sanctæ
Longus amicitiæ tecum intercesserit vsus.
Grata fuit nobis tua dulcis epistola, qua te
Luceiúmq; refers, Zerbinatúmq; valere
Et tibi collegam, & rara virtute probandum.
Nulla quidem ratio est cur tot Lodouicus, vt inquis
Laudibus ad cœlum nos efferat, atq; ea tecum
Admiranda putet, primis quæ lusimus annis.
Quo me amplexi estis iampridem, summus vtrũq;
Fallere amor potuit, nec mens cupidissima laudis
Vestra meæ, valuit solito discernere nugas
Indicio, atq; probat quod fors ardentius optat.
Quicquid id est, dictauit amor: quid amoris inepti
Esse potest voto leuius? sed habetur vtriq;
Gratia, quòd taleis nos esse putatis amici.
Scribere de magni quæ vita principis olim
Ausus eram numeris grauioribus, illa supremam
Nondum etiam subiere manum, & seruatur in arca.
Nunc sinito vt lateant, donec ruditate dolata
Ferre pedem è latebris vobis suadentibus ausint.
Quem vero Carrum appellas, si littera quarta
Demitur, efficies mutato agnomine Carum,
Conuenit hoc illi magis, & mihi gratius est, qui
Hunc meritis & amare suis inducor, & omni
Affectu colere, ac venerari numinis instar.

Quòd Taphili coniux mœchum fugitiua sequatur,
Et grauiter doleo, & casu contristor amici.
Sed tamen id vetus est, nec res noua contigit illi
Anxius huc illuc si frustra excurrere pergit,
Et sibi quæsitam tota non inuenit vrbe,
Finitimisve locis, quid erit cur semper oberret?
Tu miserum solare, roga sibi consulat, insta
Vt posito mœrore velit sibi viuere, necnon
Admoneas, collo nisi tintinnabula gestet,
Non facile esse vagam reperire per inuia vaccam.

Ad Timotheum Bendedeum Philomusum.

n On rudis, ac leuis est sermo tu9, & male cōpt9
Sed nitid9, grauis, atq; elegās, plenúsq; leporis
Tantáq; dicendi vis est, vt rupibus ortos
Caucaseis homines, ad se velut Indica magnes
Attrahere, ac penitus valeat mollire, tuiq;
Reddere amatores. nec sic Philomuse tenaci
Polypus amplexu cautus ligat vndiq; prædam,
Vt semel illectos morum iucunda tuorum
Dexteritas omni officio sibi vincit amicos.
Vidi ego qui tecum verbis non mollibus asper
Contendebat, amicitiæ contemptor, & iram
Turpiter indignans vultu, dictísq; vomebat.
Tu q̄uis animo valeas, & viribus, ac te
Mille modis posses vlcisci, non tamen vltra
Progrediebaris, sed tantum recta monebas.
Ingenium laudo, virtuti gratulor, hæc res
Difficilis, tua quam facilem prudentia reddit.

Haud tibi tabificus carpit præcordia liuor,
Plura legit si farra tuis, melioráq; diues
Chrysogonus, pluréſq; lacus marcentibus vuis
Implet, cui varium magno pecus agmine campos,
Propter aquæ riuum, ſyluáq; virentis ad vmbram
Carpit, adorandus turbæ ceu numen egenti,
Quiq; domum innumeris cellarum ad ſidera tollit
Ordinibus, pario constructam marmore, nullis
Contiguam domibus, ſed quæ velut inſula ab omni
Libera parte patet, pictura inſignis, & auro,
Quam totam Attalicis aulæa laboribus ornant,
Pomiferúmq; nemus paries altiſſimus ambit,
Nec fons, nec piſci, aut auibus viuaria deſunt.
Seruorúmq; greges diuerſa ad munera prompti
Diſcurrunt, hic accipitres, pardóſq;, canéſq;,
Hiſpanáſq; ſimul mulas, mannóſq; britãnos
Adde, & equos forma inſignes, curſúq;, vel ortos
Stirpe Syracoſia, vel Sardo ſemine, vel quos
Nuper ad Amonem in ſtabulis Fernandus alebat.
Si formoſarum cupidæ fert gaudia menti
Turba puellarum quoties libet, atq; voluptas
Mille alijs ſaturata modis, felicibus illum
Præferre, atq; Deis ipſis æquare videtur,
Huic bene viuendi ratio tibi cognita, nuſquam
Inuidiſſe ſinit, turpiq; libidine victa,
Guttur auaritiæ frangis, nec prodigus ipſe
Nec nimium parcus, medium & laudabile ſeruas,
Promptus Ariſtippi ſectæ parere, monentis
Virtutem ſummum eſſe bonum, illiúſq; beatos

Cultores, at fortunæ confidere vanum.
Ut libet humanas res hac versante videmus
Sæpe inopinato turbari gaudia luctu.
Quis non miretur naturæ grande potentis
Non prohibente Deo àrbitrium? quæ protulit ipsa,
Non retinere diu, faciem permittit eandem.
Mane rosas odor, atq; decor comitantur, at illas
Languere, ac subito videas arescere, cum Sol
Antipodum populos illata luce reuisit.
Aspice vis etiam cælestibus addita signis
Quanta sit, hinc homines, & cuncta animantia sepè
Longius in spatium perhibent producere vitas.
Hinc etiam mortes properare, volubilis anni
Tempora mutari, atq; alias assumere formas
Nubilus ex alto nunc torquet Iuppiter imbreis,
Nunc magnum illustrat radijs Sol aureus orbem.
Interdum tellus partu fœcunda benigno
Innumeras effundit opes, Pallásq;, Ceréstq;,
Atq; Pales, Bacchúsq; pater sua munera curant.
Interdum sterilescit ager, fallitq; colonos,
Intereunt segetes, arent in vitibus vuæ,
Tentantur grauibus morbis, hominésq;, feræq;,
Omnigenúmq; pecus, tum siccis gramina campis
Rara virent, ægris frustra expectantur oliuæ
Matribus, & nullos pariunt pomaria fœtus,
Hellespontici neq; habet quid seruet in hortis
Cura Dei, & fures nequicquam à sepibus arcet.
Quattuor affectus animis insurgere nostris
Commemorant, qui naturæ penetralia norunt.

Lætitia atq; dolor, spes, ac metus omnia turbant.
Hæc tu consilio ductus pro tempore, pro re
Non tractus voto sequeris, nec deseris æquum.
Nec tibi mordacem commisto felle cachinnum
Excitat, imprudens si quid peccarit amicus.
Nec rabido ore iuuat vitium exprobrare, sed affers
Utile consilium, & quæ sit dementia monstras.
Si quis aratores dignos putet esse triumphis
Induperatorum. Si Ripæ dixerit Æglon,
Baptistæq; parem, rudis & cui littera nulla est
Cognita, piscosæ Peribonius incola Frattæ.
Ipse sibi viuens, nec vulgi obnoxius auræ
Aiebat secum sua se bona omnia semper
Ferre Bias. at nos quid enim sensisse putemus
Qui spreuisset opes? fœdǽq; libidinis atras
Odisset maculas? qui nulla concitus ira
Et nihil obscœnum meditans, miniméq; superbus
Turpi frena gulæ hilaret? inuidiáq; careret?
Democritus curas hominum ridebat inanes.
At gemitu, & lachrymis nunquam cessantibus alter
Detestabatur mores, & facta malorum.
Alter fagineam versatilis incola cellæ
Abiecit pateram, veluti natura sine vllis
Subsidijs, hominum vitæ succurrere posset.
Atq; sitim manibus suscepta lenijt vnda.
Asper ero si te mores contrudere ad illos
Coner. habet certos laudata modestia fines,
Quos intra satis est consistere, nósq; metipsos
Noscere, & ad trutinam mentes componere nostras.

Hoc tibi compositum varia farragine carmen
Mittimus, haud cultu sermonis & ordine rerum
Quæsito, ast animi impulsu per multa vagantes,
Obliti veteres lusus, & facta iuuentæ,
Instantiq; diem memores concedere nocti,
Ac sceleri pœnas, & retro præmia reddi.

Ad Bonauenturam Pistophilum.

DIcitur hâc Siculus venisse Gorellus ad vrbê
Messanæ obscuris maioribus, & patre natus
Paupere, qui triuijs alienas vendere merces,
Et victum assuerat strigosa quærere mula.
Ignoto atq; inopi coniux opulenta Gorello
Nomen, opésq; tulit, sed enim ciuilibus armis
Expulsus patria, iam quattuor exulat annos
Damnatus Romæ furti, se carcere fracto
Eripuisse cruci fertur, Senámq; profectus,
Dum cauti, atq; manu prompti lenonis amicam
Pollicitus maria, ac montes abducere tentat,
Turpiter amisit truncatis naribus aures.
Huc vero fatis hominem rapientibus, inter
Doctorum cœtus hominum versarier audet.
Ac uelut orator summus, summúsq; Poeta
De studijs ibi musarum contendit, & arte
Dicendi, & quicquid loquitur, cecinisse Sibyllam
Vult credi, seipsum extollens, alienáq; carpens.
Vnde sit, & quid agat, nihil ad nos pertinet, at cum
Hesterna in cœna bibuli bene potus apisti,
Non satis hic in me, sermone sit vsus amico,

Atq; ea quæ misi Luceïo carmina Ripæ
Non probet, vt satyram sine vi, sine lege, sine arte
Eructatam à me, ratio cui carminis huius
Nota minus fuerit, genuino & bile carenti,
Cum genus hoc vitæ non illaudabile, quod nunc
Rure Fiesseo deserta ducimus vrbe,
Arguerit stomachum certe mihi mouit ineptus
Nonnihil (vt fatear) liuenti examine iudex.
Difficile est varios hominum perducere sensus
Ad quæ vel dictis, vel factis quilibet optat.
Ipsi etiam nequeunt rabidos euadere morsus
Obtrectatorum Reges, qui recta sequuntur.
Hoc natura potens voluit Philopiste, quod omnes
Clamosi in ludo qui prima elementa Chilindri
Vix didicere sciunt, vt cunctis æqua loquendi
Libertas quicquid cuperent mortalibus esset.
Debita sed ratio seruanda est, & locus, & res,
Et qui cum sermonem habeas, & causa loquendi,
Ac tempus, quid mox dicas, faciásq; docebunt.
Ast hominem quoniam genitrix non effera partu
Me tulit in lucem, nec lac dedit aspera tigris,
Nil alienum à me, quod mentem attingere possit
Humanam reor, ac sortem miseratus acerbam
Alterius, nequeo non condoluisse dolenti.
Sed cum iustitia summi clementia Regis
Non careat, sontésq; vltrici puniat ira,
Si meruit, pœnas dederit, discátq; nocentem
Antemalis grauiora pati se posse Gorellus.
Et quoniam obiectis non respondere, timoris

Nonnunquam arguimur, vel famæ spernere curam
Dicimur, ingenio vel non confidere nostro:
Ipse lacessitus paucis ostendere nitar
Erroris quanta in nebula versetur amicus,
Et faciam ne me ruris putet inter alumnos
Otia nunc frustra terere, & torpescere luxu.
Atq; hæc inter nos placide & sine lite loquemur.
Ne tamen ignoret, mea quò processerit ætas.
Bisdenos egisse annos, bissenáq; lustra
Me sciat, atq; dies viginti, totáq; nostræ
Tempora si penitus libeat perpendere vitæ,
Forsitan occurrent iuuenilis crimina culpæ
Non immane nefas: nil ferro, nilq; veneno
Actum à me inueniet, nec quenquam fraude petitū.
Tempore quo iuuenis iuuenilia vota sequebar,
Non ibo inficias, leuibus me plurima curis
Posthabuisse bona, & monitus spreuisse fideleis.
Non tamen ignauos omnino diximus annos,
Siue aliquid meditari animo, seu dicere quicquam
Iussit amor, seu me extulerant noua gaudia, siue
Mentem ægram subitus dolor in contraria vertit,
Siue audere aliquid posita ratione coëgit
Honorum impatiens flammati pectoris error,
Non ignobilibus (si famæ credere dignum est)
Nostra modis cecinit varios elegeia casus,
Unde meos etiam testantur Erotica lusus.
Sunt & amicorum referentia carmina nomen,
Egregiásq; ducum laudes, animosáq; summi
Orsa Pij, cum bella Getis inferre pararet.

Et quæ ſcripta vides nobis ſermone ſoluto.
Sit licet exilis dicendi ſpiritus in me,
Pernicioſa tamen rabies latronis iniqui
Læſa malum quem turba Lupum cognomine dixit,
Sermonis noſtri gladio iugulata, repente
Corruit, æternum ſtygijs damnata tenebris.
Clarorum necnon verſu inſignita virorum
Buſta meo, poſt hæc & rura, & paſcua luſi,
Conditio rerum varia, & mutabile tempus
Borſiados cœptæ ſeriem poſt funera magni
Abrupere ducis, nonum quo tertia librum
Tempore formarat, neq; adhuc abſoluerat æſtas.
Cum meditati operis nullum pars quarta teneret
Principium, extremóq; labor cum fine careret.
Hæc mihi venatu interea, aucupióq; vacanti
Exciderant, nullo ſtudio, nulla arte peracta.
Temporibus quoq; de noſtris, & origine noſtra
Scribimus, Italiæ clades fortaſſis acerbas,
Mutatóſq; ſtatus dicturi, & funera Regum.
Non imitaturus ſatyros, cynicúmve rigorem,
Sed potius ludens, ne triſtis, & arida Ripæ
Cœna, pararetur, ſcripſi ſermone iocoſo
Neſcio quid, verum nulli nota turpis inuſta eſt,
Nec mea detraxit cuiuſquam liuida famæ
Pagina, nominibus fictis contenta iocari.
At non poſthabita ceu forſitan ipſe putarat
Urbe, mihi nunc rura placent, quo fungar agreſti
Munere, & obſeruem num portet in horrea tritam
Ac bene curatam meſſem ſine fraude colonus,

Et caueam sibi ne meliores colligat vuas.
Dum noua conficitur vindemia, quot mea gallos
Villica per nostram sine testibus ire cohortem
Iusserit vt videam, quot sub glocientibus in spem
Venturæ sobolis foueantur matribus oua.
Hic me nulla gregis numerandi cura moratur
Seruili officio intentum, non excitat ignes
Iampridem extinctos Cytherea senilibus annis.
Rustica sollicitum non me Cardelia reddit
Omnibus vrbanis formosior vna puellis
Phylloroë nostro fuerit cum finis amori.
Prima moræ causa est, quòd cura liber ab omni
Quæ turbare animum, ac per multa negotia possint
Distrahere, huc statui secedere, totus vt essem
Nunc mecum, extremæ limæ nonnulla daturus
Quæ vos in lucem prodire iubetis amici.
Adde quòd Euganeis non longe à collibus absum,
Mollis vbi æstiuos mihi temperat aura calores.
Méq; minus validum, longáq; à febre recentem
Temperies recreat puri placidissima cæli
Gratia pomiferi nemoris, cultissimus hortus,
Non inamœna domus, latos prospectus in agros
Me capiunt, gelidúsq; liquor stillantis aquai,
Per latera hinc illinc putei scatebrosa profundi,
Sæpe affert blandum rapido lenimen in æstu,
Proxima sunt etiam Baptistæ prædia nostri.
Colloquijq; locus causam largitur vtriq;
Dulcia siquando à studijs sublimibus ipse
Otia surripuit, quo mentem, animúmq; relaxet.

Hic, regio aucupijs necnon venatibus apta est.
Tartarus haud procul hinc sinuoso labitur amne
Per virides lucos, piscosa tartarus vnda
Nobilis Isthmiacæ dirimens confinia terræ,
Strozeiq́ue soli, dum coniurata sinebat
Nos retinere manus patrio loca sanguine parta,
Ausa dolo antiquos vrbis contendere fineis,
Et partem Herculei non paruam euertere regni
Dissidij fomes, bellorum & cladis origo.
Qua miseros mox afflixit temeraria ciues.
Si petit vlterius, si non spernenda Gorellus
Scire cupit, discat quod non mihi sanguinis vxor
Nupserit obscuri, clarisve parentibus impar
Laude sua, neq́ue degeneres Domicilla reliquit.
Indecoréśque viro natos. hanc maximus olim
Cannubio iuueni iunxit mihi Borsius, ortam
Rangono genitore, & Boïarda genitrice,
Ordine cum me idem princeps decorasset equestri.
Quas inimicitias, & quanta pericula nobis
Inuidia attulerit, longum est ac triste referre.
Nonnulli, nostro quos emersisse fauore
Sordibus ex imis censúque & honoribus auctos
Constabat, simul impulsi liuore maligno.
Nec contenti opibus nos euertisse paternis,
Turpiter in nostram coniurauere salutem.
Hos tamen ob scelera inuisos, populiq́ue furentis
Seditione graui oppressos, durissima quæque
Dum formidarent mea tunc industria texit,
Esse putans satis vlcisci potuisse nocenteis.

Quæ cum principibus fuerit mihi gratia nostris,
Et quantum arbitrij quantum indulsere fauoris,
Vel placidæ pacis, vel sæui tempore belli,
Quos vnà tulimus socij nouere laborum,
Nostra neq; obscurũ est quantũ in discrimine sũmo
Huic bello afflictæ vigilantia profuit vrbi.
Si dixisse licet non læso vera pudore
Auspicio, & ductu nostro seruata fidelis
Argenta, immani rerum impendente ruina.
Cum male pugnatum à nostris, acceptáq; clades
Insignis, captiq; duces, cum exercitus ingens
Vi multa instaret, tota quæ solis ad ortum
Vberibus campis vergit regione potitus.
Cui Zanioleam custos teterrimus arcem
Prodiderat, Veneti fortunam aurúmq; secutus,
Cum iam classe Padi ripas vtrinq; teneret
Hostis, & inferret victricia mœnibus arma.
Hic ego perspecta coràm virtute fideq;
Nostrorum, ob varias inito certamine causas,
Præmia persolui, meritos largitus honores,
Nec sine laude viris stipendia, fortibus aucta.
Nulla magistratus gestos mihi sordida labes
Fœdauit, mundásq; manus dum munera curo
Publica seruaui, iam quinta messe tribunus
Bissenísq; caput patribus, princépsq; Senatus.
Dixerit hic aliquis, quorsum de rebus amice
Ista tuis? num te latuit sordescere laudem,
Siquis eam proprio sibi vendicat ore? fatemur.
Non tamen absurdum omnino, nec turpe videtur

Si per me accipiat prius ignorata Gorellus
Aduena, quæ fuerit vitæ, morúmq; meorum
Iampridem, & quæ sit ratio grauioribus annis,
Hoc apud ignaros, hominum, rerúmq; licere
Oblata docuit Libyæ per deuia matre
Phryx pius, ignotum dum se putat. ergo cauebit
Post hæc, siquid erit salis illi in pectore noster
Sicanius, causa indicta ne indicet vllum,
Morbo animi careat, viuat sine crimine, siquis
Quenquam insectatur verbis, vinosus, adulter,
Raptor, Aristiden carpet, rigidúmve Catonem?
Iam satis edocui, de vita & moribus illum
Non recte sensisse meis, quo iudice damnor.
Restat vt excuser, si me studiosa voluptas
Longius abduxit tecum Philopiste loquendi.
Hæc vice sermonis fungetur epistola, postquam
Non licet, vt semper cupimus te cernere coràm.
Hic ego non fucum sector, cultive nitore
Carminis, at rerum summam, succúmq; requiro.
Te mihi tam charum virtus præclara, fidésq;
Spectata, atq; in me summa obseruantia reddit
Nostro in te, vt possit vix quicquã accedere amori.
Moribus egregijs tu præditus, atq; Mineruæ
Artibus insignis Philopiste, & amabilis, omni
Exclusus vitio, nil non laudabile sentis,
Inuidiáq; carens album discernis ab atro.
Non tibi facundæ suauissima gratia linguæ
Desit, seu molles elogos, seu grandia fingis
Carmina, Apollineo nec dedignanda Petrarchæ

Materno ſermone canis, pede ſyllaba certo
Vndecima affectus varios dum pectoris edit.
Dotibus ingenij tantis ornatus, & alta
Ingenuæ mentis ratione ad ſidera tendens,
Ardua cælicolum penetras loca, nec tumidum ſic
Ventoſo extollit te vana ſuperbia flatu,
Ut te hominem ignores. ac ſiquem videris vltro
In vitium labi, monitu ſuccurris amico.
Nec culpam aſperius mordes proprióq; reducis
Ad rectum exemplo, florens iuuenilibus annis,
Conſilióq; ſenex, & agendis rebus ad vnguem
Natus, non fortunæ, ſed virtutis amicus.
Talem igitur de ſe matura ætate Gorellus
Si ſpem oſtendiſſet, ſi vixit criminis expers,
Exilium potuit vitare, & carceris atri
Dedecus, & capitis damnati infame periclum,
Lenoniſq; manus, inhoneſtáq; vulnera trunci
Corporis effugere, atq; odij reſcindere cauſas.

TITI VESPASIANI STROZAE EPITAPHIA.

Pro diuo Borsio.

Vrea fulserũt te principe secula Borsi.
a Testantur patriæ te pia facta patrem.
Virtuti imperium si par tibi fata dedissent,
Tot meritis vnus vix satis orbis erat.

Pro diua Physloroë.

q Vi legis hæc, legito summissius, & caue quæso
Nympham vllo turbes quæ cubat hic strepitu.
Viuere credibile est, placidóq; quiescere somno
Physloroen, quæ non digna mori fuerit.

Pro Aloïsio Neapolitano.

q Visquis adis magnæ tẽplũ venerabile matris,
Ad noua ne pigeat sistere busta pedem.
Quid cupiam, nomenq; meũ, patriámq;, domúmq;,
Versibus his lector verba notata docent.
Ille ego Campanis Aloisius ortus in oris,
Vrbs cui natalis Parthenopæa fuit.
Quem genuit claro Brancatia sanguine proles,
Cui decus eximium strenua dextra dedit.
Qui toties ausus forti certare duello,
Exuuias domito victor ab hoste tulit.

Gallia ſemper erit, ſemper Britānia *teſtis*
Pugnarum, & Latio *gloria parta ſolo.*
Eſtenſi tandem ſenio confectus in aula,
Hic *tegor, hæc de me ſint tibi nota, vale.*

Pro Endymione.

Hic tener Endymion Vates *tuus alme* Cupido
Ardor Nympharum, *delitiæq; iacet.*
Naides Eridano *puerum videre natantem,*
Corripuit *cupidas candida forma deas.*
Dum pariter certant, captum retinere ſub vndis,
Immeritæ miſero cauſa fuere necis.
Illum amor, & Charites, *illum fleuere* Camœnæ,
Illius ingemuit funere mœſta Venus.

Pro Tobia Veronenſi.

Dum canit horrēdi Martis *fera bella* Tobias,
Perſephone *præſtans inuida rupit opus.*
Et præco inſignis rerum Siſmonde *tuarum*
Occidit *ante diem, mors ea facta tua eſt.*
Vos decuit muſæ ſacro ſuccurrere vati.
Ille *ope* Phœbe *tua viuere dignus erat.*
Sed tamen & luctu veſtro, lachrymiſq; Mineruæ
Pegaſeas *vndas intumuiſſe ferunt.*

Pro Thaleia.

Impia te poſtquam duri violentia fati
Eripuit *charo chara* Thaleia *viro,*
Hanc vtinam tecum licuiſſet ponere vitam,

Morte vel in lucem te reuocare mea.
C oniugio felix victor Pauonius olim,
Nunc sine te mœstis deseror in lachrymis.
E t tua non tantum facies insignis & ætas
Intercepta suam me mouet ante diem.
S ed pudor, & priscæ occurrit pietatis imago,
Excultúmq; bonis artibus ingenium.
A t quoniam nostris par gratia sensibus hæsit,
Vnáq; mens nobis vnáq; cura fuit,
H oc simul ambobus posui commune sepulchrum,
Quod tua cum nostris ossibus ossa tegat.

In Cerberum ludi magistrum.

I Am male seruabat stygius tot millia custos,
Nec satis in foribus ianitor vnus erat.
C erberus ast illi superis modo raptus ab oris
Additur, & pariter limina dira tenet.
V erberibus pueros olim vexauit acerbis,
Nunc rabido terret pallida regna sono.

Pro Ioanne Proxeneta Egregio.

H Ic Pelicane iaces, quē febris acerba peremit
Nobilis ingenij dexteritate tui.
V endenti nemo melius componere ementem
Norat, nec lingua promptior vllus erat.
P rofuit & nocuit tua quondam industria multis,
Párq; in te probitas, improbitásq; fuit.

Pro Bucephalo equo insigni.

G Loria nobilium tegor hic insignis equorum
Raptus inaudito funere Bucephalus.
Acer enim volucri dum tollor in aëra saltu,
Implicito excussus crure pependit herus.
Labitur ensis, humi capulus defigitur, at me
Transfixum leto cuspis acuta dedit.

Pro Guarino Veronensi.

H Vnc tibi consensu tumulum Ferraria magna
Pro meritis posuit clare Guarine tuis.
Tu pater eloquij, geminæ tu gloria linguæ,
Præcipuus iuuenum tu moderator eras.
Te duce nostra vigens studijs florentibus ætas,
Pierio priscis certat honore viris.
Nec Verona minus tali se iactat alumno,
Quàm veteres celebri nomine tollit auos.
Primus & extremus te nouerat orbis, & vltra
Humanum virtus se tulit ista gradum.
At nos hic senio resolutos condimus artus.
Candida sidereas incolit vmbra domos.

Pro eodem.

H Ic veneranda tegit magni lapis ossa Guarini.
Vtraq; lingua suo mœreat orba patre.
Hoc Verona decus terris dedit, abstulit ætas
Longior, ad superos mens pia fecit iter.

Pro Laurentio Rouerella episcopo Ferr.

t U decus urbis eras, magnæ solertia mentis
Laurenti ad magnas res tibi fecit iter.
N ec contenta fuit Latijs tua gloria terris,
Sed toto nomen claruit orbe tuum.
R omanus quascunq; plagas te pastor adire
Iussit, vbiq; tibi dextera fama fuit.
G allia te studijs florentem vidit, & omne
Officium grato præstitit obsequio.
T e venerata ferox Germania, norat Iberus
Quid tibi consilij, iustitiæq; foret.
T e duce Pannonij sæuos fregere Boëmos,
Belláq; pro sancta sunt tibi gesta fide.
A misso tristis Ferraria præsule luget,
Mœsta suum deflet gens Rouerella patrem.
N unc fratrum in patriam cura translata tuorum
Hoc tua sub tumulo clausimus ossa, vale.

Pro diua Margarita.

q Uæ fuit exemplum cælestis nobile formæ,
In quam tot laudes, tot coïere bona.
M argarita sub hoc tegitur Peregrinia saxo.
I nunc, atq; mori numina posse nega.

Pro Matthia rege Ongariæ.

q Uas tua non adijt rex inuictissime gentes
Gloria? Matthiam, quæ tacitura dies?
L æta nouum mundo natura fauentibus astris

Addidit in lucem te veniente decus.
N ec fors, nec ratio, mentis nec viuidus ardor,
Nec pars virtutis defuit vlla tibi.
P rotulit antiquos regni te principe fines
Pannonis, arctois gens dominata plagis,
T e Geta, te Dacus tremuere, acérq; Boëmus,
Horruit, & vires ora Liburna tuas.
E ffera quid bello posses Germania sensit.
Nec vis conatus vlla morata tuos.
V t cælum ornarent animo maiora parantem
Fatales terris te rapuere Deæ.

Pro domicilla Strozia.

H Eu q̃ præclari soluerunt vincula Parcæ
Connubij, perijt quo domicilla die.
Quidquid enim potuit dignum & laudabile dici,
Huic superos nemo contribuisse neget.
T ito iuncta suo tria lustra peregit, & annos
Pene duos, octo vixit Olympiádas.

Pro eadem.

D Omicillæ Guidi Rãgoni filiæ, mira singularis ingenij prudentia præditæ, pietatis, ac pudicitiæ laudibus insigni, vxori fidelissimæ, & incóparabili, Titus Vesp. Stroza côiux amari doloris plenus posuit. Obijt V I. Caléd. Maias. Salutis Anno LXXXVII. Et CCCC. supra Mille.

Pro Gineura Caſtella.

c Lara bonis animi, naturæ prædita cunctis
Dotibus, hic leto rapta Gineura iaces.
Vir tibi Caſtellus, pleno ſimul omnia quo tu
Optima ſucceſſu conſequerere, fuit.
Egiſtis dulces animis concordibus annos,
Et vos vnus amor iunxit, & vna fides.
Hoc ſine quis credat? tu cælum inuita petiſti.
Hic ſine te infelix viuere poſſe negat.

Pro diua Lianora duce Ferr.

e Rgo quis eripiet mortalia corpora leto,
Ius habet in magnas ſi fera parca deas?
Triſtibus haud potuit Lianora reſiſtere fatis,
Et ſibi mirantur Di cecidiſſe parem.
Rege ſatam, diuiq; toro vixiſſe dicatam,
Herculis haud illi gloria parua fuit.
Sed meliora petens ſtuduit bene ducere vitam,
Vt bene ſupremum poſſet obire diem.

In laudem volantis canis præſtantiſſimi.

i Am ſecurus aper nemoroſis vallibus erret,
Exultet poſito libera cerua metu.
Raptoréſq; lupi campis impune vagentur,
Tutáq; villoſum præferat Vrſa caput.
Ille pedum curſu præſtans animóq; volantes
Occubuit, trucibus peſtis acerba feris.
Strauerat immanem ſæuo certamine taurum

Herculeæ qualem non domuere manus.
Sed breue lætitiæ spatium sors inuida liquit,
Illáq; victori pugna suprema fuit.
Sol quater ortus erat, postquam superauerat hostẽ,
Impia magnanimum fata tulere canem.
Nulla sed intrepidus vita fugiente doloris
Signa dedit, solitus mansit in ore vigor.
Atq; ita se gessit mortem, vt vicisse cadendo
Non ipsum morti succubuisse putes.
Virtutem canis admirari desine lector
Nicoleo miles Corigiensis erat.

Pro Nanne patre.

NANNES Stroza Caroli filius, pace, & bello insignis, & ob merita Nicolao March. Esten. in primis charus, annos agens duodeuiginti, cæsis ad fossam marinam hostibus, Argentam obsidone liberauit.

In expugnatione vrbis Veronæ murum primus ascendit, ibique equestri ordine ob virtutem insigniri meruit.

Mutinam, Regiũ, Parmam, vrbes Nicolai March. ditioni subiectas, & simul eodem tempore curæ suæ cõmissas, cõplures annos egregie gubernauit.

Multa castella ductu suo & armis expugnata, Estensi imperio subegit.

Agrum Lunensem assiduis incolarum latrociniis infestum, viatoribus pacauit, & eius regionis non nulla oppida nomine suo cæpit, ac tenuit.

Florentino deinde exercitui, & copijs præfuit, quas Nicolaus March. Esten. ad societatem belli cum Venetis miram contulerat, fusis, fugatisque ad Ottolengum Philippensibus cũ magna gloria victor fortissime dimicans, nimio labore, & rapidissimo æstu defatigatus, qui Ascensionis Dominicæ die præter morem exarsit quintilibus, ætatis anno LI. Salutis CCCC. ac IIII. & XX. supra M. in amicorum manibus gloriose expirauit. Florentiæ vero, ac Ferrariæ duobus magnificis eodem die funeribus illi exhibitis publice laudatus, hic ante aram sepultus est.

Titus Vespasianus Stroza parenti Opt. ac benemerenti.

TITI VESPASIANI STROZAE EPIGRAMMATA.

Ad diuam Lucretiam.

v Iuere certus eram sine amore, Lucretia captum
Me tenet, haud mirum est, imperat illa Deis.

De imagine Lucretiæ.

q V æ Venerē facie, quæ Pallada moribus æquat,
Conata est dominam pingere docta manus.
Artificis laudatur opus, diuina sed omne
Mortale exuperat forma magisterium.

Ad Creticum.

c Retice debemur nullo discrimine fatis,
Et peragunt duræ tristia fila Deæ.
Labitur, ac nullis precibus conuertitur ætas,
Præcipitiq; gradu mors inopina ruit.
Non te nobilitas, non candida forma, nec aurum,
Nec pudor, aut pietas, restituisse valent.
Seu sis Amphion, seu sis rhodopeius Orpheus,
Non poteris dulci fata mouere sono.

In Scaurum diuitem, & auarum.

s Caurus habet villas, vrbana palatia, nūmos,
Pinguiáq; innumeris prædia bobus arat.
Huic tamen assidue maior succrescit habendi

Nunquam diuitijs exatiata fames.
D itior est igitur patrio contentus agello,
Qui viuit nullo fœnore Fabricius.

De Mathillo.

r Idicula ex omni se parte effuderat in te
Simplicitas, domino grata Mathille tuo.
N il bene, nil per te gestum male, nil tibi laudis,
Nil ignominiæ vitáve mórsve tulit.
S i tua nec cælo dementia digna, nec vmbras
Accipit insontes Regia ditis, vbi es?

De quadam, quæ per errorem nupsit filio.

v Ir, coniux, genitrix, natus, fratérq;, sorórq;,
Hic duo, sint quanuis nomina plura, iacent.
E rror enim sceleri causam dedit, inscia nupsit
Illi, quem peperit filia mista patri.

De domo vbi Tressa habitat.

s Acra voluptati domus est, procul ite seueri.
Hic habitant lusus, otia, cantus, amor.

De Hermione.

f Ormosam Hermionen senior Lucilius ardet.
Hunc veluti sanctum diligit illa patrem.
P oscenti, quód amans iuuenis cupit, eïa age mecum
Laude inquit, volo te viuere, nolo mori.

De Dypſade diuæ Lucretiæ Borgiæ.

t Ortile quod lęuæ Lucretia nexuit aurum,
Dira venenoſæ eſt Dypſados effigies.
H uic docet inuidiæ morſus, & iniqua malorum
Cedere diuinis moribus ingenia.

De Dypſade eiuſdem.

r Eſpicit auerſo maculoſum lumine tergum,
Et ſicco Dypſas virus in ore gerit.
V entre tumet, paruúmq; caput, breuis ipſa ſupremę
Pars caudæ in gracilem deſinit vnguiculam.
V t ſitis hanc torquens nullis extinguitur vndis,
Sic rabidam morſu concitat illa ſitim.
H anc ſecura manu geſtat Lucretia, nilq;
Virtuti oſtendit poſſe nocere ſuæ.

In Dypſilum.

f Ingis? an ex aio affirmas? vix credere poſſũ
Te toties vanum Dypſile vera loqui.

Pro Borgia.

i Bat amor, facibꝰ pharetráq; ſuperbꝰ, & arcu,
Erranti huc illuc Borgia viſa Deo eſt.
H ic nouus inquit erit nobis labor, aurea prompſit
Spicula, queis magnum fixerat ante Iouem.
T ela ſed adducto properantem emittere neruo,
Illius ex oculis lux ferit orta Deum.

O bstupuit, cecidere manus, delapsa sagitta est,
Arsit, & hic nostro saenior ignis ait.

Ad Bembum, de Lucretia.

S I mutatur in. X. C. tertia nominis huius
Littera, lux fiet quod modo luc fuerat.
R etia subsequitur, cui tu hæc subiunge parátq;
Sic scribens, lux hæc retia Bembe parat.

Ad Lucretiam.

C Vr oriebatur qui te non viderit? at si
Viderit, in vita hunc quid tenet vlterius?
A n facie quicquam Lucretia pulchrius ista?
Cultius ingenium cernere posse putat?
F allitur in te omnis terræ, cæliq; reposta est
Gloria, nec tibi quid conferat inueniet.

Ad eandem.

C Vi nō cōspecta es, miser est: qui te aspicit, hic se
Addictum innumeris mortibus esse sciat.
O rem incredibilem, quā perditus ipse tot annos
Experior, sortem hanc nec tolerare piget.
E t viuo, & morior, nec mortes ipse recusem
Mille pati, vt possim te semel aspicere.

De Lyside à filio occisa.

V Vlnere de nati moriens, nō Lysida posthac,
Sed me Turdellam dicite, Lysis ait.
E gesto laqueum, mortémq; miserrima visco

Arboris in ramis præparat illa sibi.
Sic ipsa exitium peperi mihi. Numina partus
Infandi pœnas me voluere pati.

De vacca Myronis.

n Aturam atq; artẽ in Vacca petijsse Myronis
Partem aiunt, morem gessit vtriq; Myro.
Qui Vaccam spectat, natura hanc protulit, inquit,
At si contigerit, dixerit artis opus.

De rosa Lucretiæ.

v Nde tibi nulla color hic imitabilis arte,
Vnde odor? vnde tibi gratia tanta rosa est?
Téne Dicarcheis genitrix tua nutrijt oris,
Num Pestanus ager misit, an Hybla tulit?
Num tu floriferis in odoræ vallibus Ennæ
Orta, vel Oebalij germine nata soli?
Num te aluit Cypros, num Gnosia terra, Cilixve?
Tmolus, an innumeri diues odoris Arabs?
Num te nausice patrijs collegit in hortis?
Sanguine num tinxit te Cytherea suo?
Nil horum, tibi sors felicior obtigit, ò quàm
Excellis dominæ pollice carpta meæ.
Illa tibi libans fragrantibus oscula labris,
Egregium à nobis hoc decus inquit habe.

Ad Delphicum.

d Elphice, miraris quòd nũc epigrãmata condã,
Diffusa solitus scribere materia:

Mutantur mentes hominum. nec semper eundem
Temporis, ac rerum cernimus esse modum.

Ad Ludouicum Tessiram lusitanum.

L Vsimus hæc olim, quæ tu Ludouice putaras
Carmine non duro composuisse senem.
C um gelida rigeant glacie præcordia, cum tot
Transactæ æstates sint, hyemésque mihi,
I gne cupidineo rursum incaluisse medullas
Credis, & ad veteres me rediisse iocos?
N on ita. sunt huius nonnulla in calce libelli,
Quæ fuerant primis edita temporibus.
N unc satis est iuuenes inter iuuenescere verbis,
Re decet æternis inuigilare bonis.

FINIS.

ORATIO TVMVLTVARIO HABITA A' COELIO CALCAGNINO IN FVNERE HERCVLIS STROZAE.

IDem video mihi propè accidisse, quod olim Polo histrioni contigit, vt nō fictus, neq; simulatus luctus mihi agendus sit hoc loco, sed verus planè, ac certus dolor exprimendus. Nihil hic fucatum, nihil ad imitationem effictum, ex vero, ex animo, ex re ipsa magnus mihi mœror incūbit. Magna me cruciat miseratio, torquet iacturæ magnitudo, vexat indignitas rei. Quo maior mihi venia debetur, si tanta pressus solicitudine, si tanto perculsus gemitu minus assequi potero, quod opto, Nobilissimi.s. ac exactiss. viri laudes recensere. Cum enim mihi venit in mentem quantum Hercules Stroza, ille inquam Hercules omnium virtutum clarissimum specimen, vel cognationis gratia, qua erat familiæ nostræ coniunctissimus, vel nonnulla opinione studiorū meorum, vel (quod malo credere) sua ipsius ingenij bonitate mihi faueret, quanto amore complecteretur quàm propensus esset omnibus bonis prodesse. Tum demum excrucior, enecor, ac doloris magnitudini me imparem fateor. Ergo illæ omnes acerrimi ingenij amœnitates, omnes illi benignissimæ naturæ flores exaruere. Tot annorum labores, tot fœcūdissimi animi lumina dies vna, hora vna, momentum vnū abstulit. Dij immor-

tales, quantum poterant homines animosius ad præclara excitari, si, quò propius ad humani animi fastigium quisque accessisset, eò minus in eum improbis, ac flagitiosis liceret. Sed nimirum ita est, in eósque solet violentius atque acerbius vim omnem ac sæuitiam mors exercere, quos sibi promptius aduertit immortalitatem parare. atque hoc est, quod cum ijs plerunque acerbissime actum videmus, qui vel gestorum præstantia, vel literarum monimentis in posteros vitam propagant. Cuius rei testimonia, quæ locupletissima sunt, si vel apud veteres, vel in proximis seculis perquisiuero, facilius oratio nostra, vnde soluat, quàm vbi sistat, est inuentura. Quanto enim quisque ad cælestem gloriam moueri passu nitebatur, eò grauiori impetu fata manum iniecere, eò truculentius magnos conatus interrupere: vt testatum omnibus fieret, nihil esse in humanis tam amplum, tam paratum, de quo sibi certi aliquid polliceri possit hæc mortalitas. Cuius sententiæ in nulla parte actionum humanarũ desiderari possunt exempla. Conspicuũ tamen hoc & præsens, quòd se grauissimum oculis offert, vt atrocitate ac magnitudine sua cætera omnia excellit, ita neminẽ potest naturæ suæ memorem non vehementissime consternare, ac recordatione nostræ imbecillitatis nõ maxime permouere. nec id quidem iniuria. Si enim Herculis Strozæ ornamenta, quæ nulla parte cessant, in memoriam reuocemus, si decora, quæ vndecunque se offerunt amplissima, repetamus, mirifice hoc vulnus

exulcerari video. Quis enim, obsecro, lachrymis imperet? Quis eiulatus coërceat? Agnoscens hominem nobilissimum ex nobilissima Strozarum familia, ex qua incertum, an ipse plus decoris, an illa maius ornamentum mutuaretur, tam fœde, tam immerenter iacentem. Mouét me hinc celeberrimæ familiæ præclara in hãc.R.P.merita, vel militiæ, vel domi huic populo nauata ex eo vsq; tẽpore, quo in Florentina nobilitate & opibus & virtutũ indole plurimũ excellebat, nec dum ad nostros homines trãsmigrarat. Quæ enim vnquam ætas Francisci Strozæ fortissimi viri nomẽ ex memoria huius vrbis delebit? Cũ patriam nostram ab infestissimo hoste occupatã sua virtute ac militum robore in libertatem vẽdicauit. Nónne ille vobis, Quirites, spes vestras, liberos, penates, opes deniq; omneis eiecto infensissimo nominis vestri inimico restituit? Nónne ille vobis pacem peperit, ac tranquillitatem comparauit? Primus ex hac familia Nannes actus patrijs seditionibus gentilium meritorum conscius hanc vrbem sibi ex omnibus tutissimum diuersorium, ac perfugium optauit: huic fortunas omnes, huic familiam omnem commendauit. Qui cum, vt maiori quodam vinculo iungeretur, Constantiam fœminam lectissimam ex antiquissima Cõstabilium sobole vxorẽ duxit: quàm autem feliciter, nõ attinet hoc loco dicere: certe ita fœcundã, vt ex eo tempore Strozarum seminarium latissime sit in omnem vrbem propagatũ. Nec vlla ferme sit familia in hac R. P. paulò nobilior, quæ

necessitudine huius gentis gloriari non soleat, vtpote quæ suis titulis nō modo Italiam, sed aliquot etiā prouincias illustrarit. Ex Nanne autē, di boni, quàm generosa soboles, quātus virtutis nitor emicuit? Quis enim Roberto grauior, aut constantior? Quis Nicolao aut liberalitate aut animi præstantia grandior, aut etiam fœcundior? hinc.s.paternæ magnitudinis viuum exemplar Carolus, hinc Sulpitia. nam cæteros liberos tantam spem nepotum festinata mors rapuit. ex altero sexu Lucia, & formæ, & pudicitiæ rarissimum decus Boiardorum stemmata profusissime honestauit, ex Nanne etiam Laurentius ille totius etiam gētilitatis flosculus, maximi omni æuo principis Borsij delitium. Mirum vero, quantum auito splēdori addiderit Titus, quo neq; alius amplioribus magistratibus functus, neq; in ciues munificentior: qui familiæ, atq; honorum dignitati summē literarum adiunxit, æternáque monimenta, ac minime posteris pœnitenda literis mandauit. Qui summas olim legationes tanta authoritate, tanta obiuit ingenij dexteritate, vt neq; commodius, neq; felicius quisquam antea. Nec minus eo, quantum præstaret ingenio, quantū polleret gratia omnibus indicauit, Cum ducta Domicilla vxore, Strozarum nobilitatem Rangonæ commiscuit. Nemo autem facile mulières laudes expresserit, in qua virili ingenio, matronalis pudor adiunctus, mirū omnibus, atq; incredibile tēperamentum reddebat. Ex hac clarissimos sustulit filios. Atq; ex his Herculem, quē hoc loco deflemus,

superstites vero nobilissimum equitem Guidum, *qui nũc seditiosissimam partẽ flaminiæ à* Maximo Prin*cipe præfectus tanta cura, tanto moderatur ingenio, vt iure omnibus mirabilis tam matura iuuenis prudẽtia videatur.* Hinc & Laurẽtius *editus, qui vnus merito dici potest* Mineruæ *charites cõciliasse: ea est popularitas ingenij, ea prõptitudo, ea comitas, vt nõ sine causa totius curiæ, atq; vniuersæ vrbis nuncupetur delitiæ. Quanta vero sit optimorum fratrum pietas, nemo est vestrum, qui coràm non inspiciat, quàm mœsti vultus, quàm demissi, quàm lachrymosi, quantus gemitus illo pectore tegitur, quantus dolor. Si precarius animorum aspectus à* Dis *impetrari posset, nemo est tam ferreus, tam adamantinus, quin fletu, ac miseratione disrumperetur.* Facta *est enim suauissimi fratris iactura.* Iactura *inquam nõ ferenda, nullo tempore, nullo seculo reparanda.* Her*cules enim ille totius, quæ vsquam est, amœnitatis, nobilitatis, virtutis decus interijt.* Ille *flos illibatus populi* excidit. *Eheu, quò abijt illa animi acrimonia? illa vis? illud acumen ingenij? illa literarum officina? illa poëticæ suauitas? Quantus erat in omni orationis genere, seu versum, seu prosàm cõderet? Quanta naturæ indulgẽtia omnis generis carmen affingebat? seu mordax iambicum, seu grande* Heroicum, *seu dulce elegum tentaret:* Ita *animose inuehebatur, ita feliciter insurgebat. ita blande, ac suauiter concinebat, vt multi inuiderent, nemo assequeretur. Quanto lepõre, quanta pronuntiabat me-*

moria? Semel etiam tantũ perfecta, vel ordine præpostero repetebat. Ita, vt neque hæsitaret, neque vlla syllaba subsultaret. Qua gratia nuper Thuscum carmen pangebat? Qua facilitate Lydios numeros contexebat? viris exercitatissimis in eo genere admirantibus. Audiui ipse, audiui Antonium Thebaldeum virum Latine, ac Thusce doctissimum, illud serio asserentem, Neminem Hercule felicius eos modulos tentasse, aut in his celerius profecisse. Literas autem græcas quanto impetu hauserat? Quàm scite, ac facile omnes transmarinas veneres asciuerat? Quàm graphice Homeri amplitudinem, ac varietatem imitabatur? Quantum nuperrime sum admiratus, cum magnos quosdam, ac plenos Heroicos ex Gigantomachia, quod opus magna cura, sed maiore ingenio conformabat, intonasset. Quàm teres carmen, quàm variũ, quàm succi plenum, q̃(vt vno verbo absoluã) Homericũ? At nunc prò dolor, tam belle opus, tam grauiter inchoatũ summæ manus expers, ac interruptũ iacebit. Credo mors sæua atq; importuna, illud ipsum consulto aduertisti, vt maximo ac pulcherrimo operi obstreperes, quo maiore ac certiore plaga rem latinã, nósq; ipsos offenderes, ipsúmq; tantæ molis opificẽ ex altissima immortalitatis specula deijceres. Atqui neq; hoc ipsum tibi omnino ex voto processit. Quando tot eius etiã supersunt monimẽta, vt facile à tuis legibus, atque obliuionis iniuria eius memoria vendicetur. Adde literaturæ candorem animi incomparabilem: adde omnium doctorum bene-

uolentiam. Quos omnes ita complectebatur, vt neminem despiceret, nulli se præferret, bonis ingenijs plurimum faueret, & eorum laudes prædicaret, atq; vltro temporibus gratularetur. Est enim ita natura comparatum, vt nemo alterius, qui suæ confidat virtuti inuideat. Quantum autem omnes eius ordinis amaret, hoc facillime potest indicari, quòd honestissimis hospitibus ædes ita patefecerat, vt suo iure quisque eius domo vteretur. Illustres etiam & magno aliquo nomine insignes non alibi libẽtius versabantur. Excipiebantur enim principes ac nostræ religionis cardines, alijq; id genus proceres tanta comitate, tam frugi apparatu, vt in vniuersa Italia, apud omnes prouinciales magnas, ac excellentes amicitias comparasset. Quas omneis videor mihi videre tam tristi, atque inopinato nuntio consternatos. Quòd si externi, atque aduenæ ita hominem optime meritum colebant, amabant, admirabantur, quid mirum si & nuper Lucretiæ Borgiæ principi fœminæ, quam semper religiosissime coluit, gratissimus fuit? etsi olim dux maximus, atque omni præconio maior Hercules suffecto illi à patre indulgentissimo in Tribunitiam potestatem, mox primas dignitatis partes addixit. Macte igitur Hercules & parentis & sapientissimi principis testimonio. Tu profecto ingenio: virtute, honore, ac fortuna parenti minime impar, vno tantum maior ille, ac tu minor: quod & illi habere, & tibi non relinquere talem filium contigit. Adiudicatam subinde dignitatem qua

neq; maior, neque honestior in republica vlla optari potest: in solum paternum adscitus Alfonsus dux & sanxit & maximo consensu approbauit. In qua cum vixdum ex Ephebis excessisset, quod nemini antea contigerat, tam solerter, tam sapienter se gessit, vt siquis animaduerterit, quot infortunijs, quot calamitatibus ea tempora perculsa sint, cum pestilentia ad internecionem vrbem vexasset, mox Padus esset in glaciem concretus, & proxima æstate in agros omnes latissime restagnasset, dehinc Sequani gens infestissima multis diebus impensa publica essent sustinendi: cum præsertim extremam malorum popularium fames non nostram modo vrbem, sed finitimas etiam regiones atq; omnem ferme Italiam inuasisset, nemo illi iure conferēdus videatur. Nam quis, rogo, Quirites? quis tot fortunæ telis sese agminatim ingredientibus obstitisset? quis sæuissimis temporibus rectum clauum tenuisset? At Hercules aliquo fato in ea tempora detrusus, incomparabili animi magnitudine, qua poterat huic & illi luxatæ reipublicæ parti succurrebat. Vidi ego ingemiscentem, cum & summa rerum difficultate, & ærarij penuria vrgente paulò duriores, quàm aut populus, aut ipse voluisset, fierent exactiones. Sed quis vestrum obsecro, absque pecunia rerum necessariarum quicquam egerit? Quis pecuniam sine exactione inuenerit? At ille non mediocri etiam cum dispendio, patriæ plerunq; in summa necessitate proprio ære opitulabatur. Atque hæc omnia vobis data, & reipub.

Quòd si vera fateri volumus, omni abdicata inuidia, neq; amantior huius populi, neq; infelicior fuit quisquam. Extant tamen, & in his rerum angustijs publica eius opera, & mœnia magna parte constructa, & portæ, ac pontes lateritij nouis fossis additi. Adde & illa pietatis insignia diuorum Tutelarium Basilicam multa parte refectã. Adde maximæ virginis transpõtanam ædem eius authoritate à fundamentis conditam. Adde tot pias erogationes, Quæ mihi nõ mediocrem spem afferunt, eum post obitum eò peruenisse, vbi bene actæ vitæ præmia consequatur. Quod, vt facilius fieri possit, & charissimi fratres, & pientissima coniux ex clarissima Taurellorum familia, nec magis forma, quàm modestia, & insigni quadam pietate in virum memorabilis, tum obsecrationibus, tum pijs largitatibus exorabũt. Hoc est, quod alioquin inualescentẽ dolorem nonnihil corrigit. Cum enim quotidie videamus in rebus humanis nihil certi, nihil explorati, fluxas opes, lubrica regna, & incerta. Cum ea, quam tanto ambitu quærimus gloria, res sit omnium vanissima. Cum res desultoria sit magistratus, & crebrius ad immerentes accedens: ita, vt neq; in felicitate, neq; in rerũ amplitudine quisquam sibi tantillũ polliceri possit. Cũ vniuersa mortalium vita sit innumeris acta miserijs, nec aliquid sit homine, aut infelicius, aut superbius, iam ego nihil video, quod vlli commodius, aut opportunius possimus precari, quàm propriam mortem, ac minime cruciabilẽ: quæ quàm celerrime fieri

potest, nos manu fati eximat, eripiátq; aliquãdo ex hac rerũ vicissitudine, atq; in patriã reuocet. Quo profecto in loco, si ex anteactis morib⁹ hominũ exitus metimur, positus Hercules nunc longe humana despicit, nostrisq; lachrymis irascitur, qui summam eius felicitatem interturbemus. Proinde animi vim excitemus, idq;, quod olim tempus est allaturum, virili prudentia præuertamus. Certúmque sit Herculem mortalem genitum, aut propédiem, aut post paucos certe annos hunc vitæ mimum fuisse absolutu-rum, atq; interea vario fortunæ turbine vexari potuisse: quem euasisse, maturæ, ac tẽpestiuæ morti acceptum est referendum. Euasit autẽ eo demum tempore, quo sibi perpetuo locũ in memoria posterorum comparauerat.

Ex libris

Joan: Coldstream

